IOANNIS DALLÆI
DE
IMAGINIBUS
LIBRI IV.

Concil. Eliberit. Can. 36.

Placuit picturas in Ecclesiâ esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.



LUGD. BATAVOR.
Ex Officinâ Elzeviriana.

ClƆ IƆ C XLII.



ORNATISSIMO VIRO,

D. PETRO MARBALDO,

Regis Christianissimi, Domûsque, & Coronæ Franciçæ Consiliario, ac Secretario,

S.

COGITANTI mihi, Clarissime MARBALDE, de crassis illis errorum, ac superstitionum maculis, quibus Christiana Religio superiorum quidem temporum flagitio contaminata, nostro autem sæculo singulari Domini beneficio purgata est, nulla videtur in eo numero fuisse labes fœdior, nulla vel rectæ hominum rationi, vel sacris Dei Scripturis inimicior, quàm quæ in Romani Pontificis communione etiam hodie exercetur, imaginum veneratio. Docet enim ipsa hominum ratio eam

esse Dei optimi maximi naturam, quæ neque oculis, aut aliis sensibus usurpari, neque mentis cogitatione percipi possit, nedum ut pictoris, aut sculptoris arte simulari, vel adumbrari queat. Docet eadem apertissimè iniquum, ac nefas esse hominem, nobilissimum animal, admirabili sentiendi, atque intelligendi facultate præditum, ac in æternitatem genitum, ante muta, vitæque omnis expertia simulacra honoris causâ procumbere. Eo factum, ut non paucæ olim nationes, solâ naturæ voce admonitæ, omnem statuarum, atque imaginum in religione usum repudiaverint. Nam & Persas veteres, & Germanos, & Afros in eâ sententiâ fuisse accepimus; idque institutum ipsos etiam Romanos ad annum urbis CLXX servasse constat. Quâ in civitate etiam post receptum idolorum usum, qui doctissimi ac sapientissimi viri habiti sunt, ii confiteri, palàmque litteris mandare non dubitarunt *castiùs*

Deos

Deos sine simulacris observari, quique primi simulacra deorum populo posuerunt, eos civitatibus suis, & metum dempsisse, & errorem addidisse. Sacrarum verò Scripturarum vox, atque auctoritas multo est in hoc superstitionis genus disertior, ac luculentior. Testantur enim sanctissima illa monumenta Deum jam à principio Israëli suo fulmineâ voce è Sinæ verticibus edixisse, ne rei ullius vel terrenæ, vel cœlestis simulacrum effingeret, adoraret, aut coleret, legemque hanc gravissimâ comminatione sanxisse, quâ profitetur se Deum esse Fortem, ac Zelotem, patrumque iniquitatem in filios, in nepotes, & in abnepotes visitare in eos, qui ipsum oderunt. Id præceptum passim in Scripturis urgetur, atque inculcatur, variisque Prophetarum disputationibus, & orationibus explicatur, & illustratur, gravissimisque eorum pœnis identidem confirmatur, qui spretâ lege simulacra fecerant. Atque hæc Dei au-

Varro apud August. lib. 4. de civitate Dei. c. 31.

ctoritas tantùm, ut par erat, apud Iudæos valuit, ut ii ſimulacrorum cultum, in quem principiò ſummâ naturæ propenſione ferebantur, poſtremis temporibus Babylonicam captivitatem conſecutis, conſtantiſſimè ſemper averſati ſint. Quo major, atque deteſtabilior cenſeri debet eorum cæcitas, qui in tantâ rerum, atque exemplorum luce verum, ac ſpiritualem Dei cultum, cœleſti Domini IESV diſciplinâ conſtitutum, craſsâ, ac pudendâ hac ſuperſtitione inquinarunt. Deus quidem eos pro ſuâ clementiâ tùm ſuperioribus, tùm noſtris maximè temporibus, officii ſæpiùs admonuit. Sed obdurati in flagitio animi, ſaluberrimas Domini voces aſpernati, errorem, qui emendandus fuerat, ultrò auxerunt, atque confirmarunt. Ac ut plerumque ingenioſæ ſunt humani animi libidines, fucos etiam, & colores variè conquiſitos ſummâ ſolertiâ in hac causâ adhibuerunt, ut turpi

pi atque inhonestæ superstitioni speciem aliquam conciliarent; credo, ne sine ratione insanire viderentur. Sed quòd in Scripturis nullum se habere intelligerent suscepti erroris patrocinium, ad traditionem de more confugerunt, unicum, si istis credimus, Romanorum rituum, atque dogmatum fontem. Ajunt enim, ab Apostolis non mutis quidem litteris, sed vivâ voce discipulis commendatum jam indè ab initio fuisse hunc, qui apud ipsos obtinet, fingendarum, ac colendarum imaginum ritum; eumque deinceps posteris velut per manus à primis Christianæ pietatis auctoribus traditum ad nostra tempora in Ecclesiâ propagatum esse. Hanc ego huic operi materiam sumpsi, quo (nisi me fallit animus) totum hoc pessimæ causæ præsidium adversariis eripui, argumentisque, ut mihi quidem videtur, claris ac necessariis demonstravi imagines olim apud veteres Christianos in Ecclesiis

nullas fuiſſe ad quartum à Domini natalibus ſæculum; inſecutis verò temporibus paulatim quidem irrepſiſſe, ſed eum tantùm in uſum, vt vel loca ſacra ornarent, vel rudiores è plebe oblectarent, aut inſtruerent, neque eos, quibus hodie afficiuntur, cultûs ac venerationis honores, niſi ſerò admodùm adeptas eſſe, jam orbi incumbente proximorum retrò ſæculorum caligine, poſt magna ultrò, citròque certamina, in quibus eximia enituit Gallorum noſtrorum virtus. Nulla enim Chriſtianorum gens eſt, quæ vel veritatem diutiùs propugnaverit, vel ſeriùs erroris importunitati, atque tyrannidi ceſſerit. Fateor hoc argumentum diſertioribus noſtrorum hominum litteris jam dudùm excultum, atque illuſtratum eſſe; adeo ut Eccleſia facilè ac ſine damno noſtrâ opellâ carere potuerit. Extorſit tamen fratrum quorumdam, ſeu judicium, ſeu (quod potius reor) favor & indulgentia, ut

ut quem nos libellum domi octo jam annos continuimus, eum nunc tandem emittere audeamus, Deum optimum maximum comprecati, ut ei benedicere velit, atque in publicâ hac luce cursum, usumque eum pręstare, quem amici spondent, ac vovent ad divini nominis gloriam, cœlestisque veritatis illustrationem. Tibi verò, ornatissime Marbalde, hoc quicquid est opusculi potissimùm inscribendum duximus, ut si ingenii infirmitate præpediti publicè minùs prodesse possimus, privatim certè apud te aliquod operæ pretium faciamus; dùm hoc veluti monumento palàm testamur animi in te nostri tùm reverentiam, tùm gratitudinem. Hoc enim à nobis officium jampridem efflagitabat, & eximia illa, quæ in te elucet, pietas summâ morum suavitate condîta, absolutissimâque ingenii elegantiâ exornata, & tuus in nos constantissimus, ac planè singularis amor. Quò accedunt

 hone-

honestissimæ consuetudinis, quæ nobis tecum jampridem intercedit, fructus longè jucundissimi, & quæ ex eodem fonte effusissimè quotidie profluunt, tua in nos propemodum innumerabilia merita. Hoc itaque tàm multis tibi nominibus debitum observantiæ nostræ pignus, tu quo nos, nostraque intueri soles, oculo facilis accipe. Ego quidem, si minùs cæteris officiis par fuero, Deum certè assiduis precibus venerabor, ut te tuosque omneis quamdiutissimè salvos & incolumes in Domino IESV tueatur ac conservet. Vale.

Dat. Lutet. Par. Febr. 26.
die, an. Christi 1641.

Tibi addictissimus

I. DALLÆVS.

INDEX



INDEX LIBRORVM,

& capitum totius Operis.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

ADMO-



ADMONITIO AD LECTOREM.

CUM anno ſuperiore hos de Imaginibus libellos meos Gallicè conſcriptos, atque editos pro ſuâ humanitate legiſſet Clariſſimus Theologus, mihique multis nominibus unicè reverendus Dom. Andreas Rivetus, literis paulò poſt datis mihi auctor fuit, ut eoſdem Latinitate donatos cum exteris gentibus communicarem, ſignificans pro ſuâ in me benevolentiâ aliquid utilitatis noſtrum hunc laborem piis afferre poſſe. Ego, qui præſtantiſſimi viri, ac de me optimè meriti voluntatì non parêre nefas putarem, interpretandi quamquàm moleſtam ſanè provinciam ſuſcepi, totumque opus ex Gallico Latinè redditum Typographi curæ ac diligentiæ commiſi. Hoc te Lector, neſcire nolui, ut, ſi quem tu ex noſtrâ hac lucubratione fructum ceperis, ejus gratiam clariſſimo Riveto habeas, qui eam ſuâ auctoritate in linguæ Latinæ lucem eduxit. Sin aliter, quod nolim, acciderit, hujus certè, ſiqua eſt, editionis temeritatem noſtro in eumdem virum ſtudio, atque obſequio condonabis. Vale.

JOANNIS



IOANNIS DALLÆI
DE
IMAGINIBUS
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.
Præfatio operis.



CUM inter eas controversias, quæ hodie magno piorum omnium dolore Christianum orbem scindunt, neque ignobilis sit, neq; vero levis momenti de imaginum in religione usu disputatio; operæ pretium facturum me existimavi, si quæ veterum fuerit de toto hoc negotio sententia, perspicuè (quantum quidem mea fert tenuitas) explicarem: Non quod fidem hac in parte nostram ullo humani testimonii præsidio egere arbitrarer, Scripturis divinis Domini gratiâ abunde subnixam, in quibus cum neque institutum, neque laudatum, neque ab ullo denique vel Apostolo, vel Prophetâ usurpatum legamus imaginum cultum, nulla est, ut mihi quidem videtur, hominum auctoritas tanta, quæ eum ut ipsi admittamus,

vel exerceamus, nobis persuadere debeat. Sed juvabit tamen compertum & exploratum habere, an homines Christiani jam inde à primis Ecclesiæ sæculis id ipsum de imaginibus senserint, quod ab iis hodie doceri videmus, qui in Episcopi Romani communione vivunt. Nam hi quidem nemo est, qui nesciat, quanti faciant Trinitatis, Christi, Angelorum, Mariæ, & Sanctorum imagines, quâque eas religione publicè in locis sacris dedicent, quâ curâ exornent, quo affectu colant, quanta cum animi & corporis demissione venerentur, intecto capite, & in genua procumbentes, qua pompa sublimeis circumgestent, populoque ostentent, quo denique studio etiam susceptis longinquis peregrinationibus invisant. Fateor in eorum Schola Theologos fuisse non infimi nominis, ut Alexandrum, ut Durandum, ut Alfonsum Castrensem, aliosque nonnullos, qui videntur sensisse non esse imaginem ullo modo in se colendam, sed solum coram imagine colendum exemplar. Sed ea sententia, neque admodum frequentata fuit, & hodie pœne est apud eos exstincta. Omnes enim vulgò censent imaginem ipsam in se & proprie colendam esse; quamquam de ipso cultus genere & gradu non parum,

Alex. 3. p. q. 30. art. ultim. Durand. in 3. d. 2. q. 2. Alfon. à Cast. verbo Imago. Vide Bell. de Imag. c. 20.

neque leviter inter ſe diſſentiant. Sunt enim qui eumdem imagini, qui exemplari debetur, honorem exhibendum eſſe contendunt, ut ſit Dei & Chriſti imago cultu latriæ adoranda, Mariæ hyperdulia, Sanctorum aliorum duliâ; eamque opinionem ſequuntur Thomas, Cajetanus, Bonadventura, Marſilius, Almayn, Dionyſius Carthuſianus, Capreolus, alii. Cæteri, qui paulo moderatiores videri volunt, honorem imaginis, eo quidem minorem eſſe putant, qui exemplari debetur, ſed hujuſmodi tamen, qui analogice & reductive ad eum pertineat; ita ut debitus Sanctorum imaginibus cultus dulia ſit non ſimpliciter & abſolute dicta, ſed ſecundum quid, analogice, & reductive; ſimiliter quæ tum Beatæ Virginis, tum Chriſti imaginibus exhibentur hyperdulia & latria ſic dicantur non ſimpliciter, non proprio & perfecto modo, ſed ſecundum quid, analogice, & reductive. Cogimur enim ipſas Scholarum voces, quamtumvis à communi Latine loquentium uſu abhorrentes, adhibere, quod uſque adeo abſtruſa ſint & recondita iſtorum myſteria, ut vocabula quibus ea explicari atque explanari poſſint, nulla habeat vulgatus, & uſitatus hominum ſermo. In hanc autem poſteriorem ſen-

Thom. 3. part. q. 25. art. 3. Cajet. ib. Bon. Marſ. Carth. Capr. in 3. diſt. 9. Vid. Bell. de imag. c. 20.

tentiam pleriq; Ecclesiæ Romanæ Theologi concessisse videntur, ut ex Peretii, Catharini, Sanderi, Bellarmini, Perronii, aliorumque editis de hoc argumento disputationibus manifestum est. Atque hæc quidem doctorum fere est apud eos sive sententia, sive imaginatio. Vulgus verò, cui sunt ignotæ Scholarum argutiæ, simplicius, atque (ut sic dicam) bona fide imagines colit, in easque effundit, quicquid animo concepit caloris atque religionis; ut si horum vel arcanas cogitationes scruteris, vel manuum & oculorum motus, totiusque corporis gestum, aliaque externa spectes, nihil deprehensurus sis, quo possit intelligi aliter eos imaginem, aliter exemplar colere, aut diversas, nec ejusdem exemplaris imagines aliquo inter adorandum discrimine habere. Qua in parte ita longe lateque grassatur superstitio, ut etiam illius communionis homines, & quidem minime contemnendi, de erroris fœditate etiam publice conquesti sint. Certe Polydorus Virgilius, ubi de imaginum veneratione verba facit, eo insaniæ deventum esse ait, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate. Hoc igitur opere cum bono Deo disquiram, num veterum eadem olim fuerit, quæ istorum nunc est de imaginum usu, &

Perer. l. 1. de Trad. tract. de im. Cath. tract. de imag. Sand. l. 2. de imag. c. ult. Bel. de imag. c. 20. 21. 22. 23. du Perron Refut. du dis. de la Conf. de Font.

& cultu ſententia, ducto à primis atque remotiſſimis Eccleſiæ temporibus initio, quod eorum hiſtoria & plus momenti ad rem noſtram conferat, & verò longe ſit adverſariorum diſputationibus impeditior, atque involutior, quam proximorum retro octo aut novem ſæculorum cognitio, quæ multo minus habet & utilitatis, & controverſiæ. Eum autem ordinem ſequar, qui mihi viſus eſt commodiſſimus. Quæcumque enim ratiocinando eruere potui ex veterum diſputationibus, ſermonibus, opinionibus, & ritibus argumenta, quibus vel certo explorari, vel probabiliter conjici poſſit, quid ii de imaginum uſu ſenſerint, ea primo loco recenſebo, & quoad opus fuerit explicabo atque defendam. Tum diſerta ipſorum teſtimonia recitabo; cujuſmodi argumenta *inartificialia* vocant rhetores, ut ſolent *artificialia* dicere, quæ ſunt prioris illius generis. Tertio denique loco ea expendam, quæ ab adverſariis contra afferuntur.

Caput II.

Veteres primorum quatuor à Christo nato sæculorum Patres, neque Christi, neque Sanctorum imagines veneratos esse. Prima ratio, ex iis ducta, quæ Paganis de religione disputantes objiciunt.

Itaque ut missis ambagibus ipsam disputationem ingrediar, ajo inprimis illam Ecclesiam, quæ intra quadringentesimum à Christi nativitate annum floruit, nullum Christi vel Sanctorum imaginibus religiosum cultum detulisse, qualem iis hodie deferendum putant Romanæ communionis homines. Quod cum variis argumentis demonstrari possit, vel ex eo apparet, quod Christiani illorum temporum doctores Ethnicis, quibuscum de religione disputant, simulacrorum, & imaginum cultum passim exprobant, totumque illum ritum tamquam gravissimi erroris, & immanis cujusdam stultitiæ atque væcordiæ plenum exagitant. Quo jure, si quam Pagani numinum simulacris venerationem exhibebant, eandem ipsi sanctorum virorum imaginibus deferebant? Tertullianus in Apologetico, postquam meros fuisse homines demonstravit, qui tum à Paganis pro Diis colebantur, hæc de simulacris subjicit: *Quantum autem de simulacris ipsis* (inquit) *nihil aliud* re-

Apolog. c. 12.

reprehendo, quam materias, ſorores eſſe vaſculorum, inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis & inſtrumentis quaſi fatum conſecratione mutantes licentia artis transfigurante, & quidem contumelioſiſſime, & in ipſo opere ſacrilege. Tum extremo capite: *Igitur* (inquit) *ſi ſtatuas & imagines frigidas, mortuorum ſuorum ſimillimas, non adoramus, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt, nonne laudem, magis quam pœnam merebatur repudium agniti erroris?* Atque hæc quidem Tertullianus: quæ non video qua fronte, quo ore, atque animo ſcribere potuerit; ſiquidem de imaginibus paria cum hodiernis Eccleſiæ Romanæ Theologis ſenſit. Quid enim? Non intelligebat eadem omnia in ſuas Chriſti, Sanctorumque effigies convenire? ne eas quidem vel de meliore luto, vel honeſtiore ſpecie, vel ſenſibus denique inſtructiores eſſe, quam Gentilium ſtatuas? æquè ſorores utraſque vaſculorum inſtrumentorumq; communium, neque has magis, quam illas, mures, & araneas, & milvos intelligere? Vnde ille tantus in acerrimo viro ſtupor, ut repente oblitus ſit Ethnicorum cauſſam ſua de imaginibus ſententia conſtitui? Hæc & alia Franciſcum Zephyrum, Romanarum partium hominem fateri ſubegerunt, ejus temporis Chriſtianos nihil *Zephyr. in Tertull. Apol. p. 93. 94.*

 hil

hil in templis habuisse præterquam crucis insigne super aram ad Orientem versam. Enimvero non Tertullianus tantum, sed & cæteri Patres ita cum Paganis disputant. Non aliter eos excipit Octavius in Minucii Felicis dialogo, qui exeunte secundo Christianismi sæculo scriptus fuisse perhibetur, salsé irridens, quod orarent & publicè colerent consecratas Deorum imagines, *dum opinio*, inquit, *& mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore præstringitur, argenti nitore, & candore eboris hebetatur.* Tum fusè exsequitur quibus modis fingeretur, poliretur, atque pararetur simulacrum, ad hoc ut divinos honores acciperet; ut ligneum quidem suspenderetur, cæderetur, dolaretur, runcinaretur; æreum verò vel argenteum conflaretur, tunderetur malleis, & incudibus figuraretur; lapideum denique cæderetur, scalperetur & lævigaretur; & post hæc artis opera construeretur, & erigeretur, ornaretur postremo & consecraretur. Si eadem tum apud Christianos fuit religio, quæ hodie est apud Romanam Ecclesiam, ubi erat istius hominis animus, qui Paganorum numinibus ea objicit, quæ nullo negotio in Sanctos à Christianis suis cultos retorqueri poterant? quippe quorum effigies eadem

eadem plane ratione parentur atque instruantur, antequam iis palam in Ecclesiis solennis veneratio exhibeatur? Nam & iis quoque ad amussim conveniunt, quæ ille de Gentilium simulacris subjicit; *Quanta verò*, inquit, *de Diis vestris animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non sentire eos sciunt, norunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant. Araneæ verò faciem ejus intexunt, & de ipso capite sua fila suspendunt. Vos tergitis, mundatis, eraditis, & illos quos facitis, protegitis, & timetis.* Hactenus Octavius. Neque aliter Lactantius, qui Paganos passim eo nomine reprehendit quòd eorum, quos falsò pro Diis habebant, imagines colerent. *Quid sibi*, inquit, *templa? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum, aut absentium monimenta sunt?* Tum paulò post: *Nec intelligunt*, inquit, *homines ineptissimi, quod si sentire simulacra & moveri possent, ultrò adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita.* Mox; *Adorant ergo*, inquit, *insensibilia qui sentiunt, irrationabilia qui sapiunt, exanima qui vivunt, terrena qui oriuntur è cœlo.* Tum paucis interjectis, *Nam ista*, inquit, *mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud sunt nisi terra ex qua nata sunt?* Initio vero ejusdem capitis hæc ante jam di-

Lactant. l.2. Instit. c.2.

dixerat; *Nempe ideò timetis, quod eos esse in cœlo arbitramini. Neque enim si Dii sunt aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? & advocatis Deorum nominibus in aperto sacrificatis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimum, quam illò spectatis ubi eos esse creditis?* Alibi observat homines initio *admirantes elementa mundi, cœlum, solem, terram, mare sine ullis imaginibus ac templis veneratos esse; Dæmones fuisse, qui imagines, & simulacra fingere docuerunt*; tum *perversum esse & incongruens, ut simulacrum hominis à simulacro Dei colatur. colit enim* inquit, *quod est deterius, & imbecillius*; *Tum inexpiabile facinus esse deserere viventem, ut defunctorum monimentis servias, qui nec vitam nec lucem dare cuiquam possunt, qua ipsi carent.* Denique paulo post, *ipsas imagines sacras quibus inanissimi homines serviunt omni sensu carere, quoniam terra sint. Quis autem non intelligat, nefas esse, rectum animal curvari, ut adoret terram?* Cogitet apud se cordatus lector, an hæc & talia scripturus fuerit Lactantius, si Sanctorum vitâ functorũ imagines eo, qui jam ipsis Romæ defertur, cultu prosecutus esset. Athanasius, quem constat Augusti Constantii temporibus vixisse labente sæculo post Christi natales quarto, Ethnicorum stultitiam eodem modo perstringit; *Non erubescunt* (inquit) *supplices ante ligna procumbere,* *nec*

Ibid. c.14. ext.
Ibid. c. 17.
Ibid. c. 18.
Athan. orat. contr. Gent. p. 15.

nec vident interim res ſimiles, ac prorſus ejuſdem generis ſuis ſeſe pedibus calcare, & pro fomentis ignium uſurpare, cum tamen partes earum rerum numina appellent; & quæ paulo ante in uſu communi habuere, ea per vacordiam, cum exſculpta ſunt, colenda arbitrantur, nihil omnino neque oculis, neque mente utentes, quippe qui non Deos, ſed artem cælatoris adorent. Mox hæc quoque ſubjicit: *Quis quæſo* (inquit) *eorum non miſereatur, idque vel ea de cauſſa, quod ipſi viſu præditi, ea quæ non vident adoranda exiſtiment, & audientes quæ non audiunt precibus ſollicitent? & anima rationeque per naturam, ut homines, inſtructi, ea, quæ ne ſemel quidem moventur, ſed inanimata ſunt, ut deos ſalutent, & quod ſummæ admirationis, quos ipſi ſub ſua poteſtate habent iis veluti dominis inſerviant?* Sic etiam Chryſoſtomus Commentario in Iſaiam; *Quid enim eſt* (inquit) *vilius atque humilius homine ante res inanimatas ſeſe incurvante, & ſaxa venerante?* Idem in Geneſin; *Vide*, inquit, *quantus eſſet erroris exceſſus, ut ii qui ſunt ratione honorati ligna & lapides colant.* Chryſoſtomum excipiat Theodoretus, Cyrenſis epiſcopus, qui jã adulto quinto poſt Chriſti nativitatem ſæculo floruit: *Simulacra vero* (inquit) *à gentibus culta non efficiunt, ſed efficiuntur, & à materia honorem habent &c. Simulacra quidem ſenſuum domiciliis induta ſunt; operatione*

Chryſ. in Iſ. c. 2 T. 3. p. 678.

Id. in Gen. Hom. 37.

Theod. in Pſ. 113.

verò

verò privantur. Viliora igitur non modo ſunt iis, qui ipſa finxerunt, ſed etiam minimis animantibus; quandoquidem muſcæ, & culices, & his tenuiores, in ſenſuum ſedibus vim habent; vident enim & audiunt & volant & ambulant. Ad hæc ego non dubito, quin adverſarii cum Perronio reſponſuri ſint Chriſtianorum de ſacris imaginibus ſententiam plurimùm ab eo differre, quod olim Pagani de ſimulacris ſuis judicabant. *Paganos enim de idolis ſeu ſimulacris ſuis ita exiſtimaſſe ea vere eſſe numina, ſive ſimplici ſubſtantiæ commutatione, quæ opinio maxime apud rudiores invaluerat, ſive quadam divinitatis in ipſa ſimulacra infuſione, ac ut ſic dicam incorporatione, quod fere ſequebantur eruditi* &c. *Chriſtianos verò, quas venerantur ſanctorum imagines, eas neque pro numinibus, neque pro numinum imaginibus habere; ſed contra exſerte vetare, nequis credat ineſſe aliquam in iis divinitatem, vel virtutem propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda.* Itaque non fuiſſe verendum antiquis Patribus, ne in Chriſti Sanctorumque imagines retorquerentur ea, quæ ipſi invidioſiſſime, ut ſupra commemoravimus, Gentium idolis objectabant. Sed hæc reſponſio vana eſt, quod neque omnino vera ſint, quæ ponit tum de Paganorum, tum de Chriſtianorum ſuper imaginibus

Du Perron Refut. du diſcours de la Confer. de Font. f. 209.

Conc. Trid. Seſſ. 25.

nibus

nibus judicio, neq; ea (si vel maxime vera essent) quicquam tamen valerent ad hanc objectionem solvendam. Nam ut à priori ordiar, fateor equidem fieri potuisse, ut in tantâ populorum Ethnicâ superstitione excæcatorum multitudine pauci aliquot reperirentur belluini ingenii homines, qui quas oculorum, manuumque sensibus usurpabant ligneas, aureasve, marmoreas & argenteas effigies, eas in numinum naturam per prodigiosam aliquam pristinæ substantiæ conversionem verè transivisse putarent. Sed publicum fuisse tam crassum, tamque immane delirium, aut ab Ethnicorum Theologis pro vero ac germano religionis suæ dogmate agnitum, id verò pernego. Palam reclamabant siqui erant inter eos eruditi, eumque errorem à sua fide & opinione longe semotum, imperitorum & rudiorum è plebis fæce proprium esse contendebant. Ita Celsus gentilis apud Origenem, ridiculam ait esse Christianorum sapientiam, si nihil aliud docere volunt, nisi Deum non esse lapidem, lignum, æs, aurum, ab hoc vel illo artifice expolitum & elaboratum, *Quis enim* (inquit) *alius est, nisi si sit plane fatuus, qui hæc Deos esse putet, non autem Deorum donaria, & simulacra?* Ita etiam Lucianus ipsum numen à simulacro clarissime distinguit, cum matronæ

Orig. cont. Cels. l. 7. p. 384. Græc.

tronæ

tronæ conquerenti quod se invidiosâ laudatione Deabus comparasset, sic respondet; *Ego te, ô præstantissima, nequaquam cum Deabus comparavi, sed cum eximiorum artificum operibus ex lapide, ære, aut ebore confectis. At quæ ab hominibus sunt facta cum hominibus comparare non puto impium, nisi Minervam illud esse existimasti, quod Phidias effinxit, aut cœlestem Venerem illud, quod non multis ab hinc annis Praxiteles Cnidi fecit. At vide ne indecorum sit talia de Diis sentire, quorum imagines veras nulla humana industria assequi potest, ut sentio.* Athenagoras Christianus scriptor (qui circiter annum Domini centesimum septuagesimum floruisse dicitur) hæc quoq; testatur Paganos à se invicem distinxisse, dum scribit *non defuisse* (inter Ethnicos) *qui hæc* (de idolis loquitur) *nihil quàm simulacra* (εἰκόνας) *esse dicerent, Deos verò quorum honori ea sint dedicata, & quæcumque in ipsos conferuntur reditus, sacrificia, ad ipsos referri Deos, & propter ipsos fieri, neque alio modo homines convenire Deos posse.* Arnobii quoque disertum ea de re exstat testimonium, ubi Paganum hominem sic inducit loquentem; *Sed erras,* inquit, *& laberis: Nam neque nos æra, neque auri, argentique materias, neque alias, quibus signa consiunt, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra*

Lucian. pro imagin.

Athen. legat. pro Christ.

Arnob. l. 6. adver. gent.

sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris. Paulo post verò etiam callidiori excusatione usos Ethnicos prodit; *In parte hac eadem illud,* inquit, *etiam dicere simulacrorum assertores solent, non ignorasse antiquos nihil habere numinis signa, neque ullum omnino inesse his sensum; sed propter indomitum, atque imperitum vulgus, quæ pars in populis, atque in civitatibus maxima est, salutariter ea consilioque formasse, ut velut quadam specie objectâ his numinum abjicerent asperitatem metu, arbitratique præsentibus sese sub Diis agere facta impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione transirent.* Denique ut cæteros mittam, Lactantius sic quoque facit loqui Ethnicos: *Non ipsa (inquiunt) timemus simulacra, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt.* Atque ex his liquet crassam illam & belluinam imaginationem Paganis immerito tribui, cum iniquum sit singulorum & privatorum hominum, qui in unaquaque sectâ vivunt, proprios errores in eam universam conferre. Sed neque illud diffiteor fuisse in Paganismo viros etiam eruditos, qui docerent Deorum aut numen ipsum, aut certe vim atque virtutem statuis illis & imaginibus, ubi semel consecratæ erant, insidere; quod clare significant Trismegisti apud Augustinum verba; quæ ut ipse interpre-

Lact. l. 2. div. Inst. c. 2. init.

Aug. de Civ. D. l. 8. c. 23.

terpretatur Augustinus, docet *spiritus invisibiles per artem quamdam visibilibus rebus corporalis materiæ copulasse Paganorum sapientes, ut essent quasi animata corpora illis spiritibus dicata & subdita simulacra.* Atque huc illa omnia pertinent Scripturæ & sanctorum Patrum loca, quæ majori ambitione quam necessitate sex totis pagellis descripta congessit Perronius, ut solet ille sæpius plurimum illic verborum & argumentorum profundere, ubi minimum id poscebat causæ ipsius ratio. Quod verò fingit Paganos personalem sive hypostaticam (ut in Scholis loquuntur) unionem inter sua numina, & eorum effigies constituisse, ita ut simulacrum unà cum eo, quo insidebatur, numine una & eadem esset persona, id inquam inane est, neque ulla ratione nititur. Nam quæcumque attulit Perronius veterum, tum Christianorum, tum Paganorum testimonia, nihil aliud statuunt nisi aut vim, aut substantiam numinis simulacro ex Gentilium sententia insedisse: ex quo minime consequitur earum rerum alteram cum alterâ personaliter unitam fuisse. Neque enim ex eo, quod gubernator in navi quam regit, Angelus in orbe, quem movet secundum Aristotelem, præsentes adsunt, conficitur aut illum cum navi, aut hunc cum orbe cœlesti unam & ean-

eandem personam esse proprie atque *συνωνύμως*. Sed neque illud verum est omnibus Paganis fuisse persuasum in iis, quæ colebant, simulacris delituisse ejus numinis, cui consecrata erant, seu vim, seu formam aliquam, quâ insiderentur, ac quodammodo animarentur. Nam ut solet error hominum mentes in multiplices cogitationes, variasque ac pugnantes sententias scindere, Pagani urgentibus Christianis, & vilium, ac fluxarum rerum cultum exprobrantibus, quò adeo speciosam criminationem dissolverent, alii aliò confugerunt. Fuerunt, qui responderent simulacra Deorum sedes esse, ac veluti domicilia. Alii acutiores non quidem sedes, sed signa ac symbola numinum, eorumque monimenta quædam esse suas illas imagines caussabantur. Augustinus allatâ eorum responsione, qui se dictitabant non *hoc visibile colere, sed numen, quod illic invisibiliter habitat*, paulò post subjicit, *Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, Nec simulacrum, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.* Atque inde est quod Augustinus loco à Perronio laudato Ethnicos idololatras bifariam dividit, cũ ait eos *simulacra venerari vel tamquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum.* Sic

Aug. in Ps. 113 conc. 2.

Id. l. 3. de doct. Christ. c. 7.

 etiam

Orig. l. 7. contra Celsum. etiam Origenes de philoſophis Gentium verba faciens, *Non erubeſcunt* (inquit) *res inanimas, tamquam Deos alloqui, aut Deorum imagines.* Celſus quidem certè eodem illo loco, quem ſupra ex Origene laudauimus, docet habenda eſſe idola non pro Diis ipſis, ſed pro Deorum anathematis, id eſt donariis, & ſimulacris. Conſimiles Paganorum colores fusè etiam ab Athanaſio referuntur, & refelluntur, ut videre *p. 21. & ſeqq.* eſt in ejus Oratione contra Gentes. Certe negari non poteſt, eos idola ſua, quos *Deos* interdum metonymicè vocant, (quemadmodum hodie Sanctorum imagines *Sancti* vulgò appellari ſolent) ſic etiam ſæpe Deorum ſigna, effigies, imagines proprie dicere. *Liv. dec. 3. l. 3 Amm. Marc. l. 22. extr.* *Signa*, (inquit Livius) *ad Iunonis Soſpitæ cruore manavere.* Ammianus: *Serapium ſpirantibus ſignorum figmentis exornatum.* Suetonius in Caligulâ, de Artabano, Parthorum rege loquens, *Cæſarum imagines adoravit.* Et Capitolinus in Maximino. Ante imagines Maximi, & Balbini & Gordiani adoravere. Eodem ſenſu Agrippina apud Tacitum de Augu- *Tacit. Annal.* ſti imaginibus loquens negat, *in effigies mutas divinum Spiritum transfuſum.* Et ipſe *Id. Hiſt. l. 5.* Tacitus de Judæis verba faciens, *Mente ſola* (inquit) *unumque numen intelligunt. Profanos, qui Deûm imagines mortalibus materiis in*

ſpecies

species hominum effingunt. Deniq; Clemens Paganos sic inducit loquentes, *Nos ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adoramus.* Recogn. l. 5.
Ex quibus perspicuum est cultum, quem Pagani idolis seu simulacris deferebant, ex ipsorum mente non absolutum, sed relativum fuisse, ac hujusmodi qui propriè ac primario exhiberetur non simulacro, sed numini, cujus erat simulacrum, idque ob unionem quam inter ista intercedere somniabant, sive quod ipsum numen, aut certè vis ejus ac potestas in simulacro insideret, sive quod simulacrum numinis esset quædam velut imago, sacrumque symbolum ac monimentum, quo ipsius aut persona, aut vis atque efficacia humanis sensibus quodammodo adumbrata objiceretur. Iam verò nonne hæc eadem sentiunt adversarii, tum de cultu sacrarum, ut vocant, imaginum, tum etiam de earum unione cum Sanctis & Angelis, quibus sacræ sunt, & quorum nomine religiosam iis venerationem deberi putant? Nam quemadmodum in Paganorum multitudine erant aliqui, sed pauci, qui crassissimo quodam & pecuino mentis errore, repugnantibus & reclamantibus eruditis, pro veris numinibus haberent muta illa, & surda simulacra, apud quæ in templis

& fanis procumbebant; ſic in eorum Chriſtianorum plebe, qui venerantur imagines, fortaſſe etiam nonnulli reperiuntur adeo obeſæ naris, ut vel nullum, vel omnino exiguum diſcrimen eſſe arbitrentur inter imaginem, & ipſum cui conſecrata eſt Sanctum. Ac ut inter eruditiores Paganos fuêre, qui putarent numen vel ipſa ſubſtantia, vel certè vi ſua præſens adeſſe ſimulacris; ſic neque defuerunt inter adverſarios qui de Sanctorum unione cum imaginibus idem propemodum ſentirent. Perſonalem quidem Sanctorum in ſtatuis ſibi dicatis præſentiam hactenus quod ſciam nemo palam defendit, omnibus, quantum ego quidem obſervare potui, uno conſenſu fatentibus quorum hominum hic in terris conſecrant & venerantur imagines, eorum ſpiritus in cœlis Dei gloriâ, & quiete frui; tametſi multa apud eos & fiant & dicantur, quæ ab hoc figmento non abludunt, qualia ſunt quæ de nonnullarum imaginum lachrymis, ſudore, & cruore narrant. Virtutis verò præſentiam, ut à Tridentinâ Synodo negatam fateor, ſic à multis Romanarum partium hominibus diſertè poſitam contendo; quo in numero ſunt etiam ſeptimæ Synodi Patres, qui imaginibus vim ſanctificandi tribuunt, & (quod

Syn. 7. act. 5. & Adrian. ep. ad Car. c. 26.

(quod ab Adriano Romæ episcopo defenditur) Christianos volunt, imaginum aspectu, perinde ut serpentis ænei Iudæos olim, servari. Legimus etiam in Cæremoniali Romano imagunculas illas, quas *Agnos Dei* vulgo vocant, mysticis cæremoniis sanctificari; adeo ut oret Pontifex, sicut ille olim agnus immolatus populum à persecutione Ægyptiacâ liberavit, & quemadmodum ille agnus innocens Iesus Christus immolatus *protoplastum nostrum de diaboli potestate eripuit: sic isti agni immaculati virtutem illam accipiant; ut larga Dei benedictione sanctificati eandem virtutem accipiant contra omneis diabolicas versutias.* In consecratione verò imaginis, quam B. Virgini dedicant, hæc diserte habentur: *Sanctifica, Deus, hanc formulam B. Virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua, fulmina, si invaluerint nocentia, celerius expellantur.* Sic in consecranda Baptistæ imagine à Deo petunt, ut *sit hæc imago dæmonum sancta expulsio, angelorum advocatio, fidelium protectio.* In eâ autem oratione, qua Christi imaginem sancto, ut narrant, sudario impressam affantur, principiò quidem sic eam salutant, *Salve sancta facies nostri Redemptoris, in qua nitet species divini splendoris, impressa panniculo nivei candoris, dataque Veronicæ signum ob amoris, salve*

L. 1. Sacrar. cærem. sect. 7. f. 81. b. edit. Col. an. 1557.

Pontific. Rom.

Antid. Anim.

decus seculi, speculum sanctorum, quod videre cupiunt spiritus cœlorum; tùm verò hæc rogant, *Nos ab omni macula purga vitiorum, salve vultus Domini imago beata, ex æterno munere mire decorata, lumen funde cordibus ex vi tibi data*; postremò denique: *Nos deduc ad propria, ô fœlix figura, ad videndam faciem, quæ est Christi pura.* Ipse Perronius alicubi affirmat veteres Christianos in ea fuisse sententia, ut putarent se à Sanctorum imaginibus protectionem ac tutelam quandam consequi. Bellarminus quidem vult imaginem considerari, ut *conjunctam cum exemplari, exemplar verò quasi vestitum imagine coli.* Hæc verò omnia non video quî consistere possint, si nullam imaginum virtutem, nullam vim esse statuatur. Thomas certè scholæ Romanæ princeps in genere definit *res inanimatas consecratione adipisci quamdam Spiritualem virtutem per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant.* Quod si Lauretanæ, aut Aspricollis, aut Ardillerianæ, ut vocant, Virginis imaginibus nullam omnino vim, aut virtutem inesse rentur, non facile quisquam divinaverit, cur quotidie ex diversis terrarum oris tanto labore ac sumptu tam multi ea loca adeant. Postremò ut qui inter Paganos subtiliori ingenio, quique

Bell. de Imag. c. 23.

Thom. 3. part. q. 85. art. 3.

ſibi *purgatioris* (ut ajebat Auguſtinus) *religionis* eſſe videbantur, ii ſimulacra in templis conſecrata pro Deorum ſignis & ſymbolis habebant; ſic etiam inter Chriſtianos imaginum cultores Tridentini cæteris ſuo judicio callidiores, ac defæcatiores hæc quæ venerantur non aliter ſe accipere clamant, quam ut ſanctorum effigies, ac omnem, qui ipſis exhibetur, cultum non aliò referendum eſſe, quàm ad perſonas illis tamquam ſignis expreſſas, atque repræſentatas. Itaque ſi, quod iſti de imaginum veneratione jam ſentiunt,id etiam olim ſenſerunt veteres Eccleſiæ Chriſtianæ Patres, palam eſt non potuiſſe eos ſine ludibrio ea quæ ſupra ſunt à nobis commemorata; Paganorum ſimulacris objectare. Quod verò negat Perronius ſacras imagines à ſuis pro *Dei aut Deorum imaginibus haberi*; id neque uſquequaque verum eſt, neque ad rem pertinet. Nam conſtat adverſarios, præter Sanctorum ſimulacra, effingere atq; colere Chriſti, Patriſque, & Spiritus Sancti imagines, in quas rectà ac ſine ulla exceptione conveniunt, quæ ſunt à priſcis Chriſtianis in numinis effigies jactata; adeo ut totâ iſtâ ſimulacrorum in religionis negotio criminatione abſtinendum ipſis fuerit, ſi eadem fuit illorum de

hoc argumento ſententia, quæ hodie eſt adverſariorum. Sed neque eſt ad rem illa Perronii exceptio. Non enim hic quæritur de imaginum objectis, Diine ſint an ſecus, quos illæ repræſentant, ſed de imaginum ipſarum uſu ac de cultu, quem iis deferebant Pagani. Fac veteres Chriſtianos idem cum noſtris adverſariis de hoc fidei capite ſenſiſſe. Fateor nihiloſecius iis licuiſſe Paganorum Deos irridere, totamque illam ineptiſſimam Gentilium theologiam impunè evertere, ac demonſtrare non Deos, ſed homines, vel hominum ſomnia & commenta fuiſſe quæ illi tamquam vera numina colebant. Hoc tantum volo, veteres, ſi hodiernam Romanorum fidem ſequuti ſunt, ſtultè & immeritò de Paganis expoſtulaſſe, quòd procumberent ante earum rerum imagines, quæ ab iis pro numinibus habebantur, cum hæc criminatio apertiſſimè in ipſos Chriſtianos recaſura fuerit; quippe qui ex hypotheſi eoſdem honores ſuorum cœlitum imaginibus exhiberent. Sic hodie adverſariis licet quidem tutò & ſine ullo talionis motu Paganorum deos refellere. At ſi iidem Paganos accuſare, graviterq; & acerbè criminari aggrediantur, quod ii imaginibus in religione utantur, nonne eo ſeſe omnibus ridendos propina-

pinarent, meritoque illud Satyrici audirent,

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Ex his ſatis ni fallor evicimus, multis modis falſum eſſe totum illud diſcrimen, quod ponunt adverſarii inter ſuam & Paganorum de imaginibus ſententiam. Sed fac eſſe verum. Ajo ne ſic quidem ſolutum iri vim objectionis noſtræ. Pagani, inquis, ſimulacra quæ colebant, Deorum imagines eſſe putabant. Eſto, inquam; etiamſi conſtet eos divina magno diſcrimine habuiſſe, Deumque ſummum, cui abſolutè id nominis convenit, accuratè ab inferioribus diſtinxiſſe, quos tamquam ſummi illius miniſtros ac famulos accipi & coli voluerunt. Iidem, inquis, putabant Deos in ſimulacris verè habitare. Non eam fuiſſe omnium opinionem ſatis ſuprà demonſtravimus. Fac tamen omnes ſic ſenſiſſe. Quid tum poſtea? Hęc quidem ſi ita conſtituantur, fatebor Chriſtianos non ideo abſurde Paganorum ſtuporem, & amentiam exagitaſſe, qui miſeris creaturis, & vaniſſimis figmentis ſanctum & ſummum Dei nomen, ac cultum tribuerunt, eoſque pro Diis immortalibus habuerunt, quos ne inter homines quidem cenſere dignum erat. Neque item negabo meritò ſugillatam fuiſſe à Chriſtianis

eorundem ſtultitiam, qui Deum, puriſſimam, ſanctiſſimam, & ab omni materiæ contagio longe ſemotam mentem, auro & argento, ligno & lapidibus, tanquam cœnoſo ac vili aliquo ergaſtulo concluderent. Sed qui Chriſtianus imagines ipſe veneratur, qui ante eas procumbit, qui cereos, qui thura iis offert, quodcunque fuerit illarum exemplar, is ludibrium debebit, ſi Paganos caſtigare ac irridere voluerit, quod eadem illa numiminum ſuorum ſimulacris deferant. Atqui hæc tria ſancti Patres ſeorſim ac diſtincte in Paganorum religione reprehendunt. Nam & prima illa ac præcipua Ethnicæ pietatis, vel, ut verius dicam, impietatis objecta, fictitios videlicet Deos, quos illi partim in cœlo, partim in aëre ac terra, & in omnibus mundi elementis locabant, eos fusè noſtri demonſtrant ex ipſis Gentilium monumentis homines fuiſſe, & quidem pleroſque ſceleratiſſimos, tyrannos ut plurimum & latrones, & rationibus ex ipsâ rerum naturâ petitis docent unum eſſe verum Deum, vt videre eſt ex iis quæ ſuperſunt veterum Patrum contra Paganos ſcriptis. Neque verò intactum, aut incaſtigatum relinquunt craſſum illud, atque ab omni ratione alieniſſimum Paganorum delirium, quo ſtatue-

tuebant divini numinis ſeu vim, ſeu ipſam etiam ſubſtantiam auro, argento, marmore, aliâve conſimili ſenſus & animæ experte materia illigari, atque includi poſſe. *Non improba*, inquit Arnobius, *neque aſpernabilis ratio, qua poßit quiuis tardus, nec non & prudentißimus credere Deos, relictis ſedibus propriis, id eſt cœlo, non recuſare, nec fugere habitacula inire terrena, quinimò jure dedicationis impulſos ſimulacrorum coaleſcere junctioni. In gypſo ergo manſitant, atque in teſtulis Dii veſtri? quinimò teſtularum & gypſi mentes, ſpiritus, atque animæ Dii ſunt? atque ut fieri auguſtiores viliſsmæ res poßint, concludi ſe patiuntur, & in ſedis obſcuræ coercitione latitare? Ergo illud à vobis parte in hac primum deſideramus, & poſtulamus audire, invitine hoc faciunt, id eſt jure dedicationis attracti ſimulacrorum ineunt manſiones, an proni & faciles?* & quæ conſequuntur paulo prolixiora. Tùm: *Et tamen, ô iſti, ſi apertum vobis, & liquidum eſt in ſignorum viſceribus deos viuere atque habitare cœlites, cur eos ſub validißimis clavibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliiſque hujuſmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atque habetis incluſos?* Hæc Arnobius. Sed præter hæc duo, quæ Patres in Paganiſmo reprehendunt, illud etiam tertium diſertiſſime criminantur, quod Gentiles ſimulacra, atque effigies eorum,

Arnob. l. 6. cont. Gent.

quæ

quæ pro numinibus habebant, venerarentur, uti ſupra fuſius obſervavimus. Rident, quod manuum ſuarum figmenta honorarent, quod ſaxa venerarentur, & ante materias ſenſu atque animâ carentes ipſi mente ac ratione præditi procumberent. Auguſtinus duo iſta in Paganorum cultu diſtinctè notat; unum quidem quod creaturis ea tribuerent, quæ ſunt unius creatoris; alterum, quod numini ſimulacra, rem ineptam ac Deo ingratam, offerrent. *Si templo,* inquit, *ſi ſacerdote, ſi ſacrificio, quod Deo vero debetur, colatur aliquod elementum mundi, vel creatus aliquis ſpiritus, etiamſi non immundus & malus, non ideo eſt malum, quia illa mala ſunt, quibus colitur, ſed quia illa ſunt talia, quibus ſolus ille colendus ſit, cui talis cultus, ſervitusque debetur. Si autem ſtoliditate vel monſtruoſitate ſimulacrorum, ſacrificiis homicidiorum, coronatione virilium pudendorum, mercede ſtuprorum, ſectione membrorum, abſciſsione genitalium, conſecratione mollium, feſtis impurorum, obſcœnorumque ludorum, unum verum Deum, id eſt omnis animæ, corporiſque creatorem colere ſe quiſque contendat, non ideo peccat, quia non eſt colendus, quem colit, ſed quia colendum, non ut colendus eſt, colit.* Hæc Auguſtinus. Fateor igitur illa ſanctorum Patrum loca, in quibus alter ex duobus primis Ethnicorum

Aug. l. 7. de Civ. D. c. 27.

rum

rum erroribus reprehenditur, ad hanc causam minimè pertinere, perperamque collectum, si quis ex iis concluserit, nullas Patres aut habuisse aut coluisse Christi, Sanctorumque imagines. Tantum ex iis, quæ in secundum errorem dicta sunt, legitimè colligi arbitror, neque agnitam neque creditam Patribus fuisse transsubstantiationem; quippe quæ apertissimè supponit illam à Patribus derisam numinis in terrenâ materiâ inclusionem, neque impossibilem esse neque absurdam. Quæ verò Patrum testimonia ad tertium criminationis caput pertinent, ea necessario conficiunt nullas veteres Christianos Christi Domini, vel Sanctorum imagines coluisse, quales aut septimæ Synodi patres olim, aut nunc Romana Ecclesia instituit ac defendit, cum rerum ipsarum, quas Pagani, Christianique venerantur, differentia (quam nos longe maximam esse confitemur) minimè prohibeat, quo minus utrorumque imagines ejusdem sint materiæ, planeque inter se similes qui ab utraque parte illis deferuntur cultus. Si nefas non est aureas, argenteasque, ligneas & marmoreas effigies ei numini, quod religiosè colimus, erigere atq; consecrare, si eas cum veneratione publicè circumferre atque ostentare,

tare, si thura cereosque iis offerre, & apud eas procumbere licet; hactenus certe non peccaverint Pagani, quod iis, quos pro numinibus habebant, imagines consecraverint, easque hujusmodi honoribus venerabundi affecerint; quantumvis alioqui gravis & fœdus error istorum fuerit, qui pro vero numine colebant, quod nihil minus erat quàm numen. Nam hoc semel posito atque constituto, quod eos quibus imagines consecrabant Deos vere esse crederent, non est difficilius cultum, quem hujusmodi imaginibus exhibebant, tueri, atque asserere, quam qui à Nicænis, Romanisque doctoribus sacris, ut appellant, Sanctorum imaginibus defertur. Quin & accuratius rem intuenti videtur illorum, quam horum causa omnis & ratio haud paulò facilior, atque expeditior. Nam (inquiet homo Paganus) si vobis Christianis fas est imagines erigere, atque consecrare vestris illis cœlitibus, quos Deos esse negatis; quanto æquius est me simulacris eos donare, quos pro veris numinibus habeo? Vos imagines & statuas, quibus nihil divinæ neque substantiæ, neque virtutis inesse putatis, salutatis tamen demississimè, apertoque capite & junctis atque expansis manibus, totoque prostrato corpore cernui, & sup-

plices

plices veneramini, magnificeque ornatas, & sericis indutas in humeris bajulatis, & ingenti pompâ circumfertis, longisque itineribus earum loca ac sacella aditis, liminaque & cancellos religiosis osculis atteritis; quanto igitur sanctiùs atque impensius colere me par est Deorum nostrorum simulacra? quæ non vacua, aut inania, sed præsenti numine, cœlestique virtute plena esse credo? Hodie quidem non solent Romanæ communionis homines in Sinensium, aliorumque in Oriente idololatrarum imagines invehi, aut earum in religione usum reprehendere. Contra, ut sunt callidi & solertes, hoc toto barbarorum instituto in rem suam abutuntur, quasque illi effigies, quæque sacra commentitiis numinibus antehac dicabant, hi mutatis tantùm nominibus in Sanctos & Sanctas cœlites transcribunt. Cùm igitur veteris Ecclesiæ doctores plane aliter cum priscis Paganis egerint; cùm non modò eorum errores de numinis natura, deque divinitatis in materiâ inclusione exagitaverint, sed ipsa disertè simulacra, & simulacrorum cultus, totumque hoc institutum damnaverint, reliquum est ut concludamus eos in religionis usu nullas aut rerum aut personarum, quas sanctas & divinas esse existima-

ſtimabant, effigies vel habuiſſe, vel coluiſſe. Ac ut hoc quoque auctarii vice addam, idem clariſſime ex eo apparet, quod Patres primos, ac vetuſtiſſimos Paganorum majores nonnunquam laudant, qui numen ſine ſimulacro coluerant. Varro litteris mandaverat antiquiſſimos Romanorum ſine ulla effigie aut imagine Deos coluiſſe totis centum & ſeptuaginta annis, *quod ſi adhuc manſiſſet* (inquit,) *caſtiùs Dii obſervarentur*; totumque hunc locum ſic concludere non dubitabat, ut diceret, *qui primi ſimulacra deorum populis poſuerunt, eos civitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe.* Hunc Varronis locum recitat, & dilaudat Auguſtinus: *Prudenter* (inquit) *exiſtimavit Deos facile poſſe in ſimulacrorum ſtoliditate contemni*; & paulò poſt, *Si aliquid contra vetuſtatem* (inquit) *tanti poſſet erroris, profecto & unum Deum, à quo mundum crederet gubernari, & ſine ſimulacro colendum eſſe cenſeret.*

CA-

CAPVT III.

Secunda ratio, ex iis ducta, quæ ad Christianorum super simulacrorum cultu objectamenta, Paganos olim respondisse accepimus.

SEd fac veteres Christianæ Ecclesiæ doctores (quod tamen est incredibile) aut incogitantiâ nescio quâ lapsos, aut nimio causæ studio præpeditos, Ethnicis ea objecisse quæ in se reciderent, propriamque ipsorum fidem, ac cultum everterent; Ethnici certe quibuscum illis res erat, imagines siquæ apud Christianos fuissent, venerationemque illis à fidelibus exhiberi solitam in hac causa non fuerant amissuri; supra memoratas Christianorum hominum in hoc argumento criminationes ipsorum usu, praxi, atque sententia dissolvissent, eorumque in Sanctorum imagines cultum in medium attulissent ad tollendam, aut certè mitigandam suæ in idola superstitionis invidiam. Hanc enim caussam, tametsi pessimam, mira calliditate atque versutia agebant, omnemque Christianorum fidem, omneis ritus, cultusque auxiè rimabantur, nihil omittentes, quod sibi vel in speciem quantumvis leviter favere videretur; adeo ut Celsus apud Origenē in hac ipsa quæstione id afferat, quod nos ex sacris litteris credimus *hominem*

Orig. contra Celsum. l. 7. pag. 384. cod. græc.

creatum esse ad imaginem Dei; indeque concludat vel ex ipsorum Christianorum sententiâ humanam formam divinæ esse imaginem; quam cavillatiunculam (ut notum est) ne ii quidem ex Christianis sunt in hac caussa aspernati, qui imaginum venerationem postea instituerunt. Quamquam certe nulla Ethnicis vel mentis solertia, vel singulari attentione opus fuit ad id vel eruendum, vel objectandum, quod ultrò se se in hac disputatione versantibus offerebat. Fingite enim quæso aliquem hodie Paganum in urbe Româ versari, imagines, quibus illic omnes affatim Ecclesiæ ornatæ sunt, pictas, sculptasque spectantem, multo auro, argentoque ac gemmis fulgentes, cœtumque innumerabilem utriusque sexus ante eas religiosissime prostratum, thura adolentium, cereos gestantium, fixisque in earum ora oculis precantium, honores etiam cernentem, quibus eæ interdum statis diebus afficiuntur, cum magnâ pompâ, incredibilique totius civitatis lætitiâ, atque exultatione per nobilissimos vicos hominum humeris triumphabundæ circumgestantur, affectante atque applandente confertissima mortalium turbâ; ac denique illa etiam intuentem quæ in earum sacellis fiunt, cum illuc ex omnibus Christiani orbis partibus

bus peregrini confluunt,loca quibus consecratæ ostentantur magna humilitate salutant, liminaque ipsa adorabundi exosculantur. Fingite jam si libet de istorum cultuum antistitibus aliquem, crucifixi imaginem manibus, ne quid desit, tenentem, cum Pagano illo, qui horum omnium testis ac spectator fuerit, de religione colloquentem, hominemque acerbius cum Athanasio objurgantem, quod ante ligna & lapides supplex procumbat, vel cum Lactantio dictitantem, perversum esse & incongruens, ut simulacrum hominis à simulacro Dei colatur, vel denique cum Chrysostomo admonentem nihil esse vilius homine ante res inanimatas se se incurvante; Dic sodes, nonne is Paganus vel suis idolis surdior & amentior, ipsisque illis, quæ adorat saxis, magis saxeus fuerit, nisi talia monenti hæc evestigiò respondens reponat; Quid est igitur, mi homo, quod vos quotidie ante simulacra procumbitis? Quid, quod nunc etiam in monentis manu imaginem video? Illæ sanctorum, quas habetis effigies, nonne sunt imagines? Qui vero eas colunt homines, nonne sancta sunt & animata Dei simulacra? Hominē ante saxum procumbere si fas est, quid nos damnas? Si nefas, quid tuos, qui hoc faciunt, ab-

ſolvis? Quis dubitat talia nunc Paganum hominem Romano magiſtro reſponſurum, &, ſi nullus ſit à diro Inquiſitorum tribunali metus, etiam liberâ ei indignatione exprobraturum non ferendam impudentiam, qui in alienis tam ſeverè exagitet, quod laudat ac commendat in ſuis? Atqui nihil hujuſmodi ad has veterum Chriſtianorum criminationes excipiunt propiorum Chriſti natalibus ſæculorum Ethnici, quibus neque ad obſervandam occaſionem ſubtilitas deerat, neque aut facundia ad eloquendum, aut ad audendum libertas, & auctoritas, cùm iis temporibus & locis rerum ipſi potirentur, nullaque tùm tribunalia eminerent, quæ non eorum cauſæ impenſiſſimè faverent. Lege Minutii Fœlicis Octavium; Tertulliani Apologeticum; Origenis libros octo contra Celſum; Evolve Athenagoræ, Lactantii, Arnobii, Iuſtini, Euſebii quicquid extat de hoc argumento. Illic invenies, quid noſtri Paganis objecerint, quid viciſſim Pagani aut noſtris exprobraverint, aut ad eorũ argumenta & rationes reſponſarint. Sola hæc, quam nuperrimè expoſuimus, in noſtrorum imagines retaliatio nuſquam occurrit. Colligamus igitur nullam iis dediſſe noſtros hujus exceptionis occaſionem;

nullas

nullas adeo habuisse in suis Ecclesiis Christi, vel sanctorum hominum imagines, nullas (quod faciunt hodie adversarii) religiosa veneratione coluisse. Neque hic quicquam juvat Perronii cavillatio, non fuisse huic exceptioni locum propter immane Ethnicorum simulacrorum à nostrorum scilicet imaginibus discrimen. Nam quibus temporibus imagines in Christianorum usu fuisse universi consentimus, iis profectò minimè Paganos deterruit illa, quæcunque tandem sit, differentia, quo minus in hac causa adhiberent eam venerationem, quam imaginibus à Christianis deferri videbant. Extat in Actis Concilii septimi cujusdam Joannis Thessalonicensis episcopi insignis in eam rem locus, quo Paganus cum homine Christiano de hoc religionis capite colloquens inducitur in hæc fere verba: *Vos ergo in Ecclesiis imagines non* Synod. VII. Act. 5. *pingitis Sanctis vestris, & adoratis illas? & non solum Sanctis, sed & ipsi Deo vestro? Sic ergo æstima & nos simulacra circumfoventes non ea adorare, sed incorporales virtutes, quæ per illa placantur*, sive potius *coluntur* (δι' αὐτῶν θεραπευομένας.) Mox verò cùm Christianus colloquutor quædam esset interfatus ad diluendam hanc exceptionem, *De Angelis verò* (inquit) *quid dicitis? Et ipsos namque depingitis*

pingitis ut homines, & adoratis, quamquam homines non ſint, ſed intelligibiles & incorporales & dicti & exiſtentes. Sic reputa & eos qui apud nos honorantur Deos per ſtatuas placari, (coli, θεραπεύεσθαι) *nihil inconveniens nobis agentibus, quemadmodum nec vobis ſuper depictis Angelis.* Et hactenus quidem Paganus ille diſputator. Quid? quod ne ipſos quidem ex Indiâ barbaros fugit hæc diſputandi cum Chriſtianis hominibus ratio? Narrat enim Petrus Martyr Mediolanenſis in iis, quos Italicè ſcripſit rerum Indicarum commentariis, tractûs Mexicani in novâ Hiſpaniâ barbaros, cùm eorum idola repente ſublata atque everſa fuiſſent, quatuor viros ex primoribus ad Alfonſum Zuaſum Licentiatum, cujus juſſu atque auctoritate id factum erat, miſiſſe; qui de injuria conquerentes hoc ejus conſilium ſibi præter opinionem eo magis accidiſſe docuerunt, quod viderent Chriſtianos quoque idola & imagines in uſu & precio habere, adorare, & colere. Tùm ſimul intento digito monſtrantes Sebaſtiani imaginem, quæ forte ad parietem prope Alfonſi lectum affixa pendebat, ſubjiciebant, quo ille hanc Sebaſtiani imaginem honore & cultu venerabatur eum ſe pariter idolis ſuis exhibere. Alfonſum perculit inexpectatum

Pietro Martire Hiſtor. delle Ind. l. 20. c. 11.

barba

barbarorum acumen, qui ut ſe recollegit, reſpondit Chriſtianos ſigna hæc, non qua ſunt imagines , ſed quatenus viros beatos ac in cœlis degentes repræſentant , venerari. Atque , ut dicto fidem faceret , Sebaſtiani imaginem de pariete dereptam præſentibus & ſpectantibus barbaris diſcerpſit. Adhæc illi, Neque ſe adeò rudes ac obtuſos eſſe, quam ipſos fingat; nam & imagines, non quà ſunt ſimpliciter imagines, adorare, ſed eadem omnino cum Chriſtianis ratione , qua Solem, Lunam, cæteraque cœli luminaria repræſentant. Quo reſponſo perturbatior Alfonſus, parva, ut ſic dicam, corporis declinatione diſputationem ab imaginibus ad res iis ſignificatas tranſtulit, quem Indi idolis cultum deferunt eum ad malos dæmones pertinere dictitans ; quem verò Chriſtiani imaginibus ſuis exhibent, eum contendens ad ſummum univerſi creatorem referri. Si ergo quæ Joannis Theſſalonicenſis, quæque Alfonſi Zuaſi temporibus de imaginibus, earumque cultu Chriſtianorum fuit ſententia, eadem quoque ſuperioribus ſæculis à Chriſto nato proximis fuiſſet, non eſt dubitandum, quin ipſis veteres Pagani idolorum adorationem, exprobrantibus eadem quæ iſti recentio-

res, fuerint reſponſuri. Quid enim prohibebat, quominus id facerent? Ingeniine tarditas, an differendi atque diſputandi imperitia? Atqui illos conſtat eruditione, atque eloquentia tantò his recentioribus fuiſſe ſuperiores, quantò ipſorum ſæculum hoc noſtro anterius fuit. Lege quæ ex eorum diſputationibus ſuperſunt apud Origenem, apud Minucium, Cyrillumque & Symmachum, atque alios. Fateberis non eo fuiſſe illos ingenio, qui ullum, ſi quod eſſet, cauſæ ſuæ præſidium, vel non animadverterent, vel animadverſum omitterent. Cum igitur hunc tam obvium, tamque ſpecioſum colorem in hac diſputatione minimè adhibuerint, quis non videt nondum illum iis temporibus extitiſſe? nullaſque tùm apud illius ævi Chriſtianos in religionis uſu aut cultu fuiſſe imagines? Sed quid opus eſt diutius immorari in expendendo Paganorum ſilentio, quorum diſſertiſſima extant, atque apertiſſima hac de re teſtimonia? Ii enim non modo nullas Chriſtianis objectant Dei, vel Sanctorum imagines, quas tamen ſi quæ tùm apud eos fuiſſent, ſine ſtupore & flagitio in hac diſputatione prætermittere non poterant, ſed contra identidem conqueruntur, quod noſtri nullis in reli-

gione

gione uterentur imaginibus, aut ſimulacris. Id illis crimini vertunt, ac in impietatis magnum argumentum rapiunt, quod homines ſimulacris aſſueti, & in eorum adoratione nati ac inſtituti, religionem & numinis cultum ſine his conſiſtere poſſe non putabant. Cæcilius, homo paganus, de Chriſtianis apud Minutium diſputans, *Cur nullas* (inquit) *aras habent? templa nulla? nulla nota ſimulacra?* Eandem fuiſſe Celſi de Chriſtianis querimoniam teſtatur Origenes; *Poſt hæc*, (inquit) *Celſus ait nos ararum, ſtatuarum, ἀγαλμάτων templorumque dedicationes fugere.* Sic etiam Arnobius Paganos alloquens; *In hac conſueſtis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus; non deorum alicujus ſimulacrum conſtituamus, aut formam; non altaria fabricemus, non aras.* Atque hæc quidem illi. Ego verò obſecro, ut Paganum illum, quem nuper in mediis Romæ, qualis ea hodie eſt, cultibus, atque religionibus verſantem fingebamus, eum iterum hoc loco adeſſe putes, & cum iſtis de rebus divinis colloqui. Fidem tuam appello; Eumne hodiernis communionis Romanæ hominibus omnino aliquid horum exprobraturum cenſeas, quæ olim Cæcilius & Celſus obje-

Minut. in Octav.

Orig. cont. Celſ. l. 8. p. græc. cod. 400. lat. 396.

Arnob. contra Gent. l. 6. init.

cêre? Eumne etiam clamaturum; *Cur nullas aras, nulla templa, nullas effigies sacras, nullas imagines habetis? Cur earum dedicationem fugitis?* Quod si aliquid hujusmodi conquestus fuerit, quisquamne erit, qui non hominem aut furere, aut certè ludere & εἰρωνεύειν existimet? Non sum equidem nescius animi affectibus sic interdum homines perturbari, ut quos oderunt in eos nonnunquam falsa, & ab omni veri specie abhorrentia crimina conferant. Sed non est tamẽ credibile quemquam inveniri posse adeò perditæ mentis & frontis, ut Romani Pontificis Ecclesiæ ista ausit imputare; quod omnino perinde esset, ac siquis hodie Iudæos & Musulmanos (quos omnia prorsus simulacra summo horrore abominari nemo nescit) accusaret tamen, quod Synagogas & Mescuitas imaginum plenas habeant. Fac tamen, quod nequaquam verum est, priscis illis sæculis passim in Christianorum Ecclesiis fuisse imagines religione consecratas, cultasque eo ritu, qui nunc Romę obtinet. Profectò negari non potest (siquidem ita sese res habuit) debuisse illius ęvi Christianos Paganis tam stultè, tamque impudenter disputantibus respondere suas sibi esse in religionis usu imagines, quamquam aliis rebus, personisque

nisque consecratas, quàm quibus sua simulacra dedicabant Ethnici. Siquis enim hodie apud Sinas idololatra sic desipiat, ut à Iesuitâ de religione disputans hoc quærat, *Cur nullas Christiani habetis aras? nulla templa? nulla simulacra? nullas sacras imagines?* Jesuita haud dubiè, sic interrogantem non aliis, quam his aut similibus verbis excipiet: *Tu verò vehementer falleris, ô bone. Sunt nobis altaria, in quibus quotidie hostiam offerimus omnium peccatorum verè expiatoriam. Sunt templa; sunt imagines, vero Deo, verisque ejus ministris sacræ. Nullum hujusce generis ornamentum in nostra religione desiderabis; neque quicquam ei deesse aliud comperies, quàm profanos impietatum vestrarum cultus.* Itaque si veteris Romæ Christianismus idem hac in parte olim fuit, qui nunc est novæ, fieri non potest, ut vel Octavius, vel Origines (nisi eos stupidos, & ipsius communis hominum sensus expertes facimus) illam Cæcilii, Celsique expostulationem sine confutatione, dimiserint, improbè quiritantium, quod Christiani nulla simulacra, ἀγάλματα, haberent. Omnino coarguenda fuit tam immanis, tamque importuna calumnia; monendusque adversarius Ecclesiis Christi, quamquam neque Jovis, neque Mercurii aut Veneris signa colentibus, non

non deesse tamen sua hujus generis ornamenta; ac ut Pagani eorum, quibus supplicabant, numinum simulacra suo ritu dedicabant, sic etiam Christianos Dei optimi maximi rerum conditoris, Domini Iesu religionis suæ principis, & divinorum virorum, quos Deo carissimos fuisse intelligant, effigies atque imagines certâ quadam ratione, eâque fidei suæ convenientissimâ consecrare, & colere. Atqui certum est eos non modo nihil hujusmodi respondere, sed insuper ea Paganis sic disputantibus reponere, quæ apertissimè conficiunt aut non posse, aut non licere, aut certè non expedire fieri ullam Dei imaginem. *Quod enim simulacrum* (inquit Octavius) *Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit? & cum homo latiùs maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam?* Nonne *meliùs in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore? Hostias & victimas Deo offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus? Ingratum est, cum sit litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia. Igitur qui innocentiam colit Deo supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo*

Minuc. in Octav.

periculo surripit, optimam (an opimam?) *victimam cadit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille, qui justior.* Atque hæc quidem est Octavii ad Cæcilianam de simulacris interrogationem responsio; quæ utris aptius conveniat Genevensisne, an Romanæ disciplinæ Christianis, cordato lectori judicandum relinquo. Neque aliter Celsum suum excipit Origenes de Christianis expostulantem, quòd ii aris, simulacris, atque imaginibus carerent; *Pro aris*, inquit, *nobis mens sua cuique est, ex qua sursum feruntur verè ac intelligibiliter suaveolentes suffitus, preces è pura conscientia.* Tum pauculis interjectis: *Simulacra autem Deo dicanda sunt non fabrorum opera, sed à verbo Dei dedolata, formataque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem primogeniti totius creaturæ.* Mox denique; *Audiat qui vult doctrinam nostram, quod corpora nostra templum Dei sunt*; & quæ consequuntur. Profectò fatendum est, aut nullas tùm coluisse imagines Domini Christi Ecclesiam, aut tàm Paganos, qui hæc objicerent, quàm Christianos, qui sic ad objecta responderent, utrosque pariter desipuisse; quod nemo nisi stultus aut furens dixerit, cùm quæ in utrorumque disputationibus ubique elucet mentis, & ingenii vis summâ cum eloquentiâ atque erudi-

Orig. contra Celf. l. 8. p. gr. 400. lat. 396.

Ibid. p. gr. 402. Lat. 396.

eruditione conjuncta satis clamet, quàm cordati, quamque præstantes fuerint illi viri.

Sed hic occurrit Perronius, vetatque ne ex supra laudatis locis colligamus nullum fuisse apud veteres Christianos imaginum in religione usum. Pertendit enim Cæcilium, cùm is apud Minucium quærit, *Cur nulla habent nota simulacra?* hoc velle, Christianorum imagines, non quidem nullas fuisse, sed hujusmodi quæ aut clam Paganis haberentur, aut rerum essent Paganis ignotarum, & ab eorum usu abhorrentes, id est aliud essent, quam Deorum Gentilium effigies. Nam hæc solennis est nostri Perronii stropha, quod nusquam in Patrum scriptis occurrit, id causari ab iis occultatum ac celatum fuisse de industria. Sexcenta sunt apud veteres de Eucharistiæ sacramento loca, in quibus nuperæ transsubstantiationis neque vola apparet, neque vestigium. Nempe (inquit Perronius) hoc illi mysterium in arcano habebant, neque id umquam apertè coram vulgo enunciabant. Ita etiam in hac disputatione, cùm nullas extare in veterum Patrum religione imagines videret, homo versutus & pristini doli memor, jactat eas à Christianis fuisse occultatas. Hic verò primùm

Refutat. du disc. f. 177. b

quæro,

quæro, quid causæ fuerit, cur Patres Paganis suum imaginum usum ignotum esse voluerint, quo nihil istis quidem erat in religione jucundius, aut acceptius. Patribus istis mira, planeque singularis affingitur prudentia, qui procul à Paganorum oculis atque aspectu id haberent, quod unum maximè eorum in se odia mitigare, & novitatis ac religionis nostræ invidiam minuere poterat; in quâ nihil istos constat tam graviter, tamque acerbè tulisse, quàm quod in eâ nullas imagines viderent. Neque vero hic caussandum est, Christianorum imagines, quod non essent rerum Paganis familiarium, eorum offensionem potius exacerbaturas, quam placaturas fuisse. Pagani enim nihil amplius requirebant, quàm ut ejus, quem usurpabant, cultûs speciem aliquam cernerent, quamquam alioquin ora vultusque, imò & ipsæ formæ simulacrorum non parum ab iis differrent, quæ ipsi seorsim colebant. Romanus Ægyptium ferebat, Deum bovis, vel arietis, vel etiam canis formâ pingentem: satisque habebat aliquid pictum, sculptumve videre. Sed neque quicquam hodiernæ habent Romanæ religionis imagines, quod cum veterum Paganorum usu, moribus, civilitate pugnet. Virorum & mulierum for-

mæ ſunt; eæque non minus variæ, aut venuſtæ, quàm Ethnicorum numinum icones. Siquis eas Paganus eo ritu, ornatuque, qui nunc Romæ obtinet, ſacratas, poſitas, picturatas, inſtructas, coronatas aſpexiſſet; ſi thura, quæ iis adolentur, ſi cereos, qui accenduntur, ſi venerationem, quæ defertur, ſi ſacella, quæ dedicantur, magnâ adorantium turbâ frequentia, ſi menſas opimis donariis onuſtas aſpexiſſet, non dubito quin tam beatâ pompâ contentus Chriſtianos evestigio tamquam fratres amplexurus, eorumque religionem, veluti ſuæ germanam probaturus fuerit; quod quàm verè affirmem, ſatis evincit vel illius Ethnici exemplum, quem nuper audiebamus cultum ſuorum ſimulacrorum cum iis hominibus comparantem, quos ſequiorum ſæculorum Chriſtiani Domini Ieſu, Angelorum, ſanctorumque hominum imaginibus deferebant. Si quas igitur hujuſce generis habuiſſet priſca Chriſti Eccleſia, ſi quas religiosè (ut nunc fit) coluiſſet, eas haud dubie Paganis Sancti Patres non modo non occultaſſent, ſed pro ſua prudentia patefeciſſent, ſub oculis poſuiſſent, atque oſtentaſſent, quando earum aſpectus plurimum videtur habiturus fuiſſe momenti ad placandam, aut certè mi-

minuendam eam invidiam, quâ tùm religio Christiana apud ipsorum principes & cives flagrabat. Itaque quod nescierunt Pagani ullas extare in Christianorum Ecclesiis imagines, id ipsum apertissimè evincit nullas revera tunc temporis apud eos fuisse in religione usurpatas. Fingamus tamen, quando sic Perronio libet, illius ævi Christianos præposterâ nescio quâ, planeque incredibili sapientiâ imagines suas occultasse; illud quidem certè negari non potest ab iis exegisse tùm caritatis, tùm prudentiæ Christianæ rationes, ut urgentibus adversariis, & magnâ voce, quòd simulacris carerent, exprobrantibus, sibique id vehementer displicere testantibus, quicquid erat hujus mysterii patefacerent; docerentque tandem bonâ fide, neque suas deesse Ecclesiæ imagines, quamquam ab Ethnicis diversas, iisque se debitum cultus & venerationis modum exhibere, nec quominus eas in lucem proferant alio se metu deterreri, quàm imminentis ab ipsorum sævitiâ persecutionis. Quis non intelligit Octavium (siquidem is eadem cum VII. Synodo de religione sensit) hanc confessionem, atque instructionem suo Cæcilio debuisse? Atqui nihil ille hujusmodi, ut supra audivimus. Tantùm affert

aliquas rationes, quibus probet Deum pingi nefas esse, eoque satis testatur nullum se Dei simulacrum, nullam habuisse aut agnovisse imaginem. Duæ enim omnino sunt depellendæ accusationis rationes; altera, qua id quod objicitur, factum esse negamus: altera, quâ id quod factum confitemur, jure factum fuisse defendimus. Christianos accusat Cæcilius, quod nulla habeant simulacra nota. Pro Christianis respondet Octavius, nihil opus esse simulacris. Id igitur admittit, quod objiciebatur, nulla videlicet sibi aut suis esse in religionis usu simulacra. Aliter absurda est, & ridicula omnis ea, quâ utitur, defensio, negans necessaria esse in religione simulacra. At (inquies) si nullæ omnino Christianis fuerunt in religionis usu imagines, cur non simpliciter expostulat Cæcilius, quod ii *nulla habeant simulacra?* quorsum illud adjicit, *simulacra nota* nisi, ut significet fuisse iis aliqua, sed ignota? Prætereà si nullas Christiani imagines clam Paganis habuerunt, quid ista sibi volunt, quæ Cæcilius ante ea verba, quæ superiùs recitavimus, quæsiverat, *Cur occultare & abscondere quicquid illud colunt magnopere nituntur, cùm honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?* Ad hæc ego respondeo

Paga-

Paganos, qui nullam religionem norant, quæ non visibilem aliquam numinis effigiem coleret, aut certè cultus externos, cæremoniasque aliquas usurparet, cùm nihil apud Christianos hujusmodi occurreret, non imago, non sacrificium, non symbolum aliquod mysticum, hæsisse ambiguos, quid de illorum Deo statuerent, eoque adductos esse, ut alii aliud de eo suspicarentur; quemadmodum & apud hunc ipsum scriptorem, & fusiùs apud Tertullianum in Apologetico videre est, c. 16. tot.
ubi diversissimæ, absurdissimæque, ac planè prodigiosæ commemorantur aliquot Gentilium ea de re sententiæ. Cæcilio in eadem judicii difficultate æstuanti illud succurrit, fieri posse, ut turpis & inhonestæ formæ numen in arcano Christiani colerent, cujus adeò effigiem pudore aliquo deterriti neque vulgare, neque palam proferre auderent. Hoc ille suspicans quærit, *cur abscondere quicquid illud colunt nitantur? cur simulacra nota nulla habeant?* orationem sic temperans, ne rem dubiam, ac parum compertam iis pro certa objectare videatur, ac si dicat, Aut nulla omnino simulacra habent, aut si habent aliqua, occulta certè habent, & hujusmodi quæ nostris oculis, ac sensibus palam objicere non sustinent. Hanc

verò esse Cæcilii mentem id principio evincit illa, quam instituit, nostrorum cum Iudæis comparatio; *Iudæorum sola & misera gentilitas unum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, cerimoniisque coluerunt*. Tùm neque nos Octavii ad ista responsio dubitare sinit, quin hic fuerit Cæcilio animus: *Putatis* (inquit) *nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus. Quod enim simulacrum Deo fingam, cùm si rectè existimes sit Dei homo ipse simulacrum*. Iam verò (sicuti supra docuimus) nullas apud Christianos fuisse in religionis usu imagines hoc ipsum satis apertè arguit, quod fuisse aliquas nesciverunt Pagani: tùm & illud etiam apertius, quod hoc criminantibus Paganis sic respondent homines Christiani, quorum vel plurimum intererat, si quæ tùm fuissent apud ipsos imagines, ut eæ promerentur atque ostentarentur Paganis potiùs, quam ut absconderentur, atque occultarentur. Sed antequam ad alia progredior, non erit fortasse alienum paucis obiter explicare, quid illud sit, quod ait Cæcilius illius memoriæ Christianos nulla templa habuisse. Neque enim sic accipienda est hæc ejus oratio, quasi nullæ tùm fuerint ædes, in quibus Christianæ communionis homines

Minuc. in Octav. ubi supra.

Ibid.

nes ſacros conventus habuerint, quo & de rebus divinis edoceri, & communi Deo unà ſupplicare poſſent; qualia ſunt, quæ hodie Proteſtantium dicuntur *templa*. Nam non modo ex Euſebii hiſtoria, ſed & ex aliis aliquot veteris Eccleſiæ monumentis ſatis conſtat, jam tùm Chriſtianis fuiſſe ſacras hujus generis ædes; quibus ſi uſpiam caruerunt, id factum Paganorum vi ac injuria, præter fas eam piis hominibus copiam ac libertatem invidentium, non autem ulla Chriſtianorum ipſorum religione. Verum & Minutius hoc loco, & alibi fortaſſe alii *templi* nomine locum intelligunt Dei ac divini cultûs proprium, nec tam uſu, quam dedicatione ſacrum, in quo numen peculiari quadam ratione inſidere, vimque ac potentiam longè aliter, quàm alibi exerere putatur; in quo denique ob hanc maxime cauſam numini, tamquam iſtic magis præſenti, externum ac proprie dictum ſacrificium offertur; quale fuit Hieroſolymitanum Iudæorum templum; qualia etiam vel olim fuêre Paganorum, vel nunc ſunt Romanorum hominum templa. Hujus ſane generis templum nullum, neque priſcis illis Chriſtianis quondam fuit, neque nobis nunc eſt; quò non obſcurè reſpicit Octavius, cùm negat

intra unam ædiculam vim divinæ majestatis includendam. Quod enim pertendit Perronius tùm à Minucio hoc loco, tùm vulgò à Paganis *templi* vocabulum eo sensu acceptum fuisse, ut eam tantùm ædem significaret, in qua simulacrum aliquod inesset Ethnico ritu consecratum, ac (ut græcè quod ille ait eloquar) ἀποθεωθὲν, id, inquam, futile est hominis causæ servientis commentum, quòd nullo negotio everti potest. Ac Paganis quidem *templum* id non modo fuisse, in quo Deorum simulacra essent posita, sed etiam id in quo nulla esset imago consecrata, clarissime evincit vel unus hic Plutarchi in Numa locus, quo Romanos ait *primos centum & septuaginta annos templa* (ναοὺς) *extruxisse, & cellas Diis, simulacrum per id temporis nullum habuisse, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus, neque aliter aspirari ad Deum, quam mente posse.* Idem quoque confirmat Lampridii in Alexandro Severo locus, quem hic totum describere placuit, quod insignis sit, & ad rem nostram vel maxime pertineat, doceatque nullas priscis illis temporibus in religionis usu apud Christianos fuisse imagines; *Christo templum facere voluit* (de Alexandro loquitur) *eumque inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civita-*

Plut. in Num.

Æl. Lampr. in Alex. Severo. edit. Salm. p. 120. A

civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ hodie iccirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra repererant, omneis Christianos futuros, si id optatò evenisset, & templa reliqua deserenda. Atque sic quidem tùm Plutarchus, tùm Lampridius *templi* nomine donant etiam eas ædes, in quibus nullæ inerant imagines. Minutium verò ipsum, certum est, neque sic *templi* nomen intelligere, ut non aliter usurpet, quàm pro ea æde, in qua sit simulacrum Ethnico ritu dedicatum, quippe apud quem occurrunt illa jam à nobis supra recitata de Judæis verba, quibus ait Cæcilius *eos unum Deum templis, aris, victimis coluisse.* Quo loco Cæcilius dum Christianos Judæis hac in parte opponit, clarissimè demonstrat, se, dùm negavit Christianos ulla habere templa, id eo, quo paulo ante accepimus, sensu dixisse, non autem eo, quem ipsi affingunt adversarii. Sed jam ad imaginum causam redeamus. Celsum suprà apud Originem audivimus simpliciter negantem ulla à Christianis dedicari simulacra. Jam ad hæc sic respondet Perronius, ut dicat, *non eam fuisse ejus mentem, ut nullas plane fuisse Christianorum imagines intellexerit, sed ut nullas fuisse Deorum nomine Ethnico ritu consecratas,*

Refut. du disc. fueill. 178. a

ſecratas, atque deificatas. Quid his hominibus facias, qui ut cauſam tueantur, Dei hominumque ſermonem pro libidine invertere non verentur? Negat Chriſtianos ſimulacra dedicare. Minimè vero, inquit Perronius. Non hoc ille negat: quod vult, longè aliud eſt. Fuitne umquam ulla vis major, aut iniquior, quàm ut tibi jus atque auctoritatem ſumas, ipſas hominum & quidem ante multa ſæcula mortuorum cogitationes pro arbitrio immutandi? Sed & quam adfert Perronius ſui hujus commenti rationem, ea verò mira eſt. Nam ἀγάλματος, inquit, *id eſt ſimulacri nomen, quoties à Paganis κατ' ἐξοχὴν & de rebus ad religionem pertinentibus uſurpatur, toties ſtatuam ſignificat Dei alicujus titulo conſecratam, ac,* ut ille loqui amat, *deificatam.* Ego verò omnium Græciæ Grammaticorum fidem hic appello, una voce teſtantium ἄγαλμα apud Homerum quidem & alios vetuſtiſſimos hujus linguæ auctores ex ipſius vocis etymo id in genere fuiſſe, quocumque quis gaudet, ἀγάλλεται, qualia ſunt quæ elegantiæ aut precii cauſſa, vel in Deorum templis reponuntur donaria, vel in hominum theſauris aſſervantur κειμήλια; apud recentiores verò, quorum in numero Celſus eſt, ἄγαλμα ἰδίως ξόανον propriè ac peculiariter

Euſtath. in Iliad. edit. Rom. p. 456. 22. 31.

liariter esse simulacrum; undè ἀγαλματοποιὸς dicitur is, qui Latinis *statuarius vel sculptor*, non qui simulacrum consecrat, aut dedicat, sed qui effingit, quique ei non Dei, sed simulacri formam indit, ex quo ductum est verbum ἀγαλματοποιεῖν, simulacra non consecrare, sed facere atque fingere; quæ perpetua est horum vocabulorum apud Græcos scriptores significatio. Sic enim utrumque usurpavit Origenes, & quidem, ne longe petenda sint exempla, paucis supra eum locum versibus, de quo nunc disputamus, ubi habes hæc verba, ἐπὶ τῶν ἀγαλματοποιῶν οἱ μὲν τινές εἰσι θαυμαστῶς κατορθοῦντες τὸ ἔργον, ἕτεροι δὲ ἔλαττον ἀγαλματοποιοῦσι: quæ sic reddidit Gelenius, *Inter simulacrorum artifices quorundam usque ad miraculum excellunt opera, aliorum minus bona sunt*; proprie, *minus bene* aut *minus commode statuas faciunt.* Itaque cum generale sit ac indefinitum ἀγάλματος vocabulum, quodvis nullo discrimine simulacrum significat sacrum, profanum, civile, religiosum, publicum, privatum, seu Pagani, seu Christiani; neque aliud quicquam in ea re, cui tribuitur, præter simulacri formam ponit; non aliter quàm *hominis* nomen quodcumque animal ratione præditum, cujuscumque census, ingenii ac dignita-

Orig. l. 8. cont. Cels. p. 401.

tis ſimpliciter ac promiſcuè comprehendit; ut non minus τῷ ἀγάλματι *ſimulacro* accidentale ſit, & præter rei ipſius naturam adventitium *ſacrum eſſe.* vel ut cum adverſario loquar *deificatum*, quàm homini *muſicum eſſe* vel *ſacerdotem.* Ex Chriſtianis ſane quotquot imagines colendas putaverunt iis nulla fuit religio ἀγάλματα appellare, quas ipſi hunc in uſum conſecrabant; quod videre eſt in illo apud
Conc. 7. Act. 1. VII. Synodi Patres decantatiſſimo Iſidori dicto, ναοῦ λόγος οὐδεὶς ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα. *Templi nulla ratio quod non coronat ſimulacrum.* Neque enim eos puto de ſimulacro Ethnicorum ritu conſecrato, atque deificato intelligere. Poſſem ſexcenta ejuſdem generis exempla afferre. Sed nihil opus, cùm adverſarius, quod affirmamus, id ipſum concedere videatur; quippe qui τοῦ ἀγάλματος ſenſum tum demum reſtringi vult, ubi id vocabulum à Paganis, & quidem de religione fuerit uſurpatum; tacitè confitens latiùs eſſe intelligendum, ſi quando vel in Chriſtianorum hominum ſermone occurrat, vel de rebus extra religionem poſitis dicatur. Sic enim definiunt ἀγάλματος nomen, ut *quoties à Paganis κατ' ἐξοχὴν & de rebus ad religionem pertinentibus uſurpatur, toties ſtatuam ſignificet Dei alicujus titulo conſecratam*

tam

tam ac deificatam. Mira ſanè definitio, quam vix eſt, ut eo ſenſu conſtituas, quo vel non falſa, vel certè non inepta ſit. Falſa eſt, ſi, quod verba præ ſe ferunt, ſignificet Paganum hominem de religione verba facientem numquam vocem ἀγάλματ⊕ uſurpare, niſi de ſimulacro ſuo ritu conſecrato. Quid enim vetat, quo minus is æneam illam ſtatuam, quam Chriſto Paneade dedicatam fuiſſe fama erat, ἄγαλμα appellet, ſi de eâ forte ſermo inciderit? Profecto quod Sozomeno Chriſtiano ſcriptori licuit, non video cur non ęque Pagano homini licuiſſe exiſtimandū ſit. Sin Perronianam τ̃ ἀγάλματ⊕ diſtinctionem ſic accipias, ut velit eo nomine cenſeri ſimulacrum Deo alicui Ethnico ritu conſecratum, quoties de iis dicitur imaginibus, quæ ſunt à Paganis in religionis negotio uſurpatæ; quid fingi poteſt ineptius, aut dilutius? Sic enim eò tandem res delabetur, ut id nomen *ſimulacrum deificatum* ſignificare exiſtimandum ſit, quoties de ſimulacro deificato dicitur; ac ſi pronunciem *hominis* nomen, quoties de muſico dicitur, toties eum deſignare, qui muſicam calleat. Horribile ſanè arcanum, planeque dignum, quod nobis à tanto Magiſtro patefieret. Ego verò & hujus, & cæterorum vocabulorum

Sozom. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 21. ἐπίσημον χριστοῦ ἄγαλμα.

bulorum

bulorum ſenſum pro ſubjectarum rerum natura accipiendum, & ex eâ conſtituendum, atque definiendum eſſe confiteor. Itaque iis in quibus verſamur locis, cum de religione ſermo ſit, concedo ea ſignificari ſimulacra, non quæ in vitâ communi, ſed quæ in religione uſurpatur, Celſoque eam eſſe mentem, non ut Chriſtianos neget ullas domi habere vel ad ornatum ædium, vel ad memoriam amicorum imagines, ſed ut eos ſignificet nullas in religiois uſu, nullas in rebus ſacris atque diuinis adhibuiſſe. Quod ſatis docet, & res ipſa de qua loquitur, & id quod uſurpavit verbum, dùm ait Chriſtianos ἀγάλματα ἱδρύσθαι φεύγειν, hoc eſt interprete Gelenio, *Statuarum dedicationem fugere.* Nam ut eſt ab Euſtathio alicubi obſervatum, ἱδρύεσθαι propriè dicitur templum, vel ſimulacrum. Si verò quæ ſequioribus poſtea ſæculis in Chriſtianorum Eccleſias irrepſere effigies, atque imagines, eas jam tùm pariter conſecrari, atque dedicari uſus fuit; obſecro, quid iſto philoſopho ſtultius, aut ineptius fieri poteſt, qui iſtos reprehendit, quod ſtatuarum imagines fugerent? Sed Chriſtianorum (inquit Perronius) aliæ ſunt, quàm Paganorum imagines. Quis negat, cum & ipſa Paganorum ſimulacra cultu, forma, habitu,

In Iliad. ed. Rom. 387. 8.

habitu, immane quantum inter se discreparent? Satis est, quod quamquam in cæteris diversa, in hoc certe conveniunt, quod utraque sunt ἀγάλματα, id est simulacra, quæ tam hi, quàm illi in religione, rebusque sacris pro suo quique animo ac sensu usurpari voluerunt. Quæ apud Romanæ communionis homines in usu est Eucharistia non parum à nostrâ differt; neque omnino idem est Æthiopum & Latinorum baptismus. Non ideo tamen ferendus fuerit, si quis aut nos Eucharistiâ, aut Æthiopes baptismo carere diceret. Ita neque siqua est inter Christianorum, & Paganorum imagines differentia, ea efficit, ut Pagano homini liceat de horum temporum Romanis conqueri, quod ii *statuarum dedicationem fugiant*. Sed illud est præterea in Perronianâ distinctione observandum, quod etiamsi concederetur τοῦ ἀγάλματος vocabulum in religionis negotio usurpatum semper simulacrum significare ejusdem generis cum iis, quæ colebantur ab Ethnicis, non ideò tamen confectum erit, simulacrum eo sensu, aut esse imaginem Dei, aut signum deificatum. Nam præter Deos, Pagani etiam heroas, semideos, & dæmones colebant, iisque simulacra dedicabant, majoremque eorum,

quæ

quæ adorabant partem, improprie tantum, & καταχρηστικῶς Deos appellabant; quippe quos primi illius, summique numinis, cui uni proprie Dei nomen convenit, ministros & internuncios esse statuerent. Quod verò pertinet ad simulacrorum ἀποθέωσιν, qui eam tam sæpe in hac causâ jactant adversarii, iidem confitentur acutissimos & subtilissimos quosque Paganorum habuisse idola pro meris deorum signis & imaginibus, quod etiam à nobis supra fuit demonstratum. Ex his verò constat ut maximmè ex Paganorum sensu atque opinione metienda sit *simulacri* significatio, id nomen nihilosecius eas etiam complexurum imagines, quæ neque Dei alicujus sunt, neque vero ἀποθεωθεῖσαι censentur, sed ad significandam duntaxat rerum divinarum naturam instituuntur, atque dedicantur, cujus generis cùm sint haud dubiè, quæ Romana nunc Ecclesia veneratur Sanctorum simulacra, ea profecto relinquitur nullum apud veteres Christianos in usu religionis olim locum habuisse. Jam vero notandum est Celsum unum fuisse de subtiliorum numero, qui sacras Paganorum imagines, non pro Diis, sed pro Deorum signis, atque donariis habebant, quod & ipse (uti supra memoravimus) profitetur,

profitetur, & Origines alibi disertè testatur, *Celsus* (inquit) *ea simulacra ait non Deos sed Deorum donaria* (ἀνάθημα⁊) *se existimare.* Ex quo consequitur, cum is ipse sit, de cujus verbis controversia est, ἀγαλμάτων nomen hic necessariò ex ejus sensu sumendum esse pro imaginibus numini dedicatis, non autem, quod comminiscuntur adversarii, pro simulacris in nescio quam divinitatem consecratione permutatis, quo in numero ne ipse quidem Celsus sua simulacra censuit. Quod ipsum etiam evidentissimè confirmant quæ idem alibi ex Herodoto refert Persas *statuas* τὰ ἀγάλμα⁊, *aras*, *templa nec ipsos dedicare, & alios qui hoc faciunt pro stultis habere.* Quid? hoccine vult Celsus, nulla quidem Persis in usu religionis fuisse simulacra deificata, aut Deorum titulo dedicata, fuisse verò alia eò tantum instituta, atque consecrata quò sive Deos, sive heroas aut repræsentarent, aut significarent? Minimè gentium. Clarum est eum velle apud Persas in religionis usu nulla omnino cujuscunque generis, aut instituti fuisse simulacra, quod necessariò conficit adducta ab Herodoto ratio. Ille enim subjicit Persas id sibi sic instituisse videri, *quod Deos non crederent esse humana specie, quæ Græcorum est opinio.* Non est ergo dubitan-

Orig. contr. Cels. l. 7. p. 387. cod. gr.

Id. l. 7. contr. Cels. p. 384. cod. gr. 381. lat.

Ibid.

dubitandum, quin Celſus, cùm ibidem ait Chriſtianos *non ferre templa, aras, ſtatuas τὰ ἀγάλματα aſpicere*, pariter intelligat nulla omnino fuiſſe apud Chriſtianos ſimulacra, non autem (quod volunt adverſarii) nulla fuiſſe ἀποθεωθέντα, tametſi eſſent quædam apud eos alterius generis ad hoc tantùm inſtituta, ut Dei Sanctorumque naturam exprimerent ac repræſentarent. Sed quæcumque fuerit in his Celſi mens, ex Origenis certè reſponſione liquet illorum temporum Chriſtianos nullas habuiſſe ſacras (ut vocant) imagines, quas, ſiquæ tùm apud eos fuiſſent, non erat hoc loco omiſſurus Origenes, ſed Celſi errorem detecturus, atque ſuarum à Paganicis diſcrimen demonſtraturus. Non minor olim fuit inter Chriſtianorum, & Gentilium feſta differentia quàm quæ hodie eſt inter Romanorum & Paganorum ſimulacra. Cum autem idem ille Celſus Chriſtianis objeciſſet, quod nullos, ut Pagani, dies feſtos celebrarent, Origenes hominem ſtatim refellit, multaque de eo argumento ſanè præclara exſequutus, noſtram Dominicam, Paſcha, atque Pentecoſten, Chriſtianorum feſta, diſertè nominat. Hic itaque in causâ plane conſimili, ſiquæ tùm fuiſſent apud Chriſtianos

Id. ib. l. 8. p. 404. cod. græ.

ſtianos

ſtianos imagines, non eſt dubitandum, quin eas pariter commemoraturus fuerit Origenes, exprobrante Celſo totum hoc genus fugere & odiſſe Chriſtianos. Atqui nihil ille hoc loco de iſtis imaginibus. Imagines quidem, & effigies aliquas affert in medium, quas maximo tùm apud Chriſtianos in precio & honore fuiſſe confitetur, ſed prorſus ab iſtis, de quibus nunc diſputamus, alienas; *Simulacra autem*, inquit, *Deo dicanda ſunt, non fabrorum opera, ſed à verbo Dei dedolata, formataque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem primogeniti totius creaturæ, in quo ſunt juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, ſapientiæ, pietatis, cæterarumque virtutum exempla. Hæ ſunt ſtatuæ Deo dicatæ in animis juſtitiam juxta præceptum Dei, & fortitudinem & pietatem, reliquaſque virtutes exercentium, quibus decenter honorari credimus omnium hujuſmodi ſtatuarum archetypum primum, imaginem inviſibilis Dei, Deum unigenitum*; & quæ ſequuntur apud eximium Scriptorem. Ex quibus primùm videre eſt, quàm vana fuerit omnis adverſariorum de ἀγάλματος ſive *ſimulacri* vocabulo ſuſpicio, quaſi id non aliis ſignis conveniat, quàm quæ à dæmonibus inſidentur. Nam illud ipſum nomen, quod adeo dirum & horrendùm fingebat Per-

Ib. l. 8. p. 400. cod. gr. lat. 396.

ronius, tùm ſanctiſſimis Chriſtianæ pietatis virtutibus, tum ipſis quoque fidelibus tribuere non veretur Origenes, dum Chriſtum Jeſum τὸ πρωτότυπον πάντων ἀγαλμάτων vocat. Deinde & hic videmus ſcriptorem longè præſtantiſſimum Paganorum ſimulacris, non alias, quæ apud Chriſtianos eſſent, imagines opponere, quam veras virtutum effigies, & ſacram *novi hominis formam in ea justitia conditi, quæ est ſecundum Deum*; quod abundè confirmat nondum in Chriſtianæ religionis uſu fuiſſe ullum ex iis ſimulacris, quæ vel ex ligno, vel ex marmore & metallis, reliquâque hujus generis materiâ fingi ſolent.

CAPUT IV.

Tertia ratio ducta ex Sanctorum Patrum diſputationibus adverſus Judæos.

SED quod hæ veterum Patrum cum Paganis concertationes probant, id ipſum, neque ſane obſcurius docent quæ extant eorundem cum Judæis diſputationes, nimirum nullas fuiſſe priſcæ illi Eccleſiæ imagines ad eum religionis uſum, qui hodie obtinet, inſtitutas, ac conſecratas. Nemo neſcit quantopere

omnis

omnis Iudæorum natio imagines, tùm universim, tùm maximè in religionis negotio abominetur. Qui ipsis defertur cultus, eum illi pro summo quodam, atque inexpiabili scelere habent, quo nullum à mortalibus nocentius aut dirius in Deum optimum maximum admitti possit. Neque hæc eorum animis opinio nuper, aut nudius tertius insedit. Iam inde à solutæ captivitatis Babylonicæ temporibus tantum, tamque constans fuit simulacrorum apud istos odium, ut nullam umquam ullius omnino creaturæ imaginem in templum recipere voluerint, id nefas lege divina severissimè vetitum arbitrantes; quo factum, ut Bellarminus scripserit eos, qui quondam propensissimi fuissent ad idololatriam, post Christi adventum superstitiosissimos fuisse contra imagines. Siquas igitur imagines Christianæ Ecclesiæ jam indè à primis temporibus habuissent, si, qui hodie Romano ritu obtinet, eundem illis cultum, eandemque venerationem detulissent, non est dubitandum, quin acerrimi, atque implacabiles nostræ disciplinæ hostes Iudæi id arrepturi fuerint, & velut infandam aliquam impietatem criminaturi. Sane quibus temporibus cultum imaginum inter Christianos viguisse in

Bell. de imag. c.7. §. Ac primus.

confeſſo eſt, iiſdem etiam conſtat Iudæos haud ſegniter exagitaſſe eum ritum, ac inter præcipua Chriſtianæ fidei crimina cenſuiſſe. Laudatur à ſeptimæ Synodi Patribus dialogus paulò ante illa tempora conſcriptus, in quo Judæus quidam inducitur his verbis Chriſtianum collo-
Syn. 7. Act. 5. quutorem compellans: *Credidi ad omnia, & credo crucifixo Ieſu Chriſto, quia eſt Filius Dei vivi. Scandalizor autem in vos Chriſtiani, quia imagines adoratis; Scriptura quippe ubique præcipit non facere quemquam ſibi ſculptile, vel omnem ſimilitudinem.* Neque hanc iſtorum criminationem omiſit Leontius Neapolitanus in Cypro Epiſcopus, eâ quam edidit pro Chriſtianis adverſus Iu-
Ib. Act. 4. dæos apologiâ, id enixè agens ut eorum ſcandalo aliqua ratione medeatur; ut videre eſt in loco, quem ex libro illius operis quinto fusè in ſeptimæ Synodi Actis deſcriptum habemus. Eadem eſt diligentia omnium Romanæ communionis hominum, qui quidem ab aliquot retro ſæculis aliquid contra Iudæos commentati ſunt. Nemo iſtorum eſt, qui non omneis ingenii nervos contendat ad amoliendum offendiculum, quod à ſuis imaginibus Judæorum animis objici intelligunt. Siquis exempla deſideret legat Ludovici Carreti Epiſtolam; legat Sepher
Amana,

Amana, & Fabiani Fioghi Catecheticos dialogos, aliasque hujus generis disputationes contra Iudæos. Atqui neque à Iudæis, qui primis Christianismi temporibus vixerunt, quicquam hujusmodi religioni nostræ objectum fuisse invenimus, neque illius memoriæ Patres cum Iudæis disputantes in hoc argumento usquam laborantes cernimus, aut hunc de adversariorũ animis scrupulum revellere satagentes. Extat Justini satis prolixum cum Tryphone Judęo colloquium. Extat Tertulliani aureus adversus Iudæos liber. Exstant in eosdem plurimæ operibus Patrum passim insperſæ disputationes. In his voluminibus fusè explicatur, quid Christianis Iudæi objectarint, quid Iudæis Christiani ex adverso responderint. Quî fit, ut in neutra disputationis parte ulla imaginum occurrat mentio? Cur omissa vel à Judæis tàm speciosa criminatio, vel à Christianis tam necessaria defensio? An Tryphoni & cæteris illius ævi Iudæis, vel ingenii acies obtusior, vel causæ studium frigidius fuit, quàm posteris? Fuitne Leontio, & cæterorum de septimo sæculo doctorum, aut major eruditio, aut ardentior caritas, quàm Iustini, & Tertulliani? Atqui nihil horum dici vel fingi fas est. Quid ergo aliud su-

pereſt, niſi ut totum hoc diſcrimen non à perſonis, ſed ab ipsâ rerum diverſitate, & ab eâ mutatione, quæ ſequutis temporibus in Chriſtianorum religione facta eſt, profectum eſſe dicamus? atque ita ſtatuamus Tryphonem ideò nuſquam Iuſtino objeciſſe imaginum cultum, quòd is nondum eſſet Chriſtianis notus? eoque nec Tertullianum laboraſſe in mitigandâ noſtrarum apud Iudæos imaginum invidiâ, atque offenſione, quod nimirum is ritus nondum illis temporibus fuerat in Chriſtianam aut fidem, aut diſciplinam receptus? eam verò mutationem, quæ tertio aut quarto ſæculo poſt contigit, cùm palam in Eccleſiis imagines, & dedicarentur, & colerentur, meritò effeciſſe, ut hunc ritum & Iudæi accuſarent, & Chriſtiani purgarent, atque defenderent, quoties de religione inter ſe diſputabant? Neque verò hanc noſtram argumentationem infirmat, quod contra à Bellarmino allatum eſt, Chriſtianorum Eccleſias à Iudæis in Talmude *domos idololatriæ* appellari. Nam ut hoc primùm reſpondeam, etiamſi conſtaret ſacros vetuſtiſſimorum Chriſtianorum conventus eo nomine fuiſſe à Iudæis infamatos, non eo tamen efficeretur imagines jam tùm apud Chriſtianos in uſu, atque

Bell. de Imag. c. 6. §. Nicol. Sarderus.

atque honore fuiſſe, cùm certum ſit, omnem, qui à Judæorum fide diſcrepat, religionis cultum ipſis dici עבודה זרה, hoc eſt externum & alienum cultum, quo fit ut quamvis ædem ſacram, in qua hujuſmodi cultum exercent homines ſive Ethnici, ſive Chriſtiani, eam illi בית עבודה זרה, id eſt, domum idololatriæ appellare non dubitent. Sed eſt etiam alia quædam propria ac peculiaris ratio, propter quam Chriſtianorum cultui, & Eccleſiis id nominis tribuendum exiſtiment, Domini ſcilicet Jeſu adoratio, quem Iudæi (ut notum eſt) nihil minus eſſe putant, quàm verum Deum. Itaque & nos ipſos, qui Dei gratiâ nullas habemus in uſu religionis imagines, idololatras tamen cenſent, ſacraque noſtra eodem illo עבודה זרה, id eſt, idololatriæ elogio inſignire, & Eccleſias noſtras בית עבודה זרה domum idololatriæ appellare non verentur; quia nimirum Domino Ieſu, tanquam vero Meſſiæ, veroque Deo, ſummum cultum honoreſque divinas exhibemus. Sed præterea hoc etiam ſecundo loco reſpondeo, falſum eſſe illa Talmudis verba de primorum Chriſtianorum Eccleſiis dicta eſſe. Vult enim Bellarminus publicatum fuiſſe Talmud anno Domini 476. quo fit manifeſtum, ea verba, quæ ab adver-

sario allata sunt, si verè illic extant, pertinere ad Christianos, non primi, aut secundi, aut etiam tertii sæculi, sed quinti, quo tempore in nonnullas Ecclesias imaginum usus irrepere jam cœperat, ut infra Deo dante suo loco atque ordine demonstrabitur. Sed & aliud est, quod dicam. Toto illo, quem Bellarminus laudavit, Talmudis loco, ordine ut ille ait, secundo, tractatu primo, distinctione secunda (id autem est alterum caput tractatus de Sabbatho) nihil eorum comparet, quæ citantur. Multa illic longe alia continentur de oleo, atque ellychnio, quo Sabbathi die lucernæ instruebantur, quæ sunt ab hac disputatione plane aliena. Denique accuratâ Talmudis consideratione argumentationem nostram, non modo non solvi, aut labefactari, sed firmari insuper & probari aio. Quod ut possit intelligi, observandum est, immanem illam Talmudis Babylonici molem (nam Hierosolymitani nulla est ampliùs apud Iudæos auctoritas) ex tribus partibus, neque paris dignitatis, neque ejusdem ævi, sed inter se diversissimis esse coagmentatam. Earum prima est Misna, præcipua ac longe nobilissima, totius operis causa & argumentum, quam à Rabbi Iuda Haccados, circiter annum

Christi

Christi ducentesimum, compositam fuisse accepimus. Altera Ghemara est, veluti Misnæ glossa, quæ antiquissimorum, & in hoc genere principum Magistrorum disputationes, traditiones, ac decisiones complectitur à Rabbena & Rabbi Ase compilata, annoque Christi quingentesimo, aut circiter, absoluta, & in usum recepta. Tertia pars Rabbinorum commentarios continet, iisdem quidem voluminibus, sed alia characterum forma, ac specie editos, decimo & undecimo post Christi natales sæculo conscriptos, & publicatos, qua tempestate litterarum apud Judæos studia ex altissimæ ignorantiæ tenebris, in quibus veluti sepulta diu jacuerant, emergere, paulatimque reviviscere cœperunt. Postremæ hujus partis auctores si Christianorum imagines aliquando exagitant, nihil mirum, cùm iis temporibus viverent, quibus eas in magno apud Christianos usu ac precio fuisse constat. Quin & in ipsâ Ghemarâ aliquid simile reperiri, minimè absurdum putem, cum exeunte quarto à Christi nativitate sæculo jam in nonnullas Ecclesias irrepsissent imagines. In Misnâ verò sub finem secundi sæculi publicatâ nihil omnino occurrit de Christianorum imaginibus.

Quæ diverſitas hoc ipſum, quod volumus, non obſcurè confirmat. Nam ſi iis temporibus, quibus Miſnæ auctorem vixiſſe diximus, receptus jam fuiſſet apud Chriſtianos imaginum cultus, non videtur ille omiſſurus fuiſſe tàm bellam noſtros inſectandi occaſionem. Id notaſſet & ſignificaſſet alicubi, maximè in eo libri capite, quod inſcribitur *De hauoda cocauim*, ſive *de hauoda zara*, hoc eſt, *de cultu ſtellarum, ſive de idololatria*, Tract.9.ord.4. quæ propria erat hujus materiæ ſedes. Atqui toto hoc loco nihil de Chriſtianis. Paganos enim fuiſſe, quos ibi perſtringit, non autem Chriſtianos, indè conſtat, quod inter eorum feſta Kalendas commemorat, & Saturnalia, quæ Paganorum fuerunt, non Chriſtianorum. Nihil ergo jam obſtare video, quo minus ex hoc veterum Iudæorum ſilentio, quod inſtitueramus id jam colligamus, nullum fuiſſe apud illius ævi Chriſtianos imaginum in religione uſum.

CAPUT V.

Ratio quarta ex eo ducta, quod quæ ex imaginum cultu oriuntur, vel oriri certè videntur difficultates, eas nusquam Patres solvere, & explicare satagunt.

SED etiamsi adversariis concesserimus, ut fingant Iudæos illorum temporum, aut tam cæcos fuisse, ut adeò speciosam criminandi Christianismi occasionem non viderint, aut tàm ignavos, tamque torpentes, ut eâ in causæ suæ commodum uti nequiverint; ipsa certe Ecclesiæ ædificatio poscebat, ut emergentes ex imaginum veneratione difficultates (siquidem ea jam tùm in usu erat) Sancti Patres proponerent, atque explicarent auditoribus, quoties incidebant in locum hunc disputationi opportunum. Nihil ad præsens quidem institutum pertinet acrius contendere, quam nunc Romani imaginibus suis deferunt venerationem, eam cum lege Dei pugnare, tàm sæpe, tam disertè vetantis, ne ullam cœlestium, aut terrenarum rerum similitudinem, effingamus, & colamus. Hoc quidem certè negari non potest, magnam esse inter ista pugnæ speciem. Nam quis est vel de ipsorum infantium grege, qui consecratas sanctissimis locis, magnâ

magnâ pompâ imagines ritu Romano videns, prostratamque apud eas maximam hominum vim de geniculis summâ humilitatis significatione adorantium, quiq; alia parte audiens fulminatas olim de Sinæ verticibus tremendas illas Dei optimi maximi voces, *Non facies tibi sculptile, aut ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cœlis supra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis infra terram; Non adorabis ea, neque coles*; quis, inquam, est usque adeo infans, qui hæc perspiciens, & vel levissimè inter se contendens non quærat illicò, quomodo cum hac Numinis lege non pugnet ille istorum cultus? Quod si nulla est horum inter se pugna, quî ergò factum, ut à quo tempore palam recepta est imaginum veneratio, hoc ei legis divinæ caput constantissimè semper objecerint, quotquot his octo, vel novem retrò sæculis fuêre hujus sive religionis, sive superstitionis adversarii, tam qui ab eversis imaginibus Iconoclastæ olim in Oriente appellati, quàm qui in Occidente Francofordiensis Synodi placita sequuti sunt, ut nihil de iis dicam, qui novissimis sæculis ab Ecclesiæ Romanæ communione discesserunt? Si nihil inter ista pugnæ est, quî fit ut in hac solvenda difficultate tantopere jam pridem æstuent Romanarum
partium

partium homines? quorum alii, ut Catharinus, præceptum hoc divinum, non morale, reale, ac æternum, sed positivum, & temporale duntaxat esse volunt, atque hujusmodi, quo non novi, sed veteris tantum fœderis fideles obstricti fuisse putandi sint; Alii è quibus est Cajetanus, nodum hunc sic solvunt, ut dicant eo mandato hoc unum vetari, ne facta ab homine imago pro Deo habeatur; Alii verò distinctionem adhibent, aliud esse idolum statuentes, aliud verò imaginem; quæ singulorum inter sese de hoc argumento dissensio, atque æstuatio satis clamat, ut mihi quidem videtur, summam esse hujus causæ ac pæne desperatam difficultatem. Quod nisi hunc legis articulum cum suâ imaginum veneratione vehementer pugnare videri ipsi judicavissent, numquam profecto eum à plebis oculis atque aspectu tam sollicitè subduxissent. Eò enim processit illaudata ipsorum prudentia, ut dùm cavent ne rescîscat Christianorum vulgus, quale sit istud Dei mandatum, ea quibus continetur verba in breviariorum, & catechismorum editionibus omitti omnino curaverint. Quantumvis ergo negent suum imaginum cultum cum divina lege verè & reapse pugnare, negare certe neque

Vide Bell. de Imag. c. 7.

In decal. ryth. m. Lat. Vnum cole Deum.

In Catech. de s. Lug. a. 1600 in Catech. Bell.

que debent, neque verò possunt, quin vehementer pugnare videatur. Itaque si veterum eadem cum illis fuisset de hoc imaginum negotio sententia, non est dubitandum, quin eamdem quoque ac illi in eo defendendo, atque explicando diligentiam adhibituri fuerint, eandemque operam daturi, ut omnis illa quæ memorata est divinæ legis, & cultus sui repugnantiæ species ex fidelium animis tolleretur. Numquam illi decalogum exposuissent sine aliquâ hujus difficultatis commemoratione atque solutione; & quod nunc faciunt Romani theologi, illi itidem sedulò monuissent primis quidem Dei verbis non imagines, sed idola vetari, non sanctorum Domini servorum, sed fictitiorum Paganismi numinum simulacra, & similitudines; postremis verò edici quidem ne imagines adoremus, aut pro Diis habeamus, non sic tamen, ut vel eas venerari, vel ullo in religione cultu dignari sit nefas. Atqui has observationes in nullo ex iis scriptoribus reperies, qui primis Christianismi sæculis floruerunt. Hoc legis divinæ mandatum cùm fusè exponat Origenes homiliâ in Exodum octavâ, neque sanctorum imagines excipit, neque excipiendas vel uno verbulo significat. Ejusdem præcepti aut

verba,

verba, aut ſenſum variis paſſim locis commemorant Tertullianus, Clemens, & utroque vetuſtior Iuſtinus, neque ullum hujus Romanæ doctrinæ apicem innuunt. Neque his longè recentior Auguſtinus decalogum ex profeſſo commentans, quicquam iſtorum attigit, quæ jam apud adverſarios ubique ſunt obvia. Quid de illis quæſtionibus dicam, quas Romanæ ſcholæ tantâ utriuſque animorum contentione jam pridem agitant, quis & qualis ſit ille cultus, qui ſacris, ut vocant, imaginibus debetur? ipſæne ſint adorandæ, an ea tantum ad quæ referuntur exemplaria? tùm ſi ſint ipſæ venerandæ, latriane iis, an dulia, & hyperdulia conveniat? denique iſne honos, quicumque tandem ſit, proprie iis exhibeatur, an improprie, univocè an æquivocè, propter ipſas, an propter aliud, analogicéne, & reductivè, an ſimpliciter & abſolutè? Hæc tam reconditarum vocum myſteria, has tam ſubtilium quæſtionum ambages, non magis quam ipſa Bellarmini, aut Pereſii, vel Vaſquis, qui eas modò agitant, nomina, in eorum monumentis offendes, qui intra annum à Chriſto nato quadringenteſimum ſcripſerunt. Atqui iſta priſci Patres, non minùs quam hujus ævi theologi,

Tertull. contr. Marc. l. 2. c. 22. & l. 4. c. 22. Clem. Str. l. 5. Aug. quæſt. in Deut. q. 4.

logi, excutere atque explicare debuerant, ſi illorum eadem quæ horum fuit de imaginum cultu ſententia. Hanc enim omnem rerum iſtarum diſquiſitionem, atque diſtinctionem protinus ex ſe ipſa parit hodierna adverſariorum hypotheſis, eamque non aliter profundit, quam umbram corpus in luce poſitum; ut non queat imaginum conſtitui conſecratio, atque veneratio, quin illicò excitetur vel mediocris ingenii attentio ad quærendum, quænam iis honoris, aut cultûs ſpecies conveniat, quâve ratione diſcernenda ſit, cùm neque eum, qui Dei eſt, ad iſtas ſine ſacrilegio transferri poſſe apertiſſimè doceant Scripturæ, neque verò ullum alium earum vel materiæ, vel formæ deberi ipſe hominum communis ſenſus ſatis ſuperque clamet. Cùm itaque iſtorum, quæ tam arctè atque indivulsè cum hac quæſtione cohærent, nihil aut docuiſſe, aut monuiſſe, aut denique vel ſummis digitis attigiſſe comperiamus ullum ex ſanctiſſimis illis, acutiſſimis, & in omni litterarum genere verſatiſſimis Patribus in tam multis, quæ reliquerunt, ingenii ſui monumentis; neceſſariò confitendum eſt, neque ipſis, neque priſcæ illi, in qua vixerunt, Eccleſiæ, quatuor primis à Chriſto nato ſæculis, vel probatam,

tam, vel cognitam fuisse, quam hodie Roma docet, imaginum venerationem.

CAPVT VI.

Ratio quinta, inde ducta, quod Patres non pauca ab imaginum veneratione aliena, & cum ea pugnantia, vel docuerint, vel scripserint; quale istud est, quod pingendi artificium, alii ut absolute illicitum, alii ut vanum & inutile damnant.

SEd quid ego has Romanæ scholæ distinctiones, atque exceptiones in Patrum scriptis nusquam inveniri observo? Aliud habeo longè majus & certius hujus, quam ago, causæ argumentum. Nam non modò nusquam occurrunt in eorum monumentis, quæ imaginum cultoribus tacere vel omittere, non licebat, sed multa præterea in iis occurrunt, quæ ab ejus sensu & judicio, qui imagines venerandas putat, vehementer abhorrent. Exempli causa, Clemens Alexandrinus id Mosis edictum, quo sunt vetitæ imagines, cum quodam Pythagoræ dicto comparans, *Moses*, inquit, *multis ante sæculis apertè legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel fictam, vel pictam imaginem, simulacrumve facere, ut sensilia minimè attenderemus, sed ad ea transiremus, quæ percipiuntur* Clem. Strom. 5.

intelligentia. Vt Dei enim majestas vilis & contempta reddatur, efficit quæ est in promptu videndi consuetudo, & quæ intelligentiâ percipitur essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere. Clementi succinit Tertullianus libro de Spectaculis: *Iam verò ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ?* Atque hæc quidem illi. Siccine quæso loquuti essent hi scriptores, si idem, quod hodierni Romani doctores de imaginibus sensissent? Clarum est existimasse Tertullianum secundo decalogi mandato, (quod primi partem esse volunt adversarii) simpliciter & absolute vetari omnem omnino similitudinem, quacunq; ex materia, quocumq; artificio effictam, & penicillo seu ductã, seu adumbratam, & cælo scalpeam, & igne fusam, quemcumque in usum sive religionis, sive ipsius communis vitę adhibitam. Id apertissimè docet proximè recitatus ejus locus, in quo personarum usum ex hoc præcepto refellit; absurdè, nisi eũ constituisse intelligamus omnes omnino imagines divinâ hac lege vetitas, non autem (quod volunt adversarii) eas tantùm, quę res inanes & commentitias repræsentant, quæq; latriæ cultu adorantur. Ille sane in libro de idololatriâ *diabolum* ait *sæculo intulisse artifices*

Tertull. de Spect. c. 23.

Id. de idol. c. 3.

fices

fices statuarum & imaginum, & omnis generis simulacrorum. Et capite sequenti de Domino loquens, *Toto mundo* (inquit) *ejusmodi artibus interdixit servis Dei.* Tùm capite sequenti solvit, quod sibi objici posse intelligebat, serpentis ænei simulacrum Dei jussu in deserto erectum fuisse, respondens eundem Deum, qui lege vetuit similitudinem fieri, serpentis similitudinem edixisse, *Si eumdem Deum observas,* inquit, *habes legem ejus, Ne feceris similitudinem. Si & præceptum factæ posteà similitudinis respicis, & tu imitare Moysen. Ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.* Itaque cum libro contra Marcionem quarto probare instituisset Moysen & Eliam in Ithabyrio à Petro agnitos extraordinariæ ecstaseos lumine, non autem naturali aliqua notitiâ, numquam ipsi visas eorum imagines indè astruit, quod ullas fieri lex vetet. Hæc enim probatio necessariò exigit, ut non falsorum modo numinum, sed & sanctorum virorum imagines facere Iudæis nefas fuisse putaverit Tertullianus. Nam omnem hanc ejus argumentationem futilem esse & vanam liquet, si Judæis hujuscemodi imagines & facere & habere licuit, quales hodie defendunt Romani. Atque ex his patet, quo sensu accipi de-

Ib. c. 4.

Ib. c. 5.

Id. cont. Marc. l. 4. c. 22.

beant quæ ſunt ab eodem auctore ſcripta libro ſecundo illius operis, *Similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cœlo, & in terra, & in aqua, oſtendit & cauſas, idololatriæ ſcilicet ſubſtantiam cohibentes. Subjicit enim, Non adorabitis ea, neque ſervietis illis.*

Ib. l.2.c.22.

Non enim hoc vult, quod aliquis fortaſſe ſuſpicari poſſet, eas quidem imagines lege Dei vetari, quæ adorantur & coluntur, quæ verò non coluntur, minime vetari (hoc ſi diceret, pugnaret ipſe ſecum, & quæ nuperrimè ex eo afferebamus loca manifeſtiſſimè everteret.) Longe alius eſt illorum verborum ſenſus. Hoc enim ſimpliciter ſignificant, cauſam, cur Deus omnem ſimilitudinem tam diſtrictè vetet, hanc eſſe, ut omnem omnino idololatriam ex populo ſuo exterminet, cohibitâ atq; ſubductâ ipsâ idololatriæ ſubſtantiâ, hoc eſt pingendi ac fingendi artificio, à quo ſuæ impietatis objectum & materiam idololatræ mutuantur. Ac ne quis putet, quod nonnulli hodie Romanæ communionis homines ſentiunt, idem quoque exiſtimaſſe Tertullianum, nimirum ſolos Judæos, non autem Chriſtianos, eo legis divinæ mandato obſtrictos teneri, breviter demonſtrandum videtur rem longe aliter habere. Mitto Patres paſſim tradere Decalogum (ſi unum

Sabbathi mandatum exceperis) cætera legem esse naturalem, eoque teneri omnes omnino homines, sub quacumque demùm dispensatione vixerint, ut videre est apud Irenæum quarto libro, cap. 31. & 32. apud Cyprianum Testimoniorum l.3. c. 59. apud Origenem homilia octava in Exodum, alios, qui à Bellarmino ipso in hanc sententiam laudantur. Sed his omissis testibus palam est, (quod ab ipsis etiam adversariis est animadversum) Tertullianum toto de Idololatria libro contendere præceptum hoc nunc (id est sub novo testamento) majori quàm umquam antea curâ & studio observandum esse. Primo enim acriter, ut solet, & facundè exsequitur non debere à Christianis idola fieri, asperéque nonnullos excipit, qui eos in Cleri ordinem admitterent, quos Paganis idola facere, sive (ut ille loquitur) *dæmoniis corpora conferre* non puderet. Objicientibus verò istis pingendi & fingendi artificibus sibi fame pereundum, nisi hanc, quam unam noverant, artem exerceant, suadet, ut industriam ad aliquod opus suo simile transferant; qui signum describebat, abacum linat, qui Martem ex tiliâ exsculpebat, armarium compingat, & artes denique exerceat, quæ sine exorbitatione

Bell. de Imag. c. 7. §. Sed hæc.

Tertull. de idol. c. 7.

Ibid. c. 8.

disciplinæ victum præstant. Quis non intelligit istum, si putasset sola idola Christianis vetita, non autem omnia omnino simulacra, hoc loco hujus generis artifices moniturum fuisse, ut fingendis Cæsarum, aliorumque viventium imaginibus operam darent, unde non minor, neque incertior quæstus rediturus erat, quàm ex Deorum signis? Quòd si illius temporis Ecclesia omnis generis imaginibus sic ornata & variegata fuisset, ut est hodie Romana, quis dubitat, quin istos jussurus fuerit, non artem, sed speciem operis mutare, Christique sanctos & martyres pro Diis, dæmonibusque fingere? Domini Ecclesias, non Ethnicorum templa exornare? ac denique fidelium pietati utilissimum spectaculum, non Gentilium impietati pabulum, ac materiam suppeditare? Cùm ergo nihil hujusmodi Tertullianus suggerat, cùm artes istas planè abroget, pictoresque & sculptores in tectores, materiariosque opifices commutet, perspicuum est putasse eum lege divinâ pariter vetitum esse & Ecclesiæ Sanctos, & Paganorum numina pingere, aut omnino arte aliqua simulare, totumque illud artificii genus simpliciter esse illicitum, ac hujusmodi, quod nemo Christianus integrâ pietate exer-

cere

cere queat. Itaque Hermogeni picturam alibi, tamquam grave crimen objicit, *Præterea*, inquit, *pingit licitè, nubit assiduè; Legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit; bis falsarius, & cauterio, & stilo, totus adulter & prædicationis & carnis.* Nimirum existimabat Hermogenes Christiano homini licere & pingere, & nuptias iterare; Neutrum verò Tertullianus admittebat. Quia autem horum alteram, nempe picturam, Scriptura videtur vetare, alterum nempe secundas nuptias permittere, ideò ait istum *legem Dei in libidinem defendere, in artem contemnere.* Sed nihil opus pluribus demonstrare hunc Scriptorem existimasse, simpliciter & absolutè nefas esse ullam omnino similitudinem effingere. Hoc enim ipsi adversarii disertissimè, ac totidem verbis confitentur, sed Montanistam fuisse caussantur, quo tempore eos libros conscripsit, quibus hoc dogma aspersum invenitur. Ad hanc ego exceptionem respondeo primùm non posse hoc de omnibus certò affirmari. Opus sanè contra Marcionem à Tertulliano jam Montanum sectante compositum fuisse arguit, quod libri quarti capite XXII. quæstionem quamdam memorat, quæ ipsi erat cum Psychicis, id est Catholicis; Sic enim eos

Id. contr. Hermog. c. 1.

Du Perron Act. de la Confer. de Fontaineb. f. 93. b.

vocat illudens, à quo tempore ab Ecclesiæ communione diſceſſit. Diſputationem item contra Hermogenem vidètur jam Montano favens ſcripſiſſe. Qui verò eſt de idololatriâ liber, is inter opera à Catholico edita cenſetur à Pamelio, Sancti Audomari Archidiacono, cujus viri plurimæ ſunt & prolixæ in hunc auctorem lucubrationes. Neque rationes, quæ in aliam ſententiam Perronium abduxerunt, videntur ſatis firmæ. Ait librum de Spectaculis in eo qui eſt de Idololatriâ memorari; Iam verò Montaniſtam fuiſſe Tertullianum, cum illum de Spectaculis ederet, ex eo conficit, quod inter Chriſtiani hominis voluptates & delectamenta recenſet, quod *revelationes petit*: ex quibus porrò colligit adverſarius: Montaniſtam ergo fuiſſe, & quidem multò magis, cum librum de Idololatriâ componeret. Ad hæc ego ſic reſpondeo, primùm incertum eſſe quod aſſumitur. Nam ſi certa Montaniſmi nota eſt *revelationes petere*, inter hæreticas numeranda erit Brigida, aliæque ejus generis non paucæ, quas ſummo in honore habet Ecclesia Romana. Neque item Catholicus habendus erit Gregorius, Romanus epiſcopus I. qui revelationes tanti fecit, ut iis ſcripta ſua, maximèque Dialogorum opus

L. de ſpect. c. 29

opus implere non dubitaverit. Præterea neque ex eo, quod liber de Spectaculis commemoratur in eo, qui est de Idololatriâ, necessariò videtur consequi illum ante hunc fuisse editum. Sæpe enim accidit, ut auctores opera jam olim publicata recognoscant, & secundis curis addant, quæ prioribus editionibus deerant. Quis certò docebit non hic aliquid hujusmodi fecisse Tertullianum, & in repetitâ libri de Idololatriâ editione monuisse nonnulla se fusiùs ad id argumentum spectantia tractasse in eo, qui est de Spectaculis, quamquam post primam ejus, qui est de Idololatria, editionem publicato? Sed & hoc secundo loco afferunt adversarii, Tertullianum, si Catholicus tùm fuisset, cùm illud de Idololatriâ opus scripsit, non fuisse eum simpliciter & absolutè damnaturum omnem cujuscumque imaginis, aut similitudinis ficturam; quippe qui non ignoraret repugnare hoc dogma receptæ in Ecclesia consuetudini, in qua ipse alibi tradit vitreis calicibus Catholicos uti, qui depictam Pastoris imaginem haberent ovem, quæ deerraverat, humeris reportantis. Sed illorum causa nihil hoc argumento juvatur. Nam neque Tertullianus, neque quisquam alius ejus ævi scriptor testatur

universalem tùm fuisse Ecclesiæ Catholicæ vel legem, vel morem, ut pictis hujuscemodi calicibus uterentur omnes Christiani; Ac si ita res habuisset, Tertulliano (fateor) vix licuisset omnem picturam illicitam esse, pertendere. Ille nihil aliud loco allato tradit (quod fusiùs posthac suo ordine demonstrabitur) nisi id in unâ illâ Ecclesiâ, quam ibi exagitat, factum fuisse, quam ego Romanam fuisse arbitror. Jam verò nemo non videt, quàm absurdum sit statuere nulli licuisse à particularis alicujus Ecclesiæ seu dogmate, seu ritu discedere, quin eo ipso Catholici nomen amitteret. Nam ne à præsenti materiâ longius abeam, id si obtineret, Epiphanius esset inter hæreticos censendus, qui quamquàm suspensam vidisset in Anablatensi Ecclesiâ imaginem, non dubitavit tamen in scriptâ ad Joannem Hierosolymitanum epistolâ affirmare Scripturæ auctoritati contrarium esse, ut hominis imago in Christi Ecclesiâ pendeat. Eodem numero habendi quoq; essent XIX. Concilii Eliberitani Patres, qui quamquam scirent nonnullas jam tùm fuisse Ecclesias, quæ imagines inter ornamenta servarent, decreverunt tamen picturas in Ecclesia esse non debere. Cur igitur quod uni Episcopo, aut alicui ex ejus

Epiph. ep. ad Ioh. Hierosol.

Conc. Elib. can. 36.

clero

clero libuerat Paſtoris parabolam in calicis vitro pingi, eo inquam putemus, neque ulli ex iſtius ævi Catholicis, neque ipſi Tertulliano, viro doctiſſimo, ſublimis ingenii, magnæque per ea tempora in Eccleſiâ Carthaginenſi, cujus erat presbyter, auctoritatis, fas fuiſſe quicquam contra aut hiſcere, aut ſcribere? Præterea quis & illud certò affirmare queat, cùm ille libros de Idololatriâ & de Spectaculis ſcripſit, in quibus contendit omnem picturam planè eſſe illicitam, jam tum extitiſſe illam Paſtoris imaginem in eorum Catholicorum calicibus, contra quos poſtea ſtilum in libro de Pudicitiâ ſtrinxit? aut ſi jam extabat, id quoque ſciviſſe Tertullianum, ut ejus de imaginibus ſententiam labefactaret, aut certè cohiberet illius picturæ auctoritas? Fieri enim profecto potuit, vel ut eo tempore, quo liber de idololatria ſcriptus eſt, nondum illud emblema eſſet in Romanis calicibus depictum, vel certè depictum eſſe ut neſciret Tertullianus, procul in Africâ degens. Atque ita apparet omnia Peronianæ reſponſionis fundamenta mera eſſe poſtulata, meras illius viri audaces juxta ac incertas conjecturas, quales ſunt ut plurimùm obſervationes, ac ſpeculationes, quas ſolet ille adferre in his de

veterum

veterum in religione ſententia diſputationibus. Verum, ut quod jure & ratione evincere non potuit, id nos gratis & animi gratiâ largiamur, eſto ſane; jam tùm Tertullianus Montaniſta fuerit, cùm eos libros ſcripſit, in quibus hanc contra picturas ſententiam vel tuetur, vel urget, vel ponit; eòne efficitur, ut id qualecumque eſt dogma, è Montani ſcholâ hauſerit atque acceperit? Quis hanc ſectam neſcit innumera habuiſſe cum Catholicis communia? Tertullianumque, poſtquam ei nomen dedit, conſtantiſſimè tamen teſtatum eſſe ſibi cum Catholicis, non de fide, aut de doctrinâ ipsâ, ſed de diſciplinâ atque politia certamen fuiſſe? quod quivis diſcere poteſt, tum ex capite ſecundo de Monogamiâ, tum ex priore de jejuniis adverſus Pſychicos diſputatione? Idque obſervatum à Clariſſimo viro Rigaltio in eâ præfatione, quam novem Tertulliani libris præmiſit. Itaque cùm ille tam apertè, tamque vehementer pugnet illicitam eſſe omnem picturam, videtur profecto nihil tum in Eccleſiæ fide fuiſſe, quod cum hoc dogmate pugnaret; unde & illud conſequitur, tum ignotam fuiſſe Chriſtianis imaginum venerationem, quam nemo non videt locum in Eccleſia habere non poſſe,

niſi

nisi constituatur pingendi, sculpendique
artificium non modo licitum, sed etiam
piis summopere utile ac necessarium esse.
Quod si tam claris argumentis assensum
negant adversarii, age ergo veteris alicu-
jus, idoneique scriptoris testimonio com-
probent, quod pertendunt, fuisse hoc
unum de Montani deliramentis. Nam
quod afferunt *ad morosam quamdam, ac su-
perstitiosam austeritatem redactam fuisse ab illâ
sectâ omnem Christianam disciplinam*, ut non
sit mirandum, quod ea imaginum quo-
que cultum exploserit; dùm sic agunt,
nobis apertissimè illudunt. Obsecro
enim, cuinam se persuasuros putant su-
perstitiosum esse abstinere ab imaginum
cultu? Hoc quidem, si iis libet, *errorem*
appellent, appellent etiam *hæresim*, ut so-
lent paratragœdiare, & quicquid à Ro-
mæ suæ placitis discedit, eo vocabulo in-
famare; Superstitionem certe, nisi ridi-
culi esse velint, nominare non possunt.
Illud potiùs vereri debent, ne supersti-
tionis elogium multò veriùs in eum cul-
tum conveniat, quem ipsi imaginibus de-
ferunt, nulla Dei auctoritate, nullâ lege
coacti, sponte & ex merâ animi libidine,
atque ex illâ, quæ non frustrà à Paulo no- Col. 2.
tata est, ἐθελοθρησκείᾳ. Quam verò hic
memorant severitatem, atque austerita-
tem,

tem, quis eam umquam fando acceperat ab imaginum (ut vocant) sacrarum usu, atque cultu abhorrere, aut ei sic repugnare, ut unà stare ambæ non possint? Atqui nulli nunc imaginibus addictiores, nulli in eas magis religiosi dicam, an superstitiosi, quàm qui jejunia, qui stationes, & xerophagias, omnemque (ut uno verbo absolvam) Montani disciplinam studiosissimè exercent. Picturam-ne obsecro exploserunt Carthusiani, aut Capucini, aliique severissimæ (ut quidem istis videtur) pietatis ordines, supra omnem Montani morositatem tristes, atque austeri? Olim verò cùm tam diu toto Oriente fervérent funestissima Christianorum inter se se de imaginibus certamina, ullosne tulerunt illa sæcula, qui eas vel acrius defenderent, vel colerent studiosiùs, quàm qui iidem austeritatem, atque severitatem omnium maximè profitebantur, monachi scilicet & eremitæ? Cùm igitur nihil minùs quàm ista fastidiat morosa, & superstitiosa austeritas, tantùm abest, ut Montani severitas, imaginum venerationem apud Ecclesiam Tertulliani sæculo in usu fuisse probet, ut planè contra existimem ex eo ipso, quod Tertullianus picturas sic exsertè respuit, apertissimè confici ignotum fuisse earum cultum

tum illius ævi Christianis. Sed incerta ista & frivola mittamus, qualia nimium quam sæpe consectantur adversarii. Quod in responsione ponunt, atque assumunt, id verum-ne sit, videamus. Hanc sententiam, quod picturam lex divina omnem vetuerit, aut ex Montanensis Paracleti deliriis hausisse volunt Tertullianum, aut ipsum certè somniasse, & ex suo sibi cerebro deprompsisse. Fingamus ita esse. Profectò ubi primùm sive in Montani sectâ, sive in Tertulliani libris apparuit tam novum (ut supponitur) tamque vulgatis Christianorum opinionibus contrarium dogma, quod imagines, non modò coli (ut à Francofordiensi posteà Synodo edictum est) sed etiam fieri vetat, easque ex sacris, ædibus revellit, & plane ex omni vitæ humanæ usu exterminat; clarum est illius sæculi Ecclesiam (si idem quod hodie Roma sensit) debuisse tanto furori ire obviam, ejusque auctores sugillare, & in eorum erroribus hunc tamquam capitalem exsertè & nominatim damnare, sacroque fulmine ferire. Sic enim nunc etiam cum iis agitur, quorum multo modestior est de toto hoc negotio sententia, quique imaginibus non precium, aut civilem usum, sed solam in religione veneratio-

nem

nem denegant, qui eas non fieri, ſed coli, non in vitâ uſurpari, ſed in Eccleſiâ adorari prohibent. Non eſt veriſimile ad conſervandum tam utilem, tamque ut volunt neceſſarium ritum, minorem priſcæ Eccleſiæ fuiſſe, quàm nunc Romanæ eſt, zelum. Atqui certiſſimum eſt hanc ſententiam nunquam à veteribus aut inter Montani hæreſes, aut inter privatas ac ſingulares Tertulliani ſententias, fuiſſe notatam. Extant Epiphanii, Philaſtrii, Auguſtini, Theodoreti, & aliorum opera, in quibus, & fusè deſcriptam habemus hæreticorum hiſtoriam, & accuratos eorum indices, quæ ſinguli perperam & præter Eccleſiæ fidem docuerunt. Montaniſtas inter alios non obiter memorant, eorumque totam cum Catholicis controverſiam ſigillatim præter cæteros exſecutus eſt Hieronymus epiſtolâ LIV. Neque iſtis tamen quiſquam ſingularem, & à fide Eccleſiæ diſcrepantem de imaginibus opinionem tribuit. Quis id omiſſuros fuiſſe putet taleis ac tantos viros, ſi re vera tam inſigne extitiſſet eorum à Catholicis in hoc articulo diſſidium? Veterum verò cenſuram minimè omnium effugiſſet Tertullianus, ſi fuiſſet hæc ejus ſententia alicui (ut fingunt) doctrinæ Eccleſiaſticæ capiti contraria.

Nam

Nam tanta fuit illius viri, tamque admirabilis doctrina, tam acre judicium, tam fortis elocutio, tam elegantes sensus, tamque nervosa disputandi ratio, ut ejus, quam ab Ecclesiâ fecerat, discessionis invidiam ingenii copiâ ac fœlicitate diu superaverit, manente tanti scriptoris monumentis etiam suâ apud Catholicos gratiâ, atque existimatione. Constat enim Cyprianum, Carthaginis episcopum, non ignobile Occidentalis Ecclesiæ sidus, *Magistrum* eum appellasse, neque ullam diem præterire solitum, quin aliquid ex eo lectitaret. Itaque cum illum non minùs, quam ullum alium scriptorem tererent Catholici, fieri non poterat, ut hanc ejus de imaginibus opinionem non animadverterent, ejus operibus passim (ut supra demonstravimus) inspersam, ac libro de idololatria fusè tractatam atque disputatam. Animadversam verò quis dubitat, quin atro calculo damnaturi fuerint, si ea cum Ecclesiæ illius placitis, æque ac cum Romanæ, quæ hodie est, cultu pugnasset? Atqui de tam multis veteribus, qui Tertulliani schisma & errores memoriæ prodiderunt, nemo est, qui hanc ejus opinionem, non jam dico damnaverit, aut stricto anathemate everterit, sed qui vel reprehenderit, vel etiam

obiter indicaverit. Hominis ab Ecclesia discessionem exagitant omnes; Chiliastarum errorem, Montani de Ecstasi, deque novâ Paracleti revelatione deliramenta, nimiumque disciplinæ rigorem ei tribuunt. Non omittunt, quod idem animam, quod ipsum Deum corpus esse contendit. Sed ne uno quidem verbulo lacessunt, quod tot locis imagines tam præfractè, tamque impotenter omneis abolet, nullas vel ad publicum, vel ad privatum usum Christianis relinquens. Manarit ergo (si placet) hoc ejus dogma ex Montani lacunis (quod quatuordecim retrò seculis inauditum nunc demùm somniare libuit adversariis) certè quod sic à Patribus neglectum fuit, eo ipso demonstratur, aut nihil interfuisse veteris Ecclesiæ, quid imaginibus fieret, proindeque longè aliter veteres de toto hoc negotio existimasse, quam nunc sentiunt Romani, qui imagines vel summo digito pulsari non ferunt, quin statim exclament, & in eorum capita dira fulmina, atque anathemata intentent, siqui tam eximiam, (ut ipsi quidem censent) tam necessariam pietatis suæ partem sollicitare ausi sint. Sed non in uno Tertulliano hanc opinionem tulit vetus Ecclesia. Constat Clementem Alexandrinum, ejusque

Aug. de Gen. ad litt. l. 10. c. 25. & 26. Id. de hæres. ad Quod vult d. hær. 47.

ejusque discipulum Origenem, antiquissimos longeque celeberrimos auctores, fuisse ambos in eadem sententia, eamque mandasse litteris, neque aut à sui temporis Catholicis, aut à posteris eo nomine vel reprehensos, vel notatos. Clemens quidem in Protreptico de Paganorum simulacris verba faciens, nosque beatos prædicans, qui eo spectaculo careamus; *Nobis enim* (inquit) *est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim* (inquit Propheta) *cujusvis rei similitudinem eorum quæ sunt in cœlo, & quæcumque sunt in terra infra.* Item libro sexto Stromateon; *Quemadmodum* (inquit) *qui aliena furatur, cùm magnam faciat injuriam, in ea quæ meretur mala jure incidit; ita qui divina opera sibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem, & dicens se esse effectorem plantarum, & animalium, & similiter, qui veram imitantur philosophiam fures sunt.* Origenes verò libro quarto contra Celsum; *In civitatem eorum* (de Iudæis loquitur) *nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, nequa occasio præberetur hominibus crassis, neve animi eorum à Dei cultu avocarentur ad res terrenas, per hujusmodi illecebras.* Quod ut probet hæc ex Deuteronomio recitat: *Habebant enim* (inquit) *inter cæteras legem hanc; Nolite impiè agere, nec facietis vobis*

Clem. Protr. p. 41. b. noviss. edit. Paris.

Id. Stromat. l. 6. p. 687. d.

Orig. l. 4. cont. Cels. p. 187. cod. gr. 185. lat.

bis sculptile in similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, in similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium pennatarum sub cœlo volantium, vel piscium quorumvis, qui degunt in aquis sub terra. Itaque cùm alibi (quod supra indicavimus) testetur Origenes hanc legem ad novi quoque Testamenti homines pertinere, non est dubitandum, quin ille Christiano nefas esse putaverit ullam ex istis artibus exercere. Non jam hoc quæro, verane sit, an secus istorum sententia; neque enim id nunc agitur; Tantum hoc pertendo, qualiscumque sit, eam certe non impunè, neque sine censuræ nota passuram fuisse apud suos doceri veterem Ecclesiam, si idem, quod nunc Roma, de imaginibus sensisset. Nam si quis esset ex hodiernis Theologis, cui aliquid istis simile excideret, quæ modo ex Tertulliano, Clemente, & Origene descripsimus, obstreperent illico omnes istarum partium homines, rei insolentiâ perculsi, ac Vaticanum ipsum brevi commoveretur, & in miseri hominis caput fulmine haud dubiè detonaret, nisi is humili ac præsenti satisfactione ingruentem ex formidoloso illo monte tempestatem mature à suis cervicibus amoliretur. Atqui à trium istorum, quos citavimus, virorum obitu

effluxerunt jam minimum tredecim ſæcula, neque tanto tempore repertus è priſcis Catholicis aliquis, qui illos hujus opinionis nomine notaverit, nedum ut excommunicaverit; tantum eſt inter veteris & præſentis Romæ mores, atque placita diſcrimen. Huc etiam referenda exiſtimo, quæ Chryſoſtomus homilia in Matthæum 49. ſcribit, de variis artibus diſſerens, ſemotoque hoc nomine à cupediariorum, & pulmentariorum induſtriâ, *Neque has modò*, (inquit) *ſed ne pictorum quidem, aut phrygionum & plumariorum artem eſſe dixerim*; cujus dicti ſui hanc adfert rationem, quòd vitæ humanæ inutilia ſunt, quæ ab iſtis fiunt opera. Itane verò, ô ſanctiſſimum os? Tune eam ex artium numero expungere audes, quæ tuis Eccleſiis ornamenta, quæ populo omni Chriſtiano, tibique adeo ipſi ſuaviſſima, atque utiliſſima pietatis exercitamenta vel una maximè ſuppeditat? Quid ad hanc querelam reſpondere aliud poſſet, ſi jam in terris viveret, vir ille longè optimus, atque facundiſſimus, niſi quod orationem minimè ſolitus ſit exigere ad eas opiniones, quæ nonniſi multis poſt ſe ætatibus in uſum Romanorum receptæ fuerunt, neque ſe tantò antè prævidere potuiſſe Chriſtianos olim homines

Chryſ. in Matth. hom. 49. p. 447. edit. Germ.

aliquam suæ pietatis partem in eo cultu collocaturos, quem aut illicitum esse, aut certè vanum & inanem ipse judicaverit? quippe qui semper ita senserit *nos per Scripturas Sanctorum præsentia frui, non corporum eorum, sed animarum imagines habentes.* Pingendi enim artificium contemnere, ac ne inter artes quidem habere haud abhorret ab homine ita sentiente, qualis fuit Chrysostomus, ut postea audiemus; ab hodierno verò Romanæ Ecclesiæ dogmate & ritu tam alienum est, quàm quod maximè. Neque tamen legimus Chrysostomo umquam, quod sic & senserit & loquutus fuerit, ab ullo mortalium scriptam fuisse dicam, non magis quàm Tertulliano, Clementi & Origeni, quod ea quæ superiùs recitavimus, litteris mandare non dubitavissent; quamquam sane Chrysostomo neque viventi neque mortuo defuerint acerrimi, summæque in Ecclesiâ auctoritatis adversarii, qui hæc ejus verba, si ea cum publico Christianorum illius ævi usu, atque sensu pugnassent, non omissuri, sed ad faciendam inimicissimo homini invidiam passim jactaturi erant.

Syn. 7. Act. 6. p. 776. D.

Caput

CAPUT VII.

Ratio sexta, inde ducta, quod prisci Patres eum cultum reprehendant, quem nonnulli hæretici Iesu, Apostolorum, Moysis, aliorum imaginibus deferebant.

ENimverò vetus illa proximorum post Christi natales quatuor sæculorum Ecclesia, non modo hæc in imaginum contumeliam dicta non reprehendit, aut castigavit (quod omnino facere debuerat, si de hoc religionis capite eadem ejus fuit, quæ Romæ hodie est sententia) sed etiam, quod non est omittendum, disertè notavit, quam nonnulli hæretici Christi, Sanctorumque imaginibus exhibebant venerationem, eumque cultum inter istorum errores nominatim recensuit, atque damnavit. Irenæus libro primo contra Hæreses de Gnosticis verba faciens, *Etiam* (inquit) *imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum; & reliquam observationem circa eas, similiter ut gentes, faciunt.* Epiphanius annis ducentis Irenæo recen- *Iren. l.1.c.24. extr.*

recentior eadem refert in Carpocratianorum hæresi: *Habent imagines* (inquit) *per colores depictas, quidam etiam ex auro & argento, & reliqua materia, quas sane imagines Iesu esse dicunt, & à Pilato factas esse. Habent autem eas occultè; insuperque philosophorum quorumdam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum, cum quibus etiam alias imagines Iesu collocant, collocatasque adorant, & gentium mysteria perficiunt. Qui verò sunt gentium mores alii, quàm sacrificium atque alia?* Epiphanio paulò minor natu Augustinus similiter scribit libro de Hæresibus, Simonem Magum *imagines suam, & cujusdam meretricis, quam sibi sociam scelerum fecerat, discipulis suis præbuisse adorandas, easque Romæ tamquam Deorum simulacra auctoritate publica constituisse.* Tum septimo ejusdem operis capite de Carpocrate hæc habet, *Secta ipsius fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo.* Jam verò præter rem ipsam videtur hac in historia observandum, quod ferebant Gnostici *formam Christi factam à Pilato illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus.* Id enim (ut mihi quidem videtur) apertè significat, nullas tum apud Catholicos fuisse Christi imagines; quæ si ullæ apud eos fuissent, inepta & inanis foret

Aug. de Hæres. hær. 1.

Ibid. hær. 7.

foret tota hæc Gnosticorum caussificatio. Nam si tum passim apud Christianos prostabant Domini Jesu imagines, quid opus fuit eorum originem tàm altè repetere, & tam invidiosam, tamque præposteram narrationem comminisci, ut eæ Jesu verè esse viderentur? Quod autem isti primam Dominicæ hujus imaginis originem ad Pilatum referebant, eo profecto docemur illius ævi Christianos non modo non credidisse (quod credit hodie omnis Romanorum Ecclesia) Christi vultum à Luca coloribus expressum fuisse, sed absurdum & incredibile putasse, ut ex primis Christi discipulis quisquam ejus imaginem vel ipse effinxerit, vel ab aliis effingendam curaverit. Nam si res aliter habuit, desipuisse profectò istos Gnosticos, rationisque omnis ac sensus ipsius communis expertes fuisse oportuit, qui suas imagines ad Paganum potius hominem, quàm ad Christianum, ad Christi potius interfectorem quàm discipulum, referendas putaverint. Quid igitur est? Nimirum prævidebant illi, Ecclesiam, quæ nullas haberet Christi imagines, suas istas miraturam, tamquam falsas, fictasque criminaturam, quæsituram unde illæ essent, & à quo ipsis traditæ. Eam quæstionem, ut antevertant,

fingunt Christi in terris versantis imaginem fuisse à pictore expressam. Sed & cum illi præterea animadverterent ab omni veri specie procul fore, si suam hanc Christi iconem primis ejus discipulis tribuerent, quod eos constaret sub Judæorum lege educatos à rebus hujusmodi abhorruisse, neque Catholicis (quibus potissimum, siquid tale habuissent, id eos tradere par fuerat) ullam reliquisse Christi imaginem, hæretici ne sese in has difficultates induerent ad Pilatum confugerunt, factumque, quod Christianis sine summâ absurditate affingi non posse intelligebant, id in hominem Paganum conferre coacti sunt. Non video quæ istius Gnosticorum fabulæ ratio alia afferri possit præter hanc, quæ evidenter conficit, ignotas adhuc tùm fuisse veris Christianis Domini Jesu imagines. Jam quod ad ipsum historiæ caput pertinet, quod id ipsum multo etiam luculentius confirmat, qui imaginum cultum tuentur ii respondere solent, illos hæreticos à sanctissimis Patribus non ideo reprehendi, quod Christi, Paulique imagines & haberent, & colerent, sed quod iis eumdem, quem idolis Pagani, cultum, nimirùm sacrificia & alia id genus deferrent; tùm etiam, quod eas, cum Homeri, Pythagoræ,

thagoræ, Platonis, Aristotelis, poëtarumque, & philosophorum Gentilium simulacris miscerent, eodemque in loco consecrarent. Ad hæc ego primò quidem moneo, Irenæum, cujus testimonium duorum aliorum testimoniis (quippe qui sua ab isto omnia acceperint) longè potius haberi debet, nusquam tradere dominicæ imagini sacrificia à Gnosticis oblata. Tantùm ait fuisse ab istis *coronatam, atque propositam*, id est, erectam, & loco sublimi ad spectandum & venerandum positam. Epiphanius verò quæ sequuntur Irenæi verba, *& reliquam observationem circa eas similiter, ut gentes, faciunt*, ea de sacrificiis accipit, quæ idolis à Gentibus oblata constat; Nam *qui sunt*, inquit, *gentium mores alii, quàm sacrificium atque alia?* quibus verbis manifeste ostendit, quod ait de oblatis Christi imagini sacrificiis, id se non sua fide, autoritateque testari, sed ex Irenæi loco supra descripto haustum, & ratiocinando collectum tradere. Atqui illa Irenæi, solius adeò in hac causâ testis, atque auctoris, verba non necessariò sacrificiorum cultum significant; possunt-que non minus commodè de cæteris honoribus accipi, quos Gentiles illustrium virorum simulacris largiri consueverant. Nimirum ea

illi magnificè erecta dedicabant, amiciebant, velabant, floribus tùm sertis, tùm solutis ornabant. Quin & eo memorata ab Irenæo *observatio* potiùs quam ad sacrificia referenda esse videtur. Hic enim non de Deorum signis, sed de Homeri, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, cæterorumque de sæculo sapientum imaginibus agitur. Jam virorum hujusmodi, quorum illustre & venerabile erat nomen, simulacra fingere, magnoque in honore habere solebant quidem Pagani, non sic tamen, ut sacra (qui Deorum erat & semideorum proprius cultus) iis etiam facerent: quod siquis hujusmodi quippiam ausus sit, id singularis fuit unius, & alterius forte hominis amentia, non publicè receptus omnium usus. Sed esto tamen; non Epiphanius modo, sed & ipse exsertè Irenæus illos hæreticos accusaverit, quod Domini Iesu imagini sacrificarent. Quid hoc juvat adversarios ad ejus, quod ex hoc loco ducimus argumenti vim infringendam? Illos (inquiunt) reprehendit, tùm quod Gentilium ritu suis istis imaginibus sacrificarent, tùm quod eas cum Paganorum hominum simulacris miscerent. Rectè sane. Vtrumque enim nefas. Nam si vel maximè liceret aliquam Christi & Sanctorum imaginibus venerationem

rationem exhibere, non eo tamen fieret, ut iis vel Ethnica ſacra facere, vel in eo cultu philoſophorum Gentilium ſimulacra adjungere fas eſſet. Sed quod utrumque iſtud Gnoſticorum facinus vituperavit Irenæus, non inde, quod volunt adverſarii conſequitur, aut laudaſſe eum, aut admiſiſſe, aut certè non reprehendiſſe, quod iſti has imagines haberent & venerarentur. Clara ſunt & diſerta ejus verba: *Etiam*, inquit, *imagines, quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Chriſti factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Ieſus cum hominibus, & has coronant.* Quis non videt totum illius orationis (ut ſic dicam) filum idem eſſe? ut ſi, quod ait de effictis & coronatis Jeſu imaginibus, non eo animo id dicat, ut reprehendat; ne id quidem, quod ſubjicit, de iis cum ſimulacris gentilium philoſophorum permixtis, aut de ſacrificiorum cultu eo ſenſu accipiendum ſit, quaſi id reprehendere aut damnare voluerit? Nihil enim eſt in toto textu, quod inter duo hæc orationis Irenæanæ capita ullum omnino diſcrimen conſtituat. Atqui fatentur adverſarii duo hæc poſtrema tamquam crimina, parteſque hæreſeos Gnoſticis tribuere Irenæum. Fateantur ergo neceſſe

necesse est, eum quoque eodem animo, ac sensu primum illud de iisdem commemorare, nimirum quod Iesu imagines fingerent, atque coronarent, non ut rem laudandam & istis cum Ecclesiâ Catholicâ communem, sed tamquam privatum & singularem illius sectæ ritum, & à cæteris Christianis repudiandum. Neque video sanè quî possint ista aliter explicari. Toto hoc capite Irenæus Carpocratis & discipulorum deliramenta recenset, eaque opinionum, & rituum portenta, ex quibus veluti conflata erat tæterrima ista secta. Plurima hujus generis exsecutus, ac istud postremò quod alii ex ipsis *signarent cauteriantes suos discipulos in posterioribus partibus extantiæ dextræ auris*, quodque *se Gnosticos vocarent*, deinceps & quidem continenter subjicit, *etiam imagines* & cætera, quæ supra sunt à nobis descripta. Nonne hæc orationis perpetua, & nusquam interrupta series clamat, & hoc ipsum inter impia Carpocratianorum somnia ab Irenæo accenseri? Profectò vel est fatendum sanum minimè fuisse Irenæum, dum hæc sic continenter pertexeret, vel certè concedendum hæc, quę postrema commemorat, Gnosticorum etiam fuisse singularia, non autem Catholicorum cum illis communia. Quod

ut

ut clarius fiat, obſervandum eſt, Irenæum non dixiſſe ſimpliciter, *Habent etiam Ieſu imagines, quas cum philoſophorum Gentilium ſimulacris miſcent.* Nam ſi hoc ſolum dixiſſet, eſſet fortaſſe aliquis locus ſuſpicandi non alio hic animo commemorari Gnoſticorum imagines, quàm ut intelligatur iſtorum contumelioſa in eas ſuperſtitio. Nunc verò longe aliter eſt. Primùm enim iſtarum imaginum materiam, ac formam notat, partim coloribus depictas fuiſſe, partim ſculptas, & ex alia materiâ, ut loquitur, fabricatas; Tum docet, unde iſti earum originem arceſſiverint, ferentes à Pilato Chriſti imaginem effictam fuiſſe. Tandem ait etiam à Gnoſticis coronatas. Hæc omnia quorſum tam accuratè commemorat, ſi non privata hujus ſectæ commenta, ſed publica fuerunt Catholicorum placita, & inſtituta? Si illius ævi Eccleſia Chriſti, Sanctorumque imagines habuiſſet, ſi in ſacris ædibus dedicaſſet, ſi religioſo cultu, nudo capite, proſtratoque humi corpore venerata eſſet, ſi ſertis floribus, ſi auro, ſi argento, & gemmis (quod hodie facit omnis Romani epiſcopi communio) ornaſſet, non eſt dubitandum, quin Irenæus plane aliter, quam fecit, orationem hoc loco fuerit temperaturus. Quod

in hoc Gnosticorum instituto cum Ecclesiæ ritibus congruebat id ab adventitiâ istorum labe atque impietate distinxisset, quodque cum Catholicis commune illi habebant ab iis, quæ fuerunt hujus sectæ singularia, sedulo secrevisset, totumque locum in hunc aut similem modum constituisset; *Habent quidem & Domini Iesu imaginem, eamque illi perinde ac nos venerantur & corollis ornant, fictam à Pilato jactantes, dum Christus in terris degeret. Verum justum ejus ac legitimum cultum fœdissimè commaculant, dum eam cum Gentilium sapientum simulacris miscent, sacrificiisque Ethnico ritu colunt.* Adversariorum hic appello fidem, siquos causæ studium non excæcavit; annon sic loqui Irenæus, & ad hanc aut similem formam orationem instituere debuerat, siquidem is fuit viri de istis sensus, qui hodie Romanorum est? Estne verò inter eos quisquam, qui si hanc Gnosticorum historiam scribendam suscipiat, non sit daturus operam, ut ista inter se accuratè distinguantur? Atqui longe aliter (quod supra demonstratum est) Irenæus loquitur; planeque ad eum modum, quo rem totam scripturus fuisse videtur aliquis de Ecclesiæ Genevensis ministris. Concludamus igitur, Catholicos, apud quos vivebat Irenæus,

nætus; nihil (quod quidem ſpectat ad imaginum negotium) cum hodierno Ecclesiæ Romanæ ſenſu ac ritu habuiſſe commune. Quod ex iis, quæ ſuperiùs obſervavimus, tanto efficacius colligitur, quod Epiphanius, & Auguſtinus rem eamdem, non aliter quam Irenæus, exſequantur. Fingamus (quod ab omni veri ſpecie vehementer abhorret) tam fuiſſe Irenæum, aut incautum, aut lectoris ſui negligentem, ut, quamquam idem de hoc fidei capite cum Romanis ſentiens, uteretur tamen tam incommodâ, tamque periculosâ oratione; Epiphanius certè & Auguſtinus, cum multis poſt Irenæum annis eadem de re ſcriberent, lapidem illum offendiculi de medio tollere debuerunt, & (quod tam anxiè faciunt hodie Romani) lectorem monere, ne juſtos ac legitimos ſacrarum imaginum cultus cum impiis Gnoſticorum ritibus confundendos putet. Quis non videt hanc ab iſtorum calamo admonitionem tali loco flagitaſſe fidelium ædificationem, tantò impenſiùs, quò negligentiùs dicam an flagitioſiùs id officii ab Irenæo prætermiſſum intelligebant? qui quidem hac in parte ita ſe geſſit, ut ſcandalum, quo viam hanc liberare debuerat, id ipſum objeciſſe videatur, ſiquidem vera eſt

 (quod

(quod volunt adverſarii) præſens Eccleſiæ Romanæ de imaginibus ſententia? Atqui nihil tale factum, vel ab Epiphanio, vel ab Auguſtino, qui iſtud quicquid eſt offendiculi, non modò non amoliuntur, ſed etiam de integro reponunt. Vterque enim nihil immutatâ, aut mitigatâ Irenæi oratione, totam hanc narrationem eadem ſimplicitate pertexunt, in eo quem inſtituunt Carpocratianarum hæreſium catalogo, notantes eos Chriſti & Pauli imagines habuiſſe, erexiſſe, coluiſſe. Quod non video qua fide, quo judicio, quo pudore ſic ſcribere potuerint, ſi verum eſt eos Chriſti, Paulique, & Sanctorum imagines eodem, qui nunc Romæ obtinet, ritu veneratos eſſe. Similis eſt eorum ratio, quæ alibi tradit Epiphanius, Arabiæ Petrææ incolas in Edom, & Rocom, Moyſem propter ſtupenda, quæ edidit miracula, pro Deo habere, *ejuſque imaginem adorare*, ἧν ἀποτυπωσάμενοι ἀπεπλανήθησαν, *quâ*, inquit, *expreſſâ, aut effictâ aberrarunt*; quo loco iſtos, quod imaginem Moyſis finxiſſent, apertiſſimè reprehendit, idque ſtatuit, vel errorem fuiſſe, vel certe erroris, in quem lapſi ſunt, occaſionem, cum ſecundum hodierna Romæ placita, & laudandus fuerit iſtorum zelus, quod tanti viri effigie

Epiph. Hær. 55. p. 469. edit. Petav.

gie gauderent, & ſimul etiam caſtiganda enormis illa de Moſis divinitate opinio.

CAPVT VIII.

Septima Ratio, quod in veterum Eccleſiarum inſtrumentis non ſint imagines. Octava, quod Pauli & Mariæ vera facies veteribus ignota fuerit. Nona, quod Armenii careant imaginibus.

IAM hic coronidis vice lubet adjungere ſuperioribus tria ejuſdem rei argumenta, quæ quamquam aliis leviora videri poſſunt, non ſunt tamen, meo quidem judicio, aſpernanda. Quorum primum ex eo duco, quod ſi ſacrarum (ut vocant) imaginum idem olim fuiſſet, qui nunc eſt, inter Chriſtianos uſus, occurreret haud dubie aliqua earum mentio in tam multis, quæ hodie ſuperſunt, primæ antiquitatis monumentis, iis præſertim locis, quibus deſcribitur, quæ tùm erat, Eccleſiarum ſacra (ut ſic dicam) ſupellex. Jam verò nullæ hujuſmodi imagines in Chriſtianorum libris, niſi ſero admodum, deprehenduntur; adeo ut ipſe Germanus Conſtantinopolitanus epiſcopus, avidiſſimus earum laudator, defenſorque acerrimus, vir cætera doctiſſimus & in Eccleſiaſticis antiquitatibus verſatiſſimus, nullos cauſſæ ſuæ teſtes,

aut patronos citaverit vetuſtiores Baſilio, & Gregorio fratribus, quos Valentis Auguſti temporibus, affecto jam & præcipiti quarto à Chriſti nativitate ſæculo, vixiſſe conſtat. Quæ autem ex iis afferuntur teſtimonia ſuo poſtmodùm loco excutiemus, ac ut ſpero demonſtrabimus iis minimè confici, ullum tunc imaginibus delatum fuiſſe à Chriſtianis cultum. Sed ut rem inſtitutam nunc agamus, Euſebius, (quod eſt ab illuſtriſſimo heroë Philippo Mornæo jam obſervatum) diligentiſſime deſcriptum nobis reliquit templum illud, quod Tyri fuit à Paulino, illius tunc civitatis epiſcopo, magnificè conſtructum; Omnes operis partes, omnia ornamenta, ſigillatim exſecutus, porticus, laquearia, cathedram, candelabra; De imaginibus, nihil; quas tamen ſine flagitio in tam accuratâ deſcriptione omittere non potuit, ſi verum eſt eas jam tum habitas, ut nunc, fuiſſe, non pro nobiliſſimis modò Eccleſiarum ornamentis, ſed pro ipſius etiam fidei atque pietatis utiliſſimis inſtrumentis. Idem duci poteſt argumentum ex eâ, quam idem ille autor litteris mandavit, illius ædis deſcriptione, quam Conſtantinus Auguſtus Hieroſolymis condidit. Athanaſius, dùm Eccleſiæ Alexandrinæ direptionem, à Pa-

Mornæus l.2. de Euch.c.2.

Euſeb.Hiſtor. Eccl.l.10.c.4. p.110.111. edit. Rob.St.

Id.l.3. de vit. C.A.f.141.b. R. St.

Athan.ep. ad ſolit. vitam agentes. p. 847. O.

à Paganis & hæreticis crudelissimè factam narrat, acerbam illam stragem accuratissime nobis ob oculos ponit, confractam mensam, lacerata vela, eversam episcopi cathedram, disjecta cleri & plebis sedilia, violatos sacri baptismatis fontes memorat. Num sacris imaginibus, siquæ tùm fuissent in illo templo, ut nunc sunt in omnibus Romani ritûs Ecclesiis, parcituram fuisse putas impiorum istorum audaciam, atque petulantiam? aut si in eas quoq; sævitum esset, id omissurum fuisse Athanasium, quo loco singulas illius cladis partes diligentissime persecutus est? Atqui neque ille quicquam de imaginibus; quo apparet nullas tùm fuisse in Alexandrinâ Ecclesiâ, quæ profectò tali tantæque ædi nequaquam defuissent, si, quo loco & numero hodie habentur apud Romanos, eo tùm quoque apud veteres Christianos habitæ essent. Eadem occurrit narratio in epistolâ ad Orthodoxos, quæ Athanasii nomine circumfertur, quamquam stili & orationis, rerumque nonnullarum diversitas dubitare me cogant nùm reverâ id sit illius auctoris genuinum opus. Optatus Afer episcopus, quo loco fusè describit, quæ in Ecclesias à Catholicis ante possessas petulanter ac contume-

Optat. contr. Donat. l. 6. toto.

liosè à Donatistis acta fuissent, commemorat quidem aras, calices, divinosque codices, vela atque altarium linteamina, cæteraque hujusmodi ab illis furentibus aut confracta, aut erasa, neque parietes tacet, quos illi tanquam à Catholicis contaminatos velut lustrali aqua laverant; aureas verò vel argenteas Christi crucifixi icunculas, vel ullas omnino imagines, non commemorat. Quis credat, vel imagines, siquæ in sacris illis ædibus fuissent, integras & intactas prætermissuros fuisse, qui neque altaribus, neque calicibus pepercerant Donatistas, vel hanc amentiæ eorum partem, siquid hujusmodi designassent, dissimulaturum fuisse, qui cætera sic anxiè persequitur, Optatum? Palladius in Chrysostomi vitâ diligentissimè descripsit horrendæ illius noctis imaginem, quâ vir sanctissimus inimicorum scelere, atque potentiâ Constantinopoli circumventus, vi per fœdissimum tumultum à prætorianis militibus indignè raptus, atque abductus est; cùm in eam, ex quâ avellebatur, Ecclesiam turpissimè grassantes impii latrones nihil intactum, aut inviolatum reliquerunt. Refert in illâ strage projecta, & proculcata fuisse Sacramenta, sacros baptismi latices sanguine cruentatos, vulneratas

Pallad. Vit. Chrys.

neratas virgines, fugatas mulieres, direptam omnem Ecclesiæ ſupellectilem. De imaginibus verbum facit nullum. Hieronymus res ſacras, quas Nepotianus, cum diaconi munus ſuſciperet, ſibi creditas ſummâ diligentiâ curabat, omnes in ejus epitaphio percenſet, altare, vela, vaſa, Eccleſiæ parietes, oſtia, pavimenta. Imagines nihilo magis commemorat, quàm ii, quos ſuprà laudavimus. Itaque cùm imaginum tam opportunis locis nulla ab iſtis facta fuerit mentio, ſatis patet nullas adhuc apud Chriſtianos in uſu fuiſſe primis illis Eccleſiæ ſæculis. *Hier. ep. 3.*

Alterum ejuſdem rei argumentum ex eo ducimus, quod teſtatur Auguſtinus incertum eſſe quæ verè fuerit Domini Jeſu, quæ Beatæ Virginis, quæ Pauli facies, quæve oris forma, totaque effigies; *Ipſius Dominicæ facies carnis*, inquit, *innumerabilium cogitationum diverſitate variatur, & fingitur, quæ tamen una erat, quæcumque erat.* Tum capite ſequenti, *Vtrum illa facies*, inquit, *Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, cum iſta loquimur, aut recordamur, nec novimus omnino nec credimus*; & paulò poſt ait *qua facie fuerit Paulus nos penitus ignorare.* At verò, ſi quod portendunt adverſarii, jam ipſis Apoſtolorum temporibus obtinuiſſet, ut ſanctorum hominum pingerentur *Aug. l. 8. de Trin. c. 4.* *Ib. c. 5.*

imagines in fidelium cœtibus dedicandæ & colendæ, eaque itidem consuetudo apud posteros sequentibus sæculis constanter mansisset, haud dubie Christi, beatæque Virginis, & Pauli effigies ad vivum à primis illis Christianis accuratissimè expressæ atque effictæ fuissent, summâque curâ ab omnibus tùm in templis, tùm domi servatæ; palamque est, si stat Romanorum hypothesis, non potuisse veteres illos fideles huic officio deesse sine maximâ, & ab illius Ecclesiæ moribus plane abhorrente impietate. Nihil tamen hujusmodi factum fuisse apparet ex iis Augustini verbis, quæ modò recitavimus. Nam si Christi, & Mariæ, & Pauli icones ad vivum jam ipsis illorum temporibus expressæ essent atque ab illis ad posteros per manus (ut sic dicam) fideliter transmissæ, qui ineunte quinto post eos sæculo vixit Augustinus, quæ fuissent eorum facies, quæ ora, qui vultus, nullo negotio scire potuisset; quod tamen sibi, cæterisque ejusdem ævi Christianis prorsus ignotum esse confitetur, ut necesse sit Christi & Sanctorum imagines apud priscam illam Ecclesiam non in eo precio atque honore fuisse, in quo nunc sunt apud Romanos.

Postremo id etiam inde manifestum

est,

eſt, quod Armenii non modò non venerantur imagines, ſed earũ cultores etiam excommunicant, ut eſt à Nicone traditum in opuſculo de eorum religione; *Venerabileis*, inquit, *imagines non adorant, ſed* Nico de Arm. rel. Bibl. Pp. t. 5 *quod magis eſt, eorum univerſalis epiſcopus cum reliquis eos qui adorant anathemate percutit*. Idem etiam affirmat Iſaacus quidam, cujus manuſcripta contra iſtos diſputatio in Regiâ bibliothecâ ſervatur. Verba ejus, quod nondum ſint edita, quod ſciam, græca adſcribam: ὡς τὰς εἰκόνας τοῦ Isaac. contr. Arm. στηλιτευτικῷ λόγῳ, ά. Χριστοῦ, καὶ τῆς θεοτόκου μὴ προσκυνοῦντες, καὶ τῶν ἁγίων, ἀλλ' εἴδωλα ἀποκαλοῦντες ἀναθεματίζονται οἱ Ἀρμένιοι. *Quod Armenii anathematizantur, qui non adorant Chriſti & Deiparæ, & Sanctorum imagines, ſed eas idola vocant*. Idem ſequenti libello: τὰς σεπτὰς καὶ ἁγίας εἰκόνας τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς θεοτόκου καὶ τῶν ἁγίων οὐ προσκυνοῦσι. *Venerabileis ſanctasque Chriſti, ac Deiparæ, & Sanctorum imagines non adorant*. Quare Nicetas ait eos cum Nicet. l. 2. de imp. Aug. veteribus Germanis hac in parte conſentire, tradens apud utroſque imaginum adorationem æque intendictam eſſe. Jam vero Armenios nonniſi poſt tempora tertiæ univerſalis Synodi, Epheſi, imperante Theodoſio II. anno Chriſti 431. habitæ, à reliqui Orientis communione diſceſſiſſe ſatis ex eo conſtare po-

test, quod illam ipsam Synodum unà cum duabus superioribus Nicænâ, & Constantinopolitanâ recipiunt, Chalcedonensem vero & sequentes repudiant, ut patet ex Catholicorum contra eos disputationibus, ac, ut cætera mittam, ex colloquio Theorani cum principe ipsorum Episcopo, quod græcolatinum exstat in Bibliotheca Patrum. Ex his porro videre est venerationem imaginum nonnisi post Ephesini Concilii tempora inter Catholicos fuisse receptam; quippe quæ si vel Apostolorum traditio, vel eorum, qui antè Chalcedonensem Synodum vixerunt Christianorum universalis ritus fuisset, æq; mansura erat in Armeniorum religione, ac cætera ejusdem Ecclesiæ catholica, & publica dogmata. Neque responderi potest hanc illos consuetudinem habuisse quidem initio, sed insecutis post schisma temporibus eamdem abdicasse. Hoc enim si verè ita contigisset, proculdubio fuisset ab Ecclesiâ animadversum, conjectaque in Armenios omnis hujus disputationis invidia, quasi ii principes imaginum usum in religione, magnâ scilicet pietatis jacturâ, abrogaverint; quod tamen numquam ipsis objectum fuisse accepimus; neque ab iis, qui ante funesta Orientis hac de re dissidia vixerunt,

Theor. coll. T. 1. Bibl. Pp. p. 440.

runt, neque ab ipsis postea imaginum patronis; qui quidem solent in iconoclastas, quos vocant, aliquot post Armeniorum schisma sæculis exortos, totum hoc crimen conferre, quòd Christiani nominis primi, cultum & usum imaginum everterint, eamque (ut fabulantur) fidei labem, non ex Armeniorum, sed ex Judæorum & Saracenorum commercio contraxerint.

Hæc sunt, quæ in Sanctorum Patrum disputationibus, ritibus, ac dogmatis, totâque veteris Ecclesiæ historiâ, ad hoc quidem argumentum pertinentia, observare potui; neque dubito, quin multo plura in hanc rem inventurus sit quisquis illa, quæ supersunt, antiquitatis monumenta, libero à partium studiis animo, attentè, & graviter versare voluerit. Sed hæc ipsa, quæ attigimus, satis superque demonstrant, quam Ecclesia Romana nunc tuetur de imaginibus sententiam, eam novam esse inter Christianos, non autem ab Apostolis, vel ab iis traditam, qui proximè post Apostolos quatuor insecutis seculis in Ecclesiâ floruerunt.



LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Primum Testimonium contra imagines, Origenis.

IAM venio ad alterum argumentorum genus, quod in iis Patrum dictis situm est, quibus clarè ipsi testantur, quid de imaginum in religione usu senserint. Origenes quidem disertissimè negat ullas apud Christianos sui sæculi tales fuisse. Cum enim eos irrideret Celsus, quod Jesum, hominem à Pilato damnatum & supplicio affectum adorarent, eoque nomine cum quibusdam Gentibus conferret, quæ viros mortuos colebant, ut Zamolxin Getæ, Mopsum Cilices, Amphilochum Acarnanes, Thebani Amphiaraum, Lebadienses Trophonium, ad hæc sic respondet Origenes; *Hos omneis*, inquit, *immerito nobiscum conferri declarabimus. Nam istis quos enumeravit templa, & simulacra posita sunt à suis populis. Nos vero, (qui non exhibemus Deo tales honores, utpote magis congruos dæmonibus hoc illove loco consecratis,*

Orig. l. 3. contr. Cels. p. 135. gr. cod. lat. 132.

secratis, ut quemque aut ipsi occupaverunt, aut mysteriis quibusdam incantati habitare coguntur) admiramur Iesum, qui mentes nostras ab omni sensibili, nec corruptibili tantum, sed etiam corrumpendo, traduxit ad cultum summi Dei constantem correctione vitæ atque precibus; quas offerimus ei ceu Mediatori inter omnem naturam genitam, & ingenitam, qui nobis à suo patre omnia beneficia deferat, & vicißim in morem Pontificis vota nostra ad summum Deum perferat. Atque hactenus ille, quem tota hac defensione uti nefas erat, si tùm putassent Christiani, divini cultûs partem esse imaginum venerationem. Id ipsum alibi luculentissimè testatur, ubi simplicissimorum è Christianis hominum pietatem cum eo cultu contendit, quem maximi quique philosophorum Gentilium numini deferebant; *Deus,* inquit, *elegit mundi stultitiam, eos qui essent inter Christianos simplicißimi, modestiùs ac puriùs viventes, quàm philosophi, ut pudefaceret istos sapientes, qui non erubescunt res inanimes tamquam Deos alloqui, aut Deorum imagines. Quis enim sanæ mentis non videat eum, qui post egregias illas, & valde philosophicas de Deo sive de Diis disputationes, statuas respicit, & aut preces eis offert, aut per earum contemplationem, tamquam signi alicujus conspicui, conatur animum erigere ad imaginationem intelligibilis numinis?* *Ib. l. 7. p. gr. cod. 373. lat. 367.*

numinis? At Christianus, etiam idiota, persuasissimum habet, quemvis mundi locum partem esse universi, & mundum universum esse templum Dei, & in quovis loco precatur, clausis sensibilibus oculis, erectis autem animæ luminibus; atque ita super totum mundum ascendit; nec consistit in mundi convexis, sed transcensis mente locis supercœlestibus, ductu divini Spiritus, veluti jam extra mundum raptus offert Deo preces de rebus non vulgaribus; didicit enim ab Iesu nihil parvum, hoc est sensibile petere; sed sola magna, & reverâ divina, quæcumque à Deo concessa perducunt ad eam, quæ apud ipsum est per Verbum Deum Filium ejus, beatitudinem. Obsecro, utra istarum imaginum hodiernis Romanæ Ecclesiæ cultibus, ac ritibus congruit exactiùs, illiusne, qui *statuas respiciens, aut preces eis offert, aut per earum contemplationem, tamquam signi alicujus conspicui conatur animum erigere ad imaginationem intelligibilis numinis*, an ejus, qui *clausis sensibilibus oculis mente super mundum scandit, ibique Deum spiritu precatur?* Sed neque omittendum puto alium quemdam ejusdem scriptoris locum, quo jactanti Celso Christianos paria cum Scythis, Numidis, Seribus, aliisque impiis ac barbaris gentibus facere, templorum, altarium, & simulacrorum in religione usum pariter aspernantes, eruditissimè

ſimè reſpondet ille, non eâ conformitate fieri, ut eodem loco & numero habendus ſit Chriſtianorum, & iſtorum cultus, cùm non raró accidat, ut vel ſimilia ſint, vel etiam eadem diverſiſſimarum cauſarum effecta, atque homines ab iiſdem rebus non tamen ob eaſdem rationes abſtineant; quod fusè exſequitur, ac demonſtrat plurimùm inter ſe differre eas cauſas, quæ Chriſtianos, & quæ illos barbaros impellant ad repudiandum ſimulacrorum, ſive imaginum in religione uſum. *Cæterum Chriſtiani homines & Iudæi*, inquit, *ſibi temperant ab his* (nimirum ſtatuis, earumque cultibus) *propter illud Legis, Dominum Deum timebis, & ipſi ſoli ſervies; Item propter illud, Non erunt tibi Dii alieni præter me; & non facies tibi ipſi ſimulacrum, nec ullam effigiem eorum, quæ in cœlo ſunt &c. Item propter illud, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies; aliaque multa his ſimilia, quæ adeo nos prohibent ab aris & ſimulacris, ut etiam emori jubeant citiùs, quàm contaminemus noſtram de Deo fidem talibus impietatibus.* Quid diſertiùs, aut luculentiùs in hac cauſſa dici poteſt? Quod ſiquis eò confugiat, ut dicat hunc teſtem velle, non quidem omnibus omnino imaginibus carere Chriſtianos, ſed iis tantùm, quæ erant apud Paganos in uſu;

Ibid. l. 7. cod. gr. p. 386. Lat. 382.

usu; præclusa est ab ipso Origene omnis ista elabendi ratio? tùm quia id divinæ legis mandatum, quod ut verum Christianæ hac in parte fidei, ac pietatis fundamentum ponit, non gentium tantùm simulacra, sed omnium omninò rerum cœlestium, terrenarumque similitudinem vetat; tùm quòd disertissimè Judæos cum Christianis hactenus quidem componit & conjungit Origenes; quò fit necessariò, ut hæc utrorumque communis causa, non alterorum propria fuerit; Communis verò nequaquam fuit, si Christi & Sanctorum imagines dedicavit & coluit Christianorum religio, cùm Judæos constet nihil hujusmodi admittere, quos omnium imaginum, qualescumque eæ sint, præsertim in sacris, usum constanstissimè semper repudiasse nemo nescit.

Capvt II.

Secundum Testimonium: quod est Eliberitani Concilii.

AC de Origene quidem hactenus. Jam alterum sequitur Eliberitani Concilii de eadem causa testimonium. Vrbs olim in Hispaniâ fuit, quam Romani quidem scriptores *Iliberim*, qui verò

Gotho-

Gothorum temporibus postea vixerunt exiguo inde flexu *Eliberim* vocant; unde mox *Elberiæ*, ac postremò *Elviræ* nomen defluxit; quod hodieque manet in colle quodam Granatæ vicino, ac in unâ ex Granatæ urbis portis, quorum alterum *montem Elviræ*, alteram *portam Elviræ* vulgus vocat. In antiquâ illâ urbe, (cujus præter hæc nulla nunc exstant in naturâ rerum vestigia) habitum olim fuit anno (ut est à Baronio proditum) æræ Christianæ 305. non ignobile Concilium, quod de ejus nomine *Eliberitanum* dicitur. Convenerant ex diversis Hispaniæ partibus episcopi omnino XIX. qui multa de religione ac disciplinâ Christianâ definiverunt, magnâ (ut mihi quidem videtur) observatione digna. Sed ut cætera nunc mittam, sic habet illius Synodi Canon XXXVI. *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.* Hunc canonem in hac ipsâ causâ ante annos octingentos laudavit Agobardus, Lugdunensis episcopus in erudito de imaginibus tractatu, quem parentum nostrorum memoriâ publicavit Papirius Massonus; *Recte*, inquit, *nimirum ob hujusmodi evacuandam superstitionem ab orthodoxis Patribus definitum est picturas in Ecclesiâ fieri non debere, nec* (sic

Ambros. Morel. in Eulog. Cordub. Bibl. Tp. T. 9.

Agob. libello de picturis & imag.

I enim

enim videtur legisse) *quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Ex quo liquet, quàm putida sit illorum cavillatio, qui canonem hunc ab imaginum adversariis fictum, & priscis illis Patribus suppositum fuisse volunt. Sed cùm hinc urgeret veritatis evidentia, illinc præjudicatarum opinionum amor quicquam contrà admittere prohiberet, coacti sunt ad impudentissimam juxta, ac stultissimam responsionem confugere; quæ si admittitur, ab his de religione disputationibus omnino semovenda erit veterum Patrum auctoritas. Nam si is canon, qui in omnibus Eliberitanæ Synodi tam manuscriptis, quam excusis codicibus reperitur, quemque à nobilissimo Galliarum nostrarum antistite ante annos octingentos laudatum fuisse constat, in dubium tamen vocatur; quid aliud quæso erit in Patrum monumentis de quo posthac certi, & securi esse possimus? Neque magis audiendi sunt, qui ut debitam hujus Synodi antiquitati reverentiam, atque fidem convellant, objicere solent scatere ejus canones periculosis sententiis, & ad rigidam Novatiani severitatem proximè accedentibus. Nam & ex veteri historiâ, & ex Tertulliani disputationibus, & ex Paciani Barcinonensis paræ-

parænesibus, & ex aliis aliquot antiquitatis monumentis satis constat, rigidam sanè primis sæculis Ecclesiæ catholicæ disciplinam fuisse, posteà variis temporibus & locis paulatim commitigatam remisisse, ut est ab ipsis adversariorum coryphæis Baronio, Petavio, aliis jam pridem observatum. Eliberitanos ergo Patres tantùm abest, ut is disciplinæ rigor suspectos nobis reddere debeat, ut contra certissimum sit germanæ istorum antiquitatis argumentum. Itaque qui sunt inter adversarios doctiores, ii valere jussis tam frigidis exceptionibus alias rationes ineunt elabendi ex his angustiis. Nonnullas Bellarminus, velut nimiæ absurditatis manifestas, ultrò damnare & confutare non est veritus; ut illam exempli gratiâ eruditi & diserti hominis Andradii Payvæ responsionem, *Concilium Eliberitanum solum prohibere imaginem Dei, quæ pingitur ad ipsius Dei effigiem repræsentandam. Sed non videtur satisfacere*, inquit Bellarminus. Nam certè si ita res habeat, necesse est mirus fuerit Patrum istorum stupor, qui & id vetant, quod nemini umquam Christiano homini in mentem venit, & negant *sibi placere picturas esse in Ecclesiis*, ut scilicet significent Dei formam penicillo effingi, aut adumbrari

Petav. Anim. in Epiph. p. 236

Bell. l. de Imag. c. 9. §. Ad secundum.

non posse. Eamdem ob caussam rejicit Bellarminus Alani etiam Copi, hominis Angli, sententiam, respondentis, *ideò hic probiberi imagines, quia ab illis Christianis adorari cœperant, tamquam Dii.* Sed hæc responsio præter animadversam à Bellarmino absurditatem, mihi hoc quoque videtur habere incommodi, quòd objectam difficultatem minime solvit. Negant Eliberitani Patres picturas in Ecclesiis Christianis habendas. Tridentini non modo retinendas, sed etiam venerandas censent, hoc est, (ut quidem illud vocabulum interpretantur summi communionis illius viri) adorandas, colendasque analogico quodam honoris genere ad eum cultum reducendo, qui ipsarum exemplaribus debetur; Tùm & qui aliter sentiunt anathemate ferire non dubitant. Aio ex his liquere, veteris Ecclesiæ fuisse longe aliam, quàm nunc est Romanæ de imaginibus sententiam. Alanus ariolatur id placuisse Eliberitanis Patribus, quod ab illius ævi Christianis imagines, tamquam Deos adorari viderent. Hoc verò est causam adferre aliquam ejus discriminis, quod inter veterum, novarumque Synodorum placita intercedit (quod nunc quidem non quærimus.) Non est id demonstrare, quod quærimus;

Ibid. §. Alanus.

mus; nimirùm nullum esse inter ista discrimen. Quæ rationes Patres Eliberitanos ad figendum hunc canonem impulerunt, sint eæ sanè quæ finguntur. Illud quidem certè constat, cavisse eos, ne ullæ essent in Ecclesiis picturæ, nedùm ut eas cum hodiernis Romæ antistitibus venerandas, colendasque censuerint. Itaque quod Tridentini jubent, id vetant Eliberitani, eosque tantùm pro genuinis suæ disciplinæ cultoribus agnoscunt, quibus nullæ sunt in Ecclesiis picturæ, quos illi contrà tamquam Dei & Ecclesiæ perduelleis sacris omnibus arcendos, dirisque devovendos putant. Eadem ratio Sanderi quoque cavillationem discutit, suspicantis Eliberitanos Patres imagines è Christianorum templis ideò ejicere, ne eos Gentiles existimarent adorare ligna & lapides. Primùm enim cur hoc illi si in animo habuerunt, non sunt disertè elocuti? cur huic homini tredecim post eorum fata sæculis nato mentem suam scilicet explicandam reliquerunt? Sed illorum quidem sive hoc, sive aliud consilium fuerit (de quo non puto laborandum vehementiùs) decretum certè clarum est & disertum. *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere.* Hoc verò id propriè est, quod in hac disputatione quæ-

Sander. apud Bell. l. de Imag. c. 9. §. Nic. Sander.

ritur. Quod ſi Patres illi picturarum in Eccleſiis uſum rectè & ſapienter vetuerunt, nè (quod ariolatur Alanus) eas Chriſtiani pro numinibus haberent; vel ne eas (quod ſuſpicatur Sanderus) ipſi adorare ab aliis exiſtimarentur; cur Romæ epiſcopus non modo idem non decernit, ſed eos inſuper excommunicat, quos idem metus picturas pariter ex Eccleſiis ſuis amovere ſubegit? Si nunc haberent Concilium Hiſpaniæ epiſcopi, & canonem hujuſmodi in provinciis ſuis publicarent, *Placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere*; obſecro, quod non defuiſſe aliquas hujus conſilii rationes dicerent, ideone evaſuros, ac impunè laturos tantam temeritatem putes? ac non potius, tamquam hoſtes fidei, atque concordiæ Eccleſiaſticæ, Pontificis Capitolini iras, minaſque, & vindices illas flammas experturos? Atqui hoc ipſum decretum fecere olim Patres Eliberitani; neque quiſquam ex iis, qui tunc erant, Catholicis, aut contra ivit, aut conqueſtus eſt. Neceſſariò ergo confitendum eſt, non eam eſſe hodie Romanæ, quæ olim fuit veteris Eccleſiæ de imaginibus ſententiam. Bellarminus, & Perronius Cardinales, Gabriel Vaſques Jeſuita, & alii non pauci aliâ hîc utuntur ſtrophâ. Volunt

ſunt enim Concilii Eliberitani hanc eſſe mentem, *ne imagines depingantur in parietibus Eccleſiæ, non autem ne depictæ in tabellis, aut velis in Eccleſia habeantur*; idque quadam imaginum reverentiâ ita decretum confingunt, ne eas (quod quidem volunt Bellarminus & Vaſques) *humor parietum & ſitus, vel alia ratio corrumperet*, aut (quod maluit Perronius noſter) *ne eas perſecutionis tempore Paganorum ludibriis atque injuriis expoſitas relinquere cogerentur, ſi fuiſſent in Eccleſiarum parietibus depictæ; quippe quæ inde revelli, ac in privatas domos ingruente illa tempeſtate aſportari, ac velut in tutum ſubduci nequiviſſent una cum voluminibus, vaſiſque ſacris, reliquáque miniſterii Eccleſiaſtici ſupellectile, quam ſolebant in tali diſcrimine ex publicis locis receptam in privatarum ædium veluti latebris occultare.* Hanc autem ille Eliberitanæ Synodi mentem fuiſſe tribus argumentis contendit; quorum primum inde ducit, quòd Tertullianus in libro de Pudicitiâ ſui temporis Catholicos Chriſti in ſacris calicibus imaginem habuiſſe teſtatur. Alteram verò ſumit ab hujus decreti ratione, quam ipſi Eliberitani Patres afferunt, *ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur. Hæc enim ratio* (inquit Perronius) *hujuſmodi eſt, ut locum habere non potuerit, niſi in iis imaginibus, quæ*

Bell. ib. §. Alii ergo. du Perr. Act. de la conf. de Font. f 97. Vaſq. in 3. Thom. diſp. 105. c. 2.

sunt in parietibus depicta. Fuisset enim puerilis ineptia prohibitionis universalis causam adferre particularem, ac ne ullæ essent omnino in Ecclesiis, sive in ipsis parietibus, sive extra parietes, picturæ, ideo vetare ne quod colitur & adoratur in parietibus pingatur. Hoc etiam postremo refert, quod hodieq; in Granatensi diœcesi servari ait, in Concilii Eliberitani memoriam, ut in Ecclesiis signa tantũ & imagines in tabulis expressæ habeantur, nullæ autem picturæ in ipsa parietum superficie effingantur. Atque ita vel in clarissimis disertissimisque verbis ludit humana subtilitas, ingeniosis ambagibus ad caussæ suæ præsidium illa ipsa inflectens, quæ eam funditus evertere videbantur! Quis enim est, qui hunc canonem audiens, *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*; quis inquam hunc canonem audiens non eum putet ex Christianorum templis picturas ejicere? contra quàm hodie facit Roma, quæ imagines in iisdem templis constituit, colendasque ac venerandas definit? Isti tamen sperant se nobis persuasuros, Eliberitanos Patres imagines, non ejicere aut infamare, sed retinere atque honorare; paulatimque eam futuram puto calliditatis fiduciam, ut illum ipsum canonem, quo cavetur

ne

ne picturæ ſint in Eccleſiis, fortaſſe ſint aliquando allaturi ad id quod nunc tuentur, demonſtrandum, habendas nimirum, & analogico latriæ & duliæ cultu venerandas eſſe imagines. Sed hic tamen locus tantâ, tamque clarâ luce undique circumfunditur, ut ſi modò ſenſus ipſi noſtros paululùm excitare, atque intendere velimus, facile deprehenſuri ſimus omneis iſtorum artes nihil aliud eſſe, quàm præſtigias & offucias. Hoc in primis uno omnes conſenſu ponunt, vetari à Concilio imagines in parietum tectorio, vel extimâ ſuperficie pictas; alterius generis non vetari, puta quæ aut in telâ, aut in ligno, aut in aliâ materiâ penſili & mobili colorib⁹, vel aliâ ratione ſic effinguntur, ut ex uno loco in aliũ transferri poſſint. Sed hæc ſi voluit Eliberitana Synodus, cur obſecro non expreſſit claris & perſpicuis verbis? Cur non ſaltem innuit? Quis iſtos Hiſpaniarum epiſcopos adeò rudes, & obtuſos fuiſſe putet, ut rem tam facilem, tamque obviam eloqui minimè potuerint? Theodoſius & Valentinianus Auguſti, quorum in hac ipſa diſputatione exemplum à Bellarmino allatum eſt, honoris & reverentiæ causâ vetuerunt, ne crucis ſignum in Eccleſiarum pavimento ſculperetur, aut pingeretur *Bell. ib.*

retur à Christianis. Illinc ergo hanc legem Eliberitanæ Synodi verbis expresserunt, hoc modo, *Placuit cruces in Ecclesiis esse non debere?* Absit ut tam ineptè, tamque præposterè hanc suam mentem elocuti sint. Si fecissent, nemo non putaret, plane aliud eos velle, quàm quod volunt. Audi verò quæ sit eorum oratio in lege, quam ea de re tulerunt, quæque etiam hodie extat in Codice: *Cum sit,* inquiunt, *nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri, signum Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, &c. imperamus.* Hactenus Augusti illi. Neque aliter præfantur Trullanorum canonum auctores, cum rem eandem decernerent, canone 73. Quod ergo isti de crucis signo constituerunt, si idem quoque Eliberitani Patres de imaginibus decernere voluissent, non est dubitandum, quin suam illam mentem similibus quoque verbis in hunc aut alium non absimilem modum explicaturi fuerint: *Cum sacris Domini Iesu Sanctorumque imaginibus magnus honos debeatur: placuit eas in Ecclesiarum parietibus pingi non debere.* At ut Trullani Patres suæ illius legis, qua crucis signum humi pingi vetant, hanc statim rationem subjiciunt, *ne incedentium conculcatione*

L. 1. Cod. tit. 8.

Can. 73. in Trull.

Ibid.

tione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur; non aliter quoque Eliberitani, si eadem mens fuisset, facturi erant, suæque isti pingendarum in parietibus imaginum prohibitioni adjecturi hanc, aut aliam consimilem rationem; *ne pretiosa pietatis nostræ instrumenta, venerandaque eorum quos maximè amamus & colimus, monumenta, parietum humore corrumpantur, paulatimque aut putrescant, aut exolescant*; vel quod mavult Perronius, *ne persecutorum furori in prædam exposita maneant.* Fidem hic, & ipsum communem hominum sensum appello; Patrum istorum, si, quæ iis affingitur, ea verè mens fuit, nonne hæc quoque debuit esse oratio? Nonne adversariorum eadem quoque futura esset, si post elapsa tam multa sæcula mirus ille & hactenus inauditus corruptionis, aut putrefactionis metus repente illis suaderet tale aliquid decernere? Itaque cùm nihil hujuscemodi occurrat in Patrum Eliberitanorum verbis, quid superest, nisi ut fateamur, neque eos quicquam tale in animo habuisse? Sed quid ego orationem, qua sunt usi, huic quem volunt adversarii, sensui convenire nego? Palam est non modo non convenire, sed etiam sic repugnare, ut eum ferre non possit, sive ipsum eorum decretum respicias, sive

eam,

eam, quam ſubjiciunt, decreti rationem. Decreti quidem diſertiſſima ſunt hæc verba, *Placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere.* Illa-ne tantum dicuntur eſſe in Eccleſiis, quæ earum parietibus inducta inhærent? Nonne etiam in Eccleſiis & cenſentur eſſe, & ſunt re verâ, quæcumque earum tecto, parietibuſque incluſa continentur, altare, vela, cerei, cathedra, quæ illuc ad Dei cultum convenit multitudo? Numquam hactenus auditum verba hæc aliter accepta eſſe in ullo hominum ſermone. Cùm igitur Eliberitanus canon exſerte decernat *in Eccleſiis picturas eſſe non debere*, quis non videt hunc ejus eſſe ſenſum, ut neget ullas omnino eſſe debere imagines ſub tecto, & intra parietes, conſeptumque Eccleſiarum? At quæ in Eccleſiis dedicantur in tabulis, & velis pictæ imagines, aliave aliqua ratione effictæ, eas clarum eſt ſub tecto, & intra parietes Eccleſiarum eſſe. Conſequens igitur eſt, non minus eas hoc decreto vetitas, interdictaſque eſſe, quam quæ in parietum tectoriis pinguntur. Quid? Granatenſibus illis, qui plenas habent ſignis, pictiſque tabulis Eccleſias, quod iidem nullas (ut quidem eſt à Perronio traditum) in ipſa parietum ſuperficie depingant imagines, liceretne ideo vere ac

ſeriò

ſeriò adfirmare *nullas eſſe in Eccleſiis ſuis picturas?* Et ſi tale aliquid affirment, nonne ab iis vel infans quærat, *At ſi non ſunt in Eccleſiis veſtris picturæ, ubinam igitur, & quo in loco ſunt tam multæ tabulæ, quas pictas iſtic video paſſim aut ſtantes, aut pendentes?* Profectò vel fatendum eſt Eliberitanos Patres abſurdiſſimè, ac contra omnium mortalium conſuetudinem loquutos eſſe; vel eorum decretum concedendum eſt à nuperis iſtis (quales quidem à Perronio finguntur) Granatenſibus violari. Vſi ſunt Tridentini Patres planè ſimili locutione, & quidem eodem ſenſu, niſi quod ea præcipiunt quæ vetuerant Eliberitani. Volunt enim à Paſtoribus populum doceri, *imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum IN TEMPLIS præſertim habendas, & retinendas.* Obſecro, iſne ferendus videretur, ſiquis eſſet, qui contenderet Tridentinorum in his verbis mentem eſſe, ut Chriſti, ſanctorumque imagines habeantur quidem in parietum tectorio, ac ſuperficie depictæ, non autem ullæ aliæ in tabulis penſiles, & ſeorſim à templi parietibus effictæ? Nonne ab omnibus exſibilaretur hujuſcemodi gloſſema? Nonne, ut eſt, ita haberetur ineptiſſimum, ac monſtri ſimile? Atqui planè eadem eſt, quam iſti afferunt Canonis

Conc. Trid. Seſſ. 25. decr. de inv. Sanct.

nonis

nonis Eliberitani interpretatio. Eſt enim omnino eadem utriuſque Synodi locutio. Negat altera *picturas eſſe debere* IN ECCLESIIS. Affirmat altera *habendas, & retinendas imagines* IN TEMPLIS. Si ergo Tridentinis morem gerit, qui ſeu in parietum ſuperficie, ſeu in ligneis tabulis, ſeu in velis, aut linteis pictas imagines in templo habet; quis non intelligit eum eadem omnino ratione Eliberitanum ex adverſo decretum violare? Pudet Bellarmini argutiam referre; adeò videtur futilis, & indigna tanti viri famâ. Vult enim ille in Eliberitano Canone verba hæc *in Eccleſiis*, non ipſam (ut ſic dicam) Eccleſiarum maſſam ac molem, omneque quod eâ continetur ſpacium ſignificare, ſed *fabricam & muros Eccleſiarum*; ac ſi in Tridentino illo, quod nuper attulimus decreto hæc verba *IN TEMPLIS*, non pro totis ædibus, ſed pro ædium fabricâ ipsâ & muris ſumerentur. Si valet hæc Bellarmini cavillatio, neque ergò altare *in Eccleſia eſſe*, dicendum erit, neque Eccleſiaſtæ cathedram, neque ſacerdotes, neque plebem illic collectam, neque omnino quicquam præter ea, quæ erunt in ipſis Eccleſiæ parietibus. Adverſariorum (quod quidem ipſorum pace dictum ſit) nimia profecto

Bell. ubi ſupr. *& Alii ergo.*

fecto est, aut de nostro stupore, aut de suâ auctoritate confidentia, qui tam inepta, tamque ab omni divini humanique sermonis usu abhorrentia glossemata probaturos se nobis sperant. Sed cum hac istorum interpretatione non minùs pugnat adjecta ab Eliberitano decreto ratio, quàm ipsius decreti verba, *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Si prior Canonis pars eum, quem volunt adversarii, sensum habet, nullas esse debere in Ecclesiarum parietibus picturas, totus canon sic erit constituendus, *nullas esse debere in parietibus picturas*, *ne quod colitur & adoratur in parietibus pingatur.* Sic pro ejus quod decernitur ratione, id ipsum quod decernitur in medium affertur, picturasque in parietibus esse debere negant, ideo scilicet ne fiant in parietibus picturæ; quo quid stultius, aut absurdius dici, vel fingi potest, nihil video. Patres isti (si fides adversariis habenda est) vetant, ne quas in parietibus Christi, Sanctorumve imagines pingamus. Quid ita? *ideo* (inquiunt) *ne Christus vel Sancti pingantur in parietibus.* Quis nisi vel amens, vel infans sic loquatur? Itaque ut Eliberitanos Patres tam ineptæ battologiæ haud honesto sanè crimine liberemus, fatendum

dum eſt plane aliud eos voluiſſe, quàm quod fingunt adverſarii. Volunt enim hoc, quod eorum verba clariſſimè præ ſe ferunt, nullas omnino eſſe debere in fidelium Eccleſiis picturas, ne eo uſu, eaque conſuetudine ſic paulatim vileſcat Dei, quem adoramus, majeſtas, ut is tandem in ipſis parietibus pingatur, Gentilium more, quorum hic ſtultitia & ſtupor tacitè perſtringitur. Sed quò clariùs patefiat totius canonis ſenſus, agè duas illas, quæ ab adverſariis afferuntur, hujus decreti rationes ſigillatim excutiamus, & expendamus, tùm qualis utraque ſit, tùm qualiter cum Canonis verbis conſentiat. Principiò quis non videt inanes & commentitias eſſe duas iſtas rationes, & in uno adverſariorum, qui eas adferunt, cerebro confictas, ac denique hujuſmodi, quas Patribus Eliberitanis umquam in mentem veniſſe nequaquàm probabile eſt? Bellarminus ait eos metuiſſe, ne parietum humor, vel ſitus imagines corrumperet. Sed hoc, Bellarmine, ſi jure metui debet, cur vos Romani numquam hactenus metuiſtis, qui annos jam octingentos tanto animorum affectu, & ſtudio imagines colitis? Numquam enim id vos metuiſſe ſatis docent Eccleſiarum veſtrarum, non parietes modo, & laquearia,

tia, ſed etiam ipſa, ut in Veneto Marci ſacrario, pavimenta opere muſivo pictu-rata. Si hæc cura atque ſollicitudo illius reverentiæ pars eſt, quam imaginibus vos debere putatis, fatemini tum VII. Synodi, & cæterarum quæ ab iis temporibus habitæ ſunt Patres, tùm ter maximos veſtros Romæ Pontifices parum omneis fuiſſe religioſos, qui veſtras illas ſacras, atque tutelares imagines parietum humori & ſitui tam indignè tot ſæculis ſummâ ignauiâ, & ſocordiâ, aut expoſuerunt ipſi, aut ab aliis exponi paſſi ſunt. Fatemini eorum pro picturis zelum minorem fuiſſe, quam Eliberitanorum Patrum, tandemque hoc paradoxon defendite, imagines amaſſe & coluiſſe impenſius, qui eas de Chriſtianorum Eccleſiis ejecerunt, quàm qui reſtituerunt. Quod ſi verè creditis, quid ſupereſt, niſi ut illorum quidem zelum imitemini, horum verò peccatum corrigatis; adeoque ſanctiſſimum hunc Eliberitanæ Synodi canonem Eccleſiæ poſt tam multa ſæcula veluti poſtliminio revocatum reddatis, atque accuratè obſervetis; & picturas, quæ paſſim videntur in templorum veſtrorum parietibus, diligentiſſime deleatis, quod eas (ut vos quidem vultis) Eliberitani Patres cenſuerint non poſſe ſine

aliqua injuria tali loco retineri. Sed quantumvis hæc nunc jactetis, certò ſcio vos numquam eò venturos, donec quidem retinebitis eam, quam defenditis, de imaginibus ſententiam, cùm palam ſit Eliberitano decreto parere id re verâ nihil aliud eſſe, quàm Iconomachorum partes ſequi. Nam ſi ea eſt, quam vos pertenditis, imaginum utilitas, atque neceſſitas, non modò ad Eccleſiarum ornatum, ſed etiam *ad inſtructionem, & eruditionem, quòd meliùs interdum doceat pictura, quàm Scriptura, ad caritatem erga Deum & Sanctos fovendam, & augendam, ad conſervandam in nobis eorum memoriam, imitationemque excitandam, ad confeſſionem fidei, quod dùm diligimus & honoramus imagines Sanctorum, teſtamur nobis placere eorum fidem, & doctrinam ac denique àd honorem Dei & Sanctorum*; ſi inquam, tam ſunt multiplices, tamque eximii imaginum uſus; nonne ſummæ eſt impietatis vel minimâ tanti Theſauri parte plebem Chriſtianam fraudare? maximè ob tam levem, tamque futilem cauſam, quod eas ſcilicet vel humor vel ſitus parietum corrupturus ſit? Quaſi verò non ſit facile huic incommodo mederi, & parietum exoleſcentes picturas ſarcire, ac renovare? aut quaſi tantæ earum utilitates non omnes ſumptus,

Bell. de im. c. 10. §. Probatur tertiò.

ptus, quos in hoc opere fieri conveniet, vel uno die abunde refundere, & cum ingenti lucro reponere possint? aut denique quasi ulla sit imaginum materies non iisdem casibus & incommodis obnoxia? Quæ enim ista, obsecro, est præpostera & ridicula cautio, quæ ab uno parietum humore sibi metuit, cariem, tineas, ignem, tempus, sexcentosque alios casus, non metuit? quibus quotidie videmus istorum signa, atque simulacra consumi? Si rem benè putaveris, non paucioribus periculis tabularum, quàm parietum picturæ obnoxiæ sunt. Furum quidem certè manus, hæ non reformidant. Itaque si ob humoris & corruptionis periculum locum in parietibus picturæ habere non debent, manifestum est eas ne in ligno quidem, aut in telâ, salvâ religione, retineri posse, minimè verò omnium in vitro; quo materia nulla futilior est, aut fragilior. Sed neque Perronii commentum succedit fœliciùs. Putat ille timuisse Patres Eliberitanos, ne picturæ, si in ipsis parietibus essent effictæ, Paganorum ludibrio & direptioni expositæ remanerent sæviente persecutione. Quod si justus est & legitimus iste metus, undè fit, ut in Ecclesiæ historiâ nullus occurrat, qui aliquid hujusmodi metuisse dicatur?

Nam neque iſtorum, neque inſequentium temporum ullus eſt ſcriptor, qui aliquid hujuſmodi memoriæ prodiderit. Inauditum præteritis ſæculis hoc arcanum fuit, donec noviſſimis temporibus revelante Sandero ac Perronio ex latebris tandem emerſit. Compertum quidem habemus ſummam fuiſſe priſcis illis fidelibus curam, ne ſacra Eccleſiarum ſupellex, ne divinarum Scripturarum codices, ne vela, aut calices, aut alia hujus generis inſtrumenta pietatis furente perſecutione in Paganorum poteſtatem venirent, familiari & pæne innato cunctis gentibus ſtudio, ut quæ ad religionem pertinent ea diligentiſſimè tueantur, atque inviolata ſervent. Sed non eſt ullo modo credibile hujuſmodi caſuum metum veteres impellere potuiſſe ad id decernendum, quod Eliberitano canone conſtitutum eſt, ſiquidem eadem illorum fuit, quæ nunc eſt adverſariorum de imaginibus ſententia. Nam, ut jam anteà diximus, impium & iniquum fuiſſet facinus, & quale nullum hactenus ab iſtis, qui venerantur imagines, tentatum ſcimus, fidelibus tam neceſſariam pietatis partem eripere ob caſus incerti metum, neque modò incerti, ſed etiam hujuſmodi, qui ſi contingeret, Eccleſiam quidem

dem dolore afficeret, non autem ullâ culpâ, aut crimine involveret; quippe quæ solà inimicorum vi, nullâ suâ negligentiâ, omnem hanc injuriam pateretur. Sed neque huic malo medebatur id quod commenti sunt remedium. Vnde enim sciunt adversarii persecutorum furori non fuisse exposita, quæ in Ecclesiis seorsim à parietibus habebantur? Sacra illa vasa, atque ornamenta, quoties sunt in ipsis Christianorum conventuum locis à Paganis deprehensa? Quoties ex privatorum ædibus, atque manibus extorta, cum alios mortis metus inflecteret, alios aperta vis obrueret? Scripturarum quidem codicibus non rarò id accidisse notum est, quos persecutores in primis requirebant, quo divinorum oraculorum omnia exemplaria abolerent; ut palam sit huic quoque periculo obnoxias futuras fuisse eas etiam tabulas, atque imagines, quæ parietibus minimè adhærent. Itaque vana est omnis ista prudentia, quam adversarii Patribus Eliberitanis affingunt; qui sacras scilicet imagines, ut à Paganorum injuriis tueantur, è parietibus deleri, atque obliterari jubent; quasi cæteris (quarum, si istis creditur, magnus tùm erat in Ecclesiis numerus) non iidem casus, eademque pericula impende-

rent. Atque ſic patet, quam vanæ ſint, & futiles cauſæ ab adverſariis allatæ; quippe quæ Patres Eliberitanos minime liberant ejus vel imprudentiæ, vel etiam impietatis crimine, quo manifeſtiſſime laborat hoc eorum decretum, ſiquidem ſtat hodierna Romanæ Eccleſiæ de imaginum veneratione hypotheſis. Sed quid opus eſt Patrum Eliberitanorum in hoc canone conſilium tam longè petitis conjecturis indagare, quod ipſi verbis apertiſſimis enunciaverunt? Quouſque tandem iſta novitiorum interpretum ſomnia conſectabimur, cùm expreſſas & conceptas ipſorum auctorum voces habeamus? *Placuit* (inquiunt) *picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Quæ unquam major, aut injuſtior vis fuit? Clamant ſanctiſſimi Patres ſe veritos, *ne id pingatur quod colitur & adoratur.* Contra contendunt adverſarii, alia omnia ſpectaſſe eos. Non hoc, quod ajunt, timuerunt, inquit Bellarminus; ſed aliud longè diverſum, nimirum ne picturas corrumperet parietum humor; non autem, quod verba ſonant, ne id, quod adoramus, ars effingere auderet. Imò ne de eo quidem videntur fuiſſe ſolliciti, clamat alterâ ex parte Petronius; Sed aliud quiddam metuebant,

bant, nempe nè ſacras imagines, ſi eæ in parietibus manſiſſent, violaret Paganus. Has ergo cauſas fac eſſe, quod non ſunt, juſtas, ac rectæ rationi conſentaneas; Illud quidem certè conſtat non eſſe eas, quibus ad hoc, quidquid eſt, decernendum, adducta fuit Eliberitana Synodus. Nam ubinam gentium unquam auditum eſt hæc verba, *ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur,* hæc inquam, verba ſignificare, *ne id quod in parietibus pictum eſt, humore & ſitu corrumpatur*, vel, *à Paganis violetur?* Atque huic quidem ſecundæ expoſitioni, (quam bonam ait eſſe) Bellarminus confitetur tamen, *rationem illam canonis, ne id, quod adoratur & colitur, in parietibus depingatur, non multum quadrare.* *Bell. de imag. c. 9. §. Neque obſtat.* Illam verò alteram, quæ eſt ipſius, niſi mentem præpediſſet cauſæ ſtudium, nihilo melius cum ea canonis ratione convenire facile perſpicere poterat, cùm nullus hactenus extiterit Lexicographus, qui verbum *depingi* accipiat pro *corrumpi*, aut putreſcere. Miſſis igitur iis cauſis, quæ ſunt ab adverſariis confictæ, ſupereſt, ut eam hujus decreti rationem conſideremus, quam ab ipſis Patribus Eliberitanis propoſitam videmus, & quam ab iſtorum commentis planè alienam eſſe conſtat. Synodus picturas eſſe in Eccleſiis

vetat, *ne*, inquit, *quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Nemo neſcit Paganorum, quorum religio maximè adhuc vigebat hujus Concilii temporibus, veterem ac pænè univerſalem fuiſſe conſuetudinem, ut eorum, quos colebant, deorum ac ſemideorum ſimulacra, tùm penicillo, tùm ſcalpro, aliiſque rationibus effingerent, huncque errorem, quo numen coloribus, aliove artificio pingi, & effingi poſſe putabant, Ethnicæ idololatriæ atque impietatis pænè unicum fuiſſe fontem. Cùm ergò viderent Eliberitani Patres auſos Chriſtiani nominis nonnullos hiſtorias, ac parabolas Biblicas pingere, & præter antiquiſſimum uſum eas imagines in Eccleſias inducere, (id enim iſtis temporibus jam alicubi factum fuiſſe conſtat) veriti ne ex eo uſu paulatim homines in errores Paganorum ſuperſtitioni ſimiles delaberentur, omnem illam conſuetudinem abrogandam ac de medio tollendam cenſuerunt. Principio (quod infra ſuo loco luculentiùs demonſtrabimus) pingebantur vel figuræ myſticæ, ac ſymbolicæ, qualis illa fuit Paſtoris ovem deerrantem in ovile humeris reportantis, vel hiſtoriæ è Scripturis petitæ, vel Martyrum certamina. Et hæc quidem ferri fortaſſe potuerunt. Sed

meritò

meritò metuunt Patres illi, ne malum ulterius ſerpat, neve Chriſtiani longiùs progreſſi eo tandem deveniant, ut id etiam, quod adorabant, & colebant, hoc eſt Patrem ipſum, ejuſque æternum Filium Jeſum Chriſtum, ac Spiritum Sanctum, pingendum putent. Illa verò vocabula *in parietibus*, non eo animo addiderunt, ut ſignificarent poſſe id quod adoratur in tabulis, & velis, & alibi denique, quàm in parietibus, pingi ſine crimine. Nam nullum eſſe inter iſta verum diſcrimen, neque Deum vel debere, vel poſſe hac potius, quàm illâ ratione effingi, res ipſa clamat; hancque reſtrictionem manifeſtiſſimè evertit, tùm generalis, quâ uſi ſunt Patres, vetandi formula, univerſim ac ſine ullâ exceptione decernentes *ne ſint in Eccleſiâ picturæ*, tùm inſigne illud Epiphanii factum; quod infrà commemorabitur, quodque unum ſatis, ſuperque evincit, neque ipſi, neque aliis ejuſdem fidei ac zeli hominibus velorum magis, quàm parietum picturas probatas fuiſſe. Quid ergò eſt? Cur Eliberitani Patres cùm omneis omnino picturas ab Eccleſiis rejiciendas putaverint, *parietum* meminerunt? Nempe id exempli tantum cauſâ fecerunt, ut ex hac nobiliſſimâ & communiſſimâ ſpecie

intelligeretur, quid de toto illo genere judicandum esset. Solebant enim Pagani suorum numinum formas in parietibus pingere. Huc etiam accedit, quod nulla videatur major, aut in numinis majestatem contumeliosior indignitas, quàm quâ ad ipsos sive profanarum, sive sacrarum ædium parietes ejus, quæ existimatur forma, demittitur. Itaque ut paucis absolvam, *parietes* hic memorantur exempli tantùm gratiâ, velut vilissima quædam, atque indignissima pars earum rerum, in quibus solerent tales picturæ vulgò ac passim à Paganis fieri; non autem, ut eo vocabulo fieret aliqua illicitarum imaginum restrictio, quasi quæ alibi, quam in parietibus pinguntur, eas sine crimine & periculo recipere liceret. Fortasse etiam Patres *parietes* ideò nominant, quòd in iis tantùm sua pingerent illi, qui hic notantur, Christiani, non autem signa seorsim, vel tabulas dedicarent, ut Pagani, quod nonnisi seriùs receptum in Ecclesiam constat. Jam verò, quàm justus fuerit hic Patrum Eliberitanorum metus, minimè est obscurum. Nam Deus quidem optimus maximus gravissimè, ac severissimè vetat in lege, ne ipsum ulla ratione pingere, aut effingere audeamus, horrendisque anathematis totam hanc

Gen-

Gentilium temeritatem, atque insaniam exsecratus est. Ipse verò rerum eventus hæc istis Patribus initia meritò suspecta fuisse comprobavit; ex quibus pedetentim progressos Christianos tandem eò devenisse constat, ut non modò id pingant, *quod colitur & adoratur*, quod docent, quæ apud eos in usu sunt, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti imagines, sed etiam colant, quod pingunt, quam quidem hujus superstitionis partem, quamquam à Patribus minimè expressam; hoc tamen canone comprehendi, ac subintelligi palam est. Nam qui vetant, ne quod colitur, pingatur, eos multò minùs concessuros clarum est, ut colatur, quod pingitur. Hic ergò re verâ fuit istorum metus, neque aliò sine summâ absurditate trahi possunt hæc postrema canonis verba, *ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*. Sic ea ante annos octingentos accipiebat Agobardus Lugdunensis episcopus in eo libello, quem jam anteà laudavimus; *Nunc error* (inquit) *invalescendo tam perspicuus factus est, ut idololatriæ vel Anthropomorphitarum hæresi propinquum, aut simile sit adorare figmenta, & spem in eis habere; atque hujus erroris causa, fides* * *de corde ablata, tota fiducia in rebus visibilibus collocetur. Sicut autem videntes pictos arma-*

Agob. de Pict. & imag. libro propè extremo.

* *fide.*

*tos viros, vel agriculturæ intentos, sive metentes, vel vindemiantes, seu stantes in navibus piscatores, & retia jaculantes, nec non venatores venabulis extensis, cum canibus capreas, cervosque persequentes; nec augmentum exercitus, nec adjutorium annui operis, vel acervos tritici, seu rivulos musti, nec pisces, capræ *, & sues ab illis nos accepturos speramus; Ita quoque si viderimus pennatos Angelos pictos, prædicantes Apostolos, martyres tormenta patientes, nullum ab imaginibus, quas aspicimus, auxilium sperare debemus, quia nec malè possunt facere, nec benè. Rectè nimirum ob hujusmodi evacuandam superstitionem ab orthodoxis Patribus definitum est, picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Atque hactenus Agobardus. Neque ab ejus sensu multùm recedit ea, quam suprà attulimus, Alani responsio, cui etiam succinit is, qui contra Mornæum nostrum scripsit Bullingerus, qui hunc ait ideo ab Eliberitanâ Synodo constitutum canonem, ne picturas ritu Paganorum coleret Christianorum plebs, & captâ ex picturis occasione, in pristinam idololatriam paulatim relaberetur. Proditum est à Cassandro eundem quoque fuisse Joannis Antonii Delfini sententiam, summi alioqui potestatis Pontificiæ defensoris, quippe qui eam supra

* *capras*

Cass. def. lib. de offic. pii viri. p. p. 869.

ſupra ipſa Eccleſiæ univerſalis Concilia evehit. Is autem hoc Eliberitanæ Synodi decretum cum Ezechiæ regis facto componit, qui ſerpentem æneum, quo populum ad ſuperſtitionem abuti videbat, confringere non dubitavit; unde etiam hæc colligit Delfinus; *Quod ſi aliquando* (inquit) *ut eſt humana inſipientia, & temeritas, in populis obtingat, ut ſuperſtitio atque idolatria figat altiùs radices, quàm porrò difficillimum ſit revellere, tùm poſſunt ac debent Catholici Paſtores Eccleſiæ curare diligenter, ut quibus in locis tantum periculum ſit, tantaque abominatio, ad tempus imagines, & ſimulacra omnia tollantur de medio, actu interim bene inſtituantur, ac admoneantur ſimplices, ac rudiſſimi quique de cultu Dei & Sanctorum.* Et hæc quidem Delfini doctrina vera-ne ſit, an ſecus, viderint adverſarii. Nobis verò ad inſtitutam diſputationem ſatis eſt, quòd tùm iſti, tùm illi alii, quos paulo ante nominavi, nobiſcùm fatentur Eliberitanos Patres ad vetandum picturarum in Eccleſiâ uſum non aliâ causâ adductos fuiſſe, quàm quod vel errorem illum apud nonnullos jam irrepiſſe dolerent, vel certè ne is in poſterum irreperet, merito timerent. Vndè neceſſario conficitur, viros illos ſanctiſſimos ex Chriſtianorum Eccleſiis omneis omnino

Ioa. Ant. Delf. l. 3. de Eccleſ.

imagines

imagines ejecisse, non autem eas tantum, quæ in parietum superficie expressæ inhærent; quando clarum est ei, à quo metuebant periculo, non minus obnoxias esse velorum, & tabularum, quàm parietum picturas. Neque huic expositioni adversantur tria illa, quæ à Perronio in hac causâ allata esse diximus argumenta. Tertulliani temporibus jam alicubi in Catholicorum calicibus pingebatur bonus ille de Euangelica parabola Pastor. Fateor. Sed neque ex ullâ Ecclesiæ lege, neque ex communi omnium Christianorum usu, id factum fuisse certum est. Nihil aliud ex Tertulliano legitimè concludi potest, nisi in ea, contra quam ille disputat, particulari Ecclesiâ, id est (ut ego quidem sentio) in Romana, fuisse hujusmodi calices, ut infra suo loco demonstrabitur. Hoc vero nostram Eliberitani Canonis expositionem, non modo non evertit, sed etiam confirmat, & illustrat. Continet enim ejus rei insigne testimonium, quam nos tamquam veram in primis ponebamus; nimirùm jam tùm extitisse Christianos, qui picturas in Ecclesiis haberent, eoque ipso adductos fuisse Patres Eliberitanos, ut irrepenti malo mature occurrerent, totumque hunc usum, veluti noxium & periculosum,

sum, repudiandum esse decernerent. Quod vero negat Perronius cum nostra expositione consistere subjectam huic decreto in ipso canone rationem, id jam abundè supra explicavimus, ac demonstravimus illa verba *in parietibus* ea mente fuisse addita, non ut solæ, quæ in parietibus sunt picturæ, vetitæ esse intelligantur, sed ut eo velut exemplo intelligatur, quàm sit periculosus imaginum in Ecclesia usus; quippe qui miseros mortales sensim eo perducat amentiæ, ut quod mente adorant, id ipsum etiam in parietibus, more Ethnicorum, pingant. Neque justa causa est, cur hic sensus cuiquam absurdus, aut puerilis videatur. Hodierni denique Granatenses, qui in hujus quoque disputationis Theatrum inducuntur, recentiores sunt, quàm ut in eorum gratiam vim inferamus disertissimis antiquissimi Concilii verbis. Poscere vero, ut post tàm multas, in eorum provincia & fide factas mutationes, ad præsentem, quam isti habent, consuetudinem, tamquam ad regulam exigantur majorum, ante XIII. sæcula denatorum, mores atque usus, id vero, ut mollissimè dicam, ludere est. Sed & fateor non eam nos habere adversariis fidem, ut quod de Granatensium usu narrant,

id

id pro vero & indubitato accipiendum putemus, nisi certiori aliquo testimonio firmetur; quod, quia utcumque se habeat, nihil ad præsentem disputationem pertinet, in medio relinquendum duco. Atque ita palam est inanes esse omneis adversariorum Strophas, atque cavillationes, ut jam tandem concludere liceat Eliberitanos Patres id ipsum sensisse, quod ipsorum verba præferunt, nimirùm *picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Vndè illud primùm consequitur, minimè existimasse istorum temporum Christianos sibi vel ab Apostolis traditum, vel ab Ecclesia universali aliqua lege præceptum esse, ut Christi, Mariæ, & Sanctorum imagines in sacris ædibus haberent, & colerent. Nam si ea tùm fuisset totius Ecclesiæ, & praxis, & fides, neque XIX. isti Patres hujusmodi decretum vel sanxissent, vel promulgassent, neque si fecissent, impunè tantam temeritatem tulissent, reclamaturis haud dubiè cæteris, qui tùm florebant, episcopis, eosque à sacro consortio statim proscripturis, qui universalis Ecclesiæ consuetudinem tàm insolenter abrogare ausi essent. Atqui nihil hujus canonis auctoribus seciùs accidisse certum

est.

est. Contra verò constat unum ex iis Osium, Cordubæ episcopum, in maximis quibusque Ecclesiæ negotiis summo cum honore posteà diutissimè versatum, ipsique Nicænæ Synodo, quâ nulla umquam apud Christianos sanctior, aut celebratior habita est, sive suo, sive, quod volunt adversarii, Papæ Romani nomine profuisse. Hinc etiam & illud secundo loco apparet, receptum apud Christianos tùm fuisse, nefas esse id pingere, quod colitur & adoratur; & quod cum isto cohæret necessario, nefas pariter esse id adorare, aut colere, quod pingitur. Hoc enim, si non apud omnes constitisset, non fuisset ab Eliberitanis Patribus allatum ad firmandam istius decreti vim. Jam verò cuivis cordato & probo homini expendendum permitto, quî horum tùm decretum, tùm ratio cum hodiernâ Ecclesiæ Romanæ & fide & disciplinâ atque praxi conveniat. Melchior quidem Canus Canariensis episcopus, inter illarum partium scriptores, seu judicium, seu facundiam spectes, minimè contemnendus, hunc canonem (adeò durus est, & cum Ecclesiæ Romanæ praxi irreconciliabilis) concoquere non potuit, neque sibi temperare, quominus ei palam malediceret, imprudenterque &

Melch. Can. loc. Theol. l. 5. c. 4.

impiè conſtitutum eſſe diceret; *Leges,* inquit, *aut nimis duras, aut parum rationi conſentaneas, à Conciliis provincialibus interdum editas, non eſt negandum. Qualis illa non imprudenter modo, verùm etiam impiè à Concilio Elibertino lata de tollendis imaginibus.* Hæc vero lex piè-ne ac prudenter, an ſecus à Patribus Eliberitanis lata fuerit, nunc quidem non diſputo; Neq; illud ſanè quæro, modeſtè-ne an ſecùs ſe gerat novitius Magiſter, ortæ nudiuſtertiùs parœciæ epiſcopus, qui novemdecim antiſtites ſine ullo crimine in veteri olim Eccleſiâ verſatos, ac fœliciter, ſummoque cum honore ante tredecim ſęcula in Domino mortuos, tam intemperanter condemnare non dubitat; Neque hoc denique ad examen revoco, ſitne illius reverentiæ, quam Roma antiquitati deferendam putat, vetuſtiſſimam legem *imprudenter & impiè latam* dicere. Hæc alii, ſi libet, dijudicent, & diſceptent pro ſuâ fide, atque integritate. Nobis, qui ſimpliciter diſputare inſtituimus, quid de hâc quæſtione ſenſerint Patres, non autem jure-ne, an ſecus ſenſerint, in præſentiâ ſatis eſt, quod homo inprimis acutus, & naris, ſiquis alius, emunctæ, confitetur latam à Patribus Eliberitanis legem de tollendis imaginibus.

CAPUT III.

Tertium contra imagines testimonium, Eusebii Cæsariensis.

SED nequis putet solis Eliberitanæ Synodi Patribus imaginum in religione usum displicuisse, deinceps recitandum videtur Eusebii Cæsariensis in Palæstinâ episcopi testimonium, qui vir celeberrimo illi Concilio interfuit, quod non ampliùs, quam viginti post Eliberitanum annis, Nicææ habitum fuit.

Cùm igitur Constantii soror, & Licinii uxor Constantia, ex solenni Paganorum errore, quem recens ejeraverat, simulacra in religione utilia esse existimaret, peteretque ab Eusebio, ut ad se Domini Jesu imaginem mitteret, is mulieri hunc in modum respondet; *Quia verò de quadam imagine, quasi Christi, scripsisti, hanc volens tibi à nobis mitti, quam dicis, & qualem, hanc quam perhibes, Christi imaginem? Vtrum veram, & incommutabilem, & naturæ characteres suos portantem? an istam, quam propter nos suscepit, servi formæ schemate circumamictus? Sed de formâ quidem Dei nec ipse arbitror te quærere semel ab ipso edoctam, quoniam neque Patrem quis novit, nisi Filius, neque ipsum Filium novit quis aliquando digne, nisi solus pater, qui eum genuit.* Est post

Euseb. epist. habetur Syn. 7. act. 6.

aliqua: *Sed utique servi formæ imaginem quæris, & corpusculi, quo amictus est, propter nos; Sed & id gloria divinitatis temperatum didicimus, & absorptum esse mortale à vita.* Et post pauca: *Quis ergo hujusmodi dignitatis, & gloriæ vibrantes, & præfulgentes splendores exarare potuisset mortuis & inanimatis coloribus, & scripturis umbraticis? quandoquidem nec aspicere in eum in monte egregii sustinuere discipuli, qui etiam cecidere in faciem, importabile, quod sibi visum fuerat, confitentes? Ergo si tunc incarnata ejus forma tantam virtutem sortita est ab inhabitante in se divinitate mutata, quid oportet dicere, cùm mortalitate exutus, & corruptione ablutus, speciem servilis formæ in gloriam Domini & Dei commutavit? post victoriam videlicet contra mortem, post regressum ad cœlos, post locationem in regio solio circa dexteram Patris, post quietem in inenarrabilibus, & ineffabilibus sinibus Patris? in quam ascendentem, & restitutum cœlestes Virtutes collaudabant, dicentes, Tollite portas, Principes, vestras; & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Atque hæc quidem Eusebius ad Constantiæ flagitationem, luculentissimè demonstrans, nefas esse Christi Domini imaginem effingere, qua ejus forma sive divina, sive etiam humana exprimatur. Jam si Christi & Apostolorum imaginibus, ut nunc in com-

munione Romanâ, ſic tùm etiam in orbe Chriſtiano, plenæ erant Eccleſiæ, privatæque fidelium ædes; quid obſecro, opus erat illam Auguſtam, Chriſti iconem tam longè ex Palæſtinâ ab Euſebio petere? Sed fac Conſtantiam vel cæcâ curioſitate, vel ignoto aliquo affectu ductam, de hujus potiſſimum epiſcopi manu illam, quam expetebat, Chriſti imaginem accipere voluiſſe; ſiccine fuerat honeſtum illuſtriſſimæ fœminæ deſiderium repulſurus Euſebius, ſi ei ſatisfacere per leges, rituſque, & fidem Eccleſiæ licuiſſet? Hoc autem Euſebii teſtimonium jam ante annos DCCCLXXX. in hac ipſa causâ contra imagines Conſtantinopoli allatum fuit in frequentiſſimo CCCXXXVIII. epiſcoporum Concilio, ut eſt ab ipſis eorum adverſariis proditum in Synodo Nicææ paulò poſt pro imaginibus habitâ, ex cujus Actis id deſcripſimus. Ac ipſum quidem teſtimonium minimè ſollicitant adverſarii, diſertius, quàm ut ullâ arte eludi queat. Teſtem verò prolixè criminantur, jactantque fuiſſe Arianum, Nicænoque Concilio ficte ac præter animi ſui ſententiam ſubſcripſiſſe; & varia loca ex ejus ſcriptis adferunt, quæ Arianam impietatem ſapiunt. Non eſt inſtituti mei hîc pro Euſebii famâ & fide cer-

Syn. 7. Act. 6.

tamen inire. Scio neque nostrâ, neque veterum memoriâ defuisse, qui virum purgare conarentur: Et eam causam nemo cupidiùs egit Gelasio quodam Cyziceno, qui Synodi Nicænæ acta descripsit; quamquàm (ut dicam, quod sentio) parùm idonea videantur, quæ ad illius defensionem afferuntur. Sed missâ illâ de fide Eusebii concertatione, respondeo nihil hanc Arianismi invidiam ad præsentem disputationem pertinere. Fuerit Eusebius Arianus; quod multis fuisse videtur, & fortasse non immeritò: Fuerit, si placet, Arianorum signifer. Non eo infringitur vis illius testimonii, quod dixit contra imagines. Quæ enim Ecclesiæ cum Arianis umquam fuit de imaginibus controversia? Quis ex tam multis Patribus, qui contra Arianos scripserunt, eorum hac in parte aut fidem, aut disciplinam reprehendit? Nulla pænè fuerunt vel Græcæ, vel Latinæ Ecclesiæ paulò illustriora ingenia, quæ non in hanc palæstram descenderint. Supersunt etiamnum Athanasii, Hilarii, Basilii, Gregorii, Epiphanii, Cyrilli, Chrysostomi, Fulgentii monumenta, antiquitatis potissima portio, in quibus nullam videmus prætermissam Arianæ perfidiæ impietatem; nullum errorem, quantumvis levem, non excussum,

excussum, atque exagitatum. Quis istos credat tam insignem in cultu diversitatem tacitam, & intactam præterituros fuisse, si, quas Ariani tam inclementer explodunt, Servatoris imagines, eas (quod fingunt septimæ Synodi Patres) in templis passim habuisset, & coluisset Catholicorum Ecclesia? Arianismi itaque suspicio Eusebii contra imagines testimonio pondus potiùs addere, quàm detrahere videtur. Nam domesticorum quidem peccata dissimulat interdum Ecclesia: inimicorum verò errores & flagitia tacere, & veluti silentio tegere non solet. Itaque si, quæ tum erat communis Christianorum fides, atque consuetudo, in hoc imaginum negotio fuisset, aut ab Arianis omnibus, aut ab Eusebio privatim violata; non est dubitandum, quin id aliquis ex tam multis Catholicis, qui in eos stilum strinxere, animadversurus, atque reprehensurus fuerit. Atqui nihil umquam hujusmodi scripsit ullus veterum, quorum ad nos pervenêre litterariæ lucubrationes. Primi id notarunt Nicæni imaginum patroni, quorum ideò nulla esse debet in hac causâ auctoritas. Ergo concludendum est nullum fuisse de imaginibus Arianorum singulare, & à Catholicis discrepans dogma.

Cùm igitur Ariani ita existimaverint, Christi imaginem neque posse, neque verò debere effingi (hæc enim est Eusebii, quem Arianum fuisse volunt, disertè expressa sententia) perspicuum est idem quoque hac de re sensisse Catholicos; vel certè non putasse, quod docent hodie Romanæ Ecclesiæ scriptores, aut necessarias, aut magnopere utileis esse Christianis Domini Jesu imagines. Mitto alterum crimen, cujus nomine student Nicæni Eusebio conciliare invidiam; nempe quod dixerit, *mutatam esse incarnatam Christi formam in divinitatis ejus naturam*; quasi duas Christi naturas permiscuerit, & confuderit. Nam etiamsi ita loquutus esset Eusebius, non eo tamen conficeretur fuisse ipsum in ea, quam reprehendunt, sententia, cum satis constet Hilarium, Gregorium Nyssenum, & alios complures, qui ante exorta Eutychis certamina vixerunt, sæpè sic, nonnunquam etiam durius loquutos; nec eo tamen posse Eutychianæ hæreseos sine summa injuria accusari. Sed & aliud est multò magis observandum. Nam in hac Eusebii epistola, qualem ipsi eam recitant, illa, quæ reprehendunt verba nusquam comparent, sed alia quædam planè diversa, quorumque sensus verus & orthodoxus

Synod. 7. Act. 6. p. 786. F. ult. edit.

doxus eſt, hæc nimirum: ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ μορφὴ πρὸς τῆς ἐνοικούσης αὐτῇ θεότητος μεταβληθεῖσα, hoc eſt, (ut etiam vertit Latinus hujus Synodi interpres) *incarnata ejus forma ab inhabitante in ſe divinitate mutata.* Itaque hæc omnis illorum accuſatio mera eſt ſycophantia; omniaque illa veterum Patrum loca, quibus aliquot pagellas magno cum ſtrepitu repleverunt, non ſenſum, aut verba Euſebii, ſed monſtrum ab iſtis confictum feriunt. Hinc diſce, quæ ſit iis habenda fides, dùm miras & inauditas de imaginibus ſententias nobis ſanctiſſimorum Patrum nomine venditant. Quos verò nunc habemus in Romana communione adverſarios, ii (quod quidem viderim) nihil ad hunc Euſebii locum dicunt; contenti, ut opinor, hac, quamquam ineptiſſima, reſponſione.

Caput IV.

Quartum contra imagines testimonium, quod est Epiphanii.

Sed ad quemdam Epiphanii locum, quem intactum Nicæni Patres omiserant, multa vicissim respondent Romanarum partium scriptores, quæ quid valeant, quamque vim singula habeant, nobis jam ex instituto ordine considerandum venit. Epiphanius anno æræ Christianæ CCCLXXIV. Salaminis, quæ Constantia dicitur, Ecclesiam, Cypri metropolim, cum magna sanctitatis & doctrinæ opinione regebat. Is igitur in ea epistola, quam ad Iohannem Hierosolymitanum episcopum de controversia inter ipsos exorta scripsit, quamque Hieronymus lingua Latina donare non dubitavit, in ea inquam, epistola hujusmodi narrationem instituit; *Quando simul* (inquit) *pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi prætériens lucernam ardentem, & interrogassem, quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrassem, ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem, quasi Christi, vel Sancti*

Epiph. ep. ad Ioh. Hier. T. 2. op. Epiph. & T. 2. op. Hier.

Sancti

Sancti cujusdam; (non enim satis memini, cujus imago fuerit) Cùm ergò hoc vidissem, in Ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent. Illique contrà murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, atque mutaret. Quod cum audissem, me daturum esse pollicitus sum, & illico esse missurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere; arbitrabar enim de Cypro mihi esse mittendum. Nunc autem misi, quod potui reperire, & precor, ut jubeas presbyteros ejusdem loci suscipere velum à latore, quod à nobis missum est; & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. Hactenus Epiphanius. Dic, sodes, lector: Annon iste verus germanusque Iconoclasta est, qui affirmare audet, *contra auctoritatem Scripturarum esse, ut in Christi Ecclesia hominis pendeat imago?* qui id dogma non dictis modo, & scriptis, sed etiam factis confirmat, pendens in Ecclesia Christiana velum palàm lacerans, quod in eo Christi, aut Sancti depictam imaginem videret? qui eam imaginem suâ veluti sententiâ damnatam in sepulcri tenebras ad mortui usum amandat,

dat, ut unà procul à cœli luce ſub terra computreſcat? qui poſtremò Epiſcopum, in cujus parœcia ſita erat illa Eccleſia, graviter monet, *ut deinceps præcipiat in Eccleſia Chriſti ejuſmodi vela*, quæ *contra religionem noſtram venire* ait, *non appendi.* Quid ad hæc Romani noſtri? Cedunt-ne tandem? Abſit. Non hi ſunt Romani ſpiritus; non hi mores. Imò vero nuſquam acrius inſurgunt: nuſquam animoſius, &, quæ eſt artis fiducia, dirum hoc fulmen ab imaginibus ſuis facile ſe, ac nullo prope negotio depulſuros ſperant. Quod ut aſſequantur, omneis ſe in vultus vertunt; omneis in formas mutant. Ac niſi homines adverſus veritatis lucem ultro ac ſponte caligantes commiſeratione, quam riſu digniores eſſent, ſuave fortaſſe eſſet tam varii, tamque multiplicis luſus ſpectaculum. Modò ajunt aut profani, aut certè vulgaris hominis, non ſancti, imaginem fuiſſe, quæ in iſto velo depicta erat: eoq; merito exarſiſſe Epiphanium, velumque laceraſſe, quod rem profanam in æde ſacra locatam videret. Mox quod commentum ab omni veri ſpecie adeo abhorrens vix cuiquam ſe perſuaſuros confidant, ad aliam ſtropham confugiunt, & hanc epiſtolam notham eſſe cauſantur, falſoque Epiphanio ſuppoſitam.

Vaſq. in 3. Thom. diſp. 105. c. 3.

Alan. Cop. c. Dial. 5. c. 21.

Sed

Sed cùm hanc accuſationem improbam, ac impudentem, eoque parum tutam eſſe videant, interdùm paulo modeſtius agunt, ac reliquam quidem epiſtolam totam Epiphanianam eſſe concedentes, poſtremam tantum ejus laciniam criminantur, in qua legitur recitatus à nobis locus; eamque à vafro aliquo imaginum hoſte epiſtolæ peſſimo dolo aſſutam contendunt. Denique cùm cogitant vix fieri poſſe, ut hoc telum ulla arte eludant, tum ſumptis poſtremò animis, obfirmataque fronte, palam, ac ut Romana generoſitate dignum eſt, liberrima cum indignatione conqueruntur Iconoclaſtam fuiſſe Epiphanium, vetuſque verbum ſuccinunt, *una hirundo non facit ver*. Quàm anceps, quamque lubrica, quàm pæne deſperata ſit hæc cauſa, ſatis arguit tam varia, tamque multiplex defenſio. Sed nihil eſt in tota hac eorum diſputatione jucundius, quam quod alii aliorum ſententias moroſè, & cum faſtidio confutant, dumque ex quatuor nuper enumeratis defenſionibus una aliqua à ſingulis evertitur, eò fit ut omnibus nulla tandem ſuperſit. -- *pereunt per mutua vulnera fratres.* Dùm vincunt ſinguli, vincuntur univerſi. Vnus ergo hic nobis labor, iſtos inter ſe ſe committere, ac digladiantes

Bell. de imag. c. 9. Baron. ad ann. Chr. 392.

Alfonſ. à Caſt. contr. Hæreſ. verbo Imag.

diantes ſpectare. Primam nobis defenſionem, quæ Vaſquis eſt, conficiet Monachus Bellarmini abbreviator. Tertiam, quæ Bellarmini eſt, veluti ex talionis lege, viciſſim oppugnabit Vaſques; ſecundamque, quæ Alani fuerat, eadem opera confodiet. Sed antequam ſinguli in ſingulos procedant, ſpectemus primùm, ut omnes uno velut impetu in miſerum Alfonſum ruant, ejuſque reſponſionem, quæ quarto loco ac numero erat, impetant. Quamquam quod illa ponit veriſſimum eſſe fatendum eſt, eam ipſam videlicet fuiſſe Epiphanii de imaginibus ſententiam, quæ ab Iconoclaſtis (ut vocant) ſumma vi poſtea fuit in Oriente defenſa; Id enim tàm clarè clamat adductus à nobis locus, ut non poſſit eſſe diſertior. Hactenus quidem accipimus ingenuam Alfonſi confeſſionem. Quod vero eam ſententiam ipſe damnat, confidenterque, ut illi Magiſtri ſolent, errorem eſſe & hæreſim pronunciat, in eoque laborat, ut Epiphanium excuſet, quod in re nondum Eccleſiæ judicio, atque auctoritate conſtitutâ ei ſine crimine errare licuerit, quod nobis jam non licet, hæc, inquam, omnis oratio eſt hominis, qui victum ſe ſentiens, ab animi ſui ſuperbia impetrare non poteſt, ut victum

ſe

ſe fateatur. Neque ego abnuo, quin Alfonſo merito ſuccenſeat Bellarminus, gravi & ſapienti oratione hominis immodeſtiam compeſcens, atque admonens *non ſine temeritate, & præjudicio Catholicæ fidei tam craſſos errores tam magnis viris tribui.* (*Catholicam* autem *fidem* dicit eam, quæ Romani Pontificis eſt.) præterquam quod totam hanc cauſam Epiphanianis jam temporibus uſu totius Eccleſiæ ſatis definitam ac determinatam fuiſſe vult. Ac de his quidem illi, ut viſum fuerit, inter ſe tranſigant. Nihil ad nos iſta controverſia pertinet, qui in tota hac diſputatione hoc unum ſimpliciter quærere inſtituimus, quid Patres de imaginibus ſenſerint, non autem rectè-ne an ſecùs ſenſerint. Quæ vero iſti iis, quas non probant, ſententiis imponere ſolent *erroris & hæreſeos* vocabula, ea nos minime terrent, doctos verum à falſo, & fidem ab hæreſi diſcernere, non ex præceptis hominum ſtudiis, præjudicatiſque opinionibus, ſed ex ipſa rerum naturâ, ſtatiſque & immutabilibus divinarum Scripturarum oraculis; ex quibus ſi imaginum veneratio probari & conſtitui nequit, tumultuetur ſanè Alfonſus, & ad ravim clamet hæreticam eſſe Epiphanianam de abjiciendis imaginibus ſententiam,

Bell. de Imag. c. 6. §. Serenus.

tiam,

tiam, nunquam ejus ſive ſtudium, ſive intemperies efficiet, ut veritatem vel oderimus, vel contemnamus. Quamquam equidem mihi hoc loco temperare non poſſum, quin de iſtorum duritie atque iniquitate expoſtulem. Nam cum ideo nos profitemur, quem ipſi decernunt imaginibus, cultum aſpernari, quod is neque rectæ rationi, neque ſacris litteris conſentaneus videatur, illi ut totum hoc diſputationis genus amoliantur, quod ſibi in hac causâ difficillimum eſſe intelligunt, Patres appellant, cultaſque ab iis imagines pertendunt, atque id Patres, quæ erat eorum ſapientia & ſanctitas, numquam facturos fuiſſe clamitant, niſi fieri fas & jus fuiſſet. Citati Patres teſtimonium dicunt; & præter iſtorum ſpem, tantum in imagines odium fatentur, ut alii *picturas in Eccleſia eſſe non debere*; alii, ſiquæ iſtic inveniantur, lacerandas eſſe decernant. Tum ipſi illi, qui citaverant, quique eos teſtimonium hac in cauſa dicere juſſerant, converſis repente animis, quorum voces reverenter accipere debuerant, eos affirmant *imprudenter & impiè facere*, atque *hæreſes* loqui; veniâ tamen dignos eſſe, qui tam multis ante nos ſæculis vixerunt. Nonne ſic palam & nobis, & Patribus illudunt? his quidem,

quos

quos cum testes, & judices appellaverint, postea veluti reos objurgant, reprehendunt, ac denique gratiâ & veniâ donant? Nobis verò, quos ut Romanæ doctrinæ, religionisq; veritatem doceamur, antiquitatem adire atq; audire jubent, sed eâ latâ lege, ne ex iis, quæ testantur, ac commendant Patres, quicquã omnino recipiamus, nisi quod ipsis placuerit. Sed Alfonsũ quidem mittamus, à suis profligatum; jamq; quid alii præstituri sint, videamus. Hic verò prodit Alanus quidam Copus, qui ut ex his tricis se explicet, ait, sed timidissimè, nothã esse & Epiphanio falsò suppositam hanc epistolam. Sed hoc Alani commentũ non minus, quàm illud Alfonsi, explodit Vasques. Meritò. Nam inter genuina Epiphanii opera nihil est hac epistola verius ac certius; quę in omnibus pæne Hieronymi codicibus, tum manuscriptis, tum excusis reperitur; quam ipse Petavius, Jesuiticicæ familiæ homo, in Epiphanii editione exhibuit, quam B. Hier. disertissimè testatur à se latinitate donatã fuisse, nonnullaque ex ea capitula memorat; quam ante ann. DCCCXLII. à Carolo M.) sive alius est auctor) in lib. de imag. laudatam constat, itemq; aliquanto postà Parisiensibus Patribus, qui & levi memoriæ lapsu Ioannem istum, ad quem scripta est, Con-

Hier. ep. 61. & 101. ad Pammach.

Car. M. de Imag. l. 4. c. 25. Synod. Paris. c. 7.

ſtantinopolitanum faciunt epiſcopum, qui Hieroſolymitanus fuit. Ipſa vero epiſtola hujuſmodi eſt, quæ & cum generali illorum temporum, & cum privata Epiphanii hiſtoria adamuſſim convenit; neque ab ejus ingenio, vel dicendi genere abludit, familiari, ac pænè plebeio, & ab earum artium ornamentis alieno, quibùs lingua erudiri & expoliri ſolet. Si hujuſcemodi ſcriptum, tamquam ſuppoſitum licet rejicere, quidnam obſecro, ex iis, quæ antiquitatis nomine circumferuntur, pro certo atque indubitato haberi poterit? Nam quod objiciunt illam epiſtolam Latinè tantum exſtare, id nullam vim habet. Quid enim? Annon ſexcenta ſunt græcè ſcripta ab auctoribus, quæ hactenùs Latinè tantum vulgata ſunt, quod græca exemplaria vel temporum injuria interciderint, vel certe in paucarum bibliothecarum tenebris concluſa deliteſcant? Si ea calamitas legitimum eſt ſuppoſitionis argumentum, expungenda erit ex genuinorum antiquitatis monumentorum cenſu Irenæi pæne tota contra hæreſes diſputatio; expungendum Didymi de Spiritu Sancto volumen; expungenda plæraque Origenis, Theophilique Alexandrini, & ſexcenta alia, quæ hic ſigillatim commemorare

longum

longum est. Hujus verò de qua disputamus, Epiphanianæ epistolæ græcum intercidisse exemplar, non est mirandum, cùm his octo retro sæculis imaginum patronos, præsertim in Oriente, in Christianorũ Scriptorum lucubrationes summâ licentiâ, nullo pudore grassatos constet, ut siquid uspiam occurreret, quod ei, quam agebant, causæ adversaretur, id omne aut vi, aut dolo aboleretur, ut vel ex 7. Synodi Canone IX. apparet, quo jubentur *omnia scripta contra imagines dari in episcopio Constantinopoleos, ut recondantur cum cæteris hæreticorum libris*; gravi pœnâ in eos latâ, qui hæc occultare inventi fuerint. Cùm hæc istorum fuerit in conquirendis, & abolendis hujus generis monumentis diligentia, atque severitas, nemo debet mirari, quod Græcum hujus epistolæ exemplar interciderit. Ego multò magis mirandum puto, quod Latina illius scripti versio ad nostram memoriam superesse potuit, idque uni nostrorum in Occidente hominum moderationi tribuendum existimo, qui venerationem imaginum (ut postea suo loco ostendemus) diu & acriter in his partibus oppugnarunt. Itaque Bellarminus, & alii, cum hanc Alani responsionem impudentiorem esse intelligerent, paulò verecundiori

Syn. 7. Act. 8. can. 9.

Bell. de Imag. c. 9. §. Ad quintum.

diori defensione utuntur, nec totam, ut ille, epistolam, sed ultimam tantùm ejus partem in dubium revocant, quasi ea neque ab Epiphanio scripta, neque ab Hieronymo Latine conversa fuerit, sed ab aliquo imaginum hoste conficta, Epiphaniique epistolæ ad favorem errori ex tanto nomine conciliandum assuta. Sed hi commentum suum, neque Gabrieli Vasqui, qui id ex professo confutat, neque Mariano Victorio, aut Dionysio Petavio probare potuerunt, qui in suis Hieronymi, & Epiphanii editionibus totam hanc epistolam publicarunt, nullâ postremæ parti inustâ censuræ notâ. Jacobus quoque Sirmondus, nobilissimus Jesuita, eam alicubi, velut genuinum Epiphanii opus, citat. Neque de istâ, quam Bellarminus fingit, suppositione quicquam antehac suboleverat, vel Thomæ Valdensi, vel Alfonso Castrensi, qui totam hanc epistolam pro vero auctoris, cui inscribitur, fœtu agnoscunt. Quod si rem ipsam penitius inspiciamus, fatebimur tam dilutam esse hanc novitiam cavillationem, tamque ab omni veri & honesti specie abhorrentem, ut mirum sit Bellarminum, & Baronium, viros summi inter suos ingenii, summæque in litteris famæ, eò confugisse; Neque id equidem alite

Sirmund. Not. in Conc. Narb. c. 13. t. 1. Conc. Gall.

Thom. Vald. Tom. 3. tit. 19. c. 157.

aliter accipere poſſum, quàm pro certiſſimo deſperatæ, quam hic agunt, cauſæ argumento. Mitto hujus, quæ arguitur, partis indivulſam cum reliquo corpore connexionem, ſpirantemque in eâ non minus, quàm in reliquâ epiſtolâ, Epiphanii genium. Nunc tantùm quæro, quinam iſti ſint imaginum hoſtes, qui hanc Epiphanianæ epiſtolæ laciniam aſſuerunt? Jam primùm ſatis conſtat hujus fraudis ſuſpicionem non cadere in eos, qui his centum retrò annis poſt Lutheri certamina palàm ab Eccleſia Romana diſceſſerunt. Nam ut taceam totam reperiri in plurimis manuſcriptis codicibus, quos numquam iſti attigerunt, certum eſt eum ipſum locum, qui nunc in controverſiam vocatur, laudatum & deſcriptum fuiſſe, omnino qualis nunc legitur, DCCXXV. annis, priuſquam Lutherus in Germania Papalem auctoritatem ſollicitaſſet; ut videre eſt, tùm apud Carolum Magnum libro quarto de Imaginibus, tùm in Synodo Pariſienſi. Itaque neceſſe eſt, aut ipſis illis temporibus, aut etiam antea confictam fuiſſe, & conſutam hanc epiſtolæ clauſulam ab imaginum hoſtibus. Non fuiſſe autem ab illorum temporum hominibus confictam, nullo negotio deprehendet, quiſquis

Car. M. de Im. l.4.c.25. Syn. Par. c. 7.

rem totam attentius, & libero à partium studiis animo expenderit. Nam istis sæculis nulli omninò occurrunt, in quos hujuscemodi sceleris invidia conferri queat. Fateor videri posse, Græciæ (ut vocant) Iconoclastis aliquam fuisse caussam hujus particulæ conterendæ, quæ eorum dogmati apertissimè favet. Sed non fuisse tamen ab Iconoclastis confictam, certissimum est. Quorsum enim illi hæc Epiphanio suppositurі erant, nisi ut in suscepta contra imagines causa hoc veluti præsidio uterentur, idque adversariis objicerent? Atqui ne laudatum quidem, aut indicatum usquam ab illis hunc locum tam clarum est ex eorum, quæ supersunt, contra imagines disputationibus, ut hoc nobiscum confiteantur adversarii, & illo ipso Iconoclastarum hac in parte silentio ad suæ causæ præsidium (quod mox audiemus) abutantur. Hoc igitur, quod numquam Iconoclastæ hanc particulam in hac causa adhibuerunt, clarissimè demonstrat non fuisse eos istius, quæ fingitur, suppositionis auctores. Superest ergo, ut dicant adversarii spurium hunc & supposititium fœtum ab Occidentalibus imaginum inimicis editum fuisse, in quorum modò libris occurrit ejus mentio. At neque hoc dici potest.

Bell. de Imag. c. 9. §. Secundo quia.

potest. Cur enim, si esset eorum fœtus, sententiæ, quam tuebantur, alteram partem everteret? Negabant quidem isti, quod suo loco demonstrabitur, colendas imagines. Sed neque lacerandas, aut conscindendas putabant; quippe quas in Ecclesiis ferebant, non quidem ad cultum, sed tamen ad ornatum. Illa verò de qua nunc quæritur, Epiphanianæ epistolæ particula, longe ulterius progreditur. Imagines enim lacerat, & ex Ecclesiâ ejicit, & in mortuorum sepulcris defodit. Quis igitur putet adeò væcordes fuisse Occidentales istos Nicænæ secundæ Synodi adversarios, ut nihil profuturo crimine se se obstringere voluerint, compedesque quod dicitur, suo sibi damno cudere, attextâ Epiphanii verbis laciniâ, quæ sententiam ipsorum non modo non adjuvaret, sed etiam everteret? Neque est, quod quis Claudium Taurinensem jactet fuisse istius suppositionis architectum, quòd is in eadem fuit cum Orientalibus (ut vocant) Iconoclastis opinione. Nam neque apud hunc ulla extat Epiphaniani hujus loci mentio, non magis, quàm apud Iconoclastas. Neque verò tantam fraudem Claudio, si is fuisset ejus auctor, condonaturus erat Jonas Aurelianensis, vir, ut illo sæculo, doctissimus.

Præterea certum eſt iſto Claudio, qui Ludovici Auguſti temporibus vixit, antiquiorem fuiſſe Carolum Magnum, Ludovici patrem. Hunc autem, de quo jam quærimus, locum ex Epiphanio tamquam verum, & genuinum laudat Carolus, qui tamẽ in Iconoclaſtas paſſim non ſegniter invehitur, & ubi Epiphanii verba deſcribit, iſta diſertè ſubjicit, *Hanc enim ſententiã de hoc negotio Epiphanii invenimus, quæ utrum laudanda, an vituperanda ſit, lectoris arbitrio conceditur.* O admirabilem Dei optimi maximi providentiam! quæ omnia ſic moderatur & regit, ut etiam minimi rerum eventus non parvum habeant ad patefaciendam veritatem momentum! Ita hoc loco divinitus accidit, ut Epiphanianæ epiſtolæ poſtremam partem memorarent, quorum ea cauſæ oberat; quorum verò ſententiam confirmabat, ii de eadem verbum facerent nullum. Quid ita? Nimirum ut calumniæ os utrimque compeſceretur; atque apparet neutros, hoc de quo quærimus, adverſus imagines teſtimonium confinxiſſe; non hos quidem, qui tam idoneum cauſæ ſuæ præſidium non erant omiſſuri, ſi cognitum habuiſſent; ignorare verò non potuiſſent, ſi ipſi confinxiſſent; illos verò multò minùs, qui confingendi cauſam habebant

Car. M de Im. l. 4. c. 25.

bant nullam, abolendi atque ſupprimendi habebant. Cum igitur ſatis jam ſit manifeſtum neque à veteribus, neque à recentioribus imaginum inimicis Epiphanio affictam fuiſſe hanc de quâ diſputamus, particulam, relinquitur profectò, ut pro vero & genuino Epiphanii ſcripto habeatur, non (quod fruſtrà contendunt adverſarii) pro notho & ſuppoſititio. Non enim id opinor, Epiphanio ſuppoſuerint imaginum patroni, in ejus cauſæ perniciem, quam tanto ſtudio, tantâque animorum contentione agendam ſuſceperunt. Sed etiamſi hoc nobis argumentum deeſſet, tamen ſatis eſſet ad aſſerendam controverſæ particulæ veritatem, quòd ea in omnibus Epiphanianæ epiſtolæ exemplaribus invenitur; quòd ante annos DCCC. eo nomine citata eſt, quod ſequutis temporibus, cùm maximè ferverent iſta de imaginibus certamina, nemo repertus eſt, qui litem ei de natalibus intenderet, donec noſtrâ tandem memoriâ hos noviſſimos magiſtros cauſæ deſperatæ ſtudium ſubegit, ut hujus ſcripti veritatem in controverſiam vocare auderent, anno demùm, poſtquam id è manibus auctoris exierat, milleſimo ducentiſſimo. Quis hanc Bellarmino, & Baronio in ſanctorum Pa-

trum ſcripta auctoritatem dedit, ut iis pro animi libidine totas clauſulas contra conſtantem omnium exemplarium fidem expungere jus, faſque ſit? Si hæc obtinet licentia, quid fiet? Quid in totâ antiquitate certum, aut fixum poſthac ſupererit? Nam ſi cujuſque ſtudium id ſibi ſumat, ut veterum librorum lectionem pro arbitrio figat, ac refigat, quæ non placent ea inducat, quæ placent ea ſola pro veris habeat, quis non videt nullum amplius antiquis monumentis in his diſputationibus locum futurum? Vt enim Bellarminus, aliique earumdem partium, totam hanc Epiphanianæ epiſtolæ partem delent; quod eam cauſæ ſuæ adverſari vident; ſic Proteſtantium diſputatores eo exemplo ſibi quoque licere putabunt, tamquam notha & ſuppoſititia exſibilare, quæcumque ex Sanctis Patribus objicientur, quoties nulla alia occurret probabilis ſolutio. Sed jam ea argumenta, vel, ut veriùs loquar, ſomnia audiamus, quibus iſti adverſus clariſſimam, atque confirmatiſſimam veritatem nituntur. Hieronymus (inquit Bellarminus) in epiſtola ad Pammachium totam fere hanc epiſtolam Epiphanii à ſe Latinam factam recitat, & tamen non meminit hujus veli. Quaſi verò Hieronymus eo loco promiſerit

Hier. ep. 101. Bell. de Im. c. 9. §. Octavo.

ſerit ſe omnia Epiphanianæ epiſtolæ capita ſigillatim recenſiturum; quaſi non alia quædam prætermiſerit, quæ etiamnum hodie in eâ leguntur, qualis illa eſt, quæ ſtatim initio occurrit, prolixa de presbytero illo narratio, quem Epiphanius in Joannis Hieroſolymitani parœciâ ordinaverat; quaſi poſtremò ſit obſcurum, Hieronymi propoſitum eſſe illa tantum ex Epiphanii epiſtolâ attingere, quæ ad Joannis, cum quo ſimultates exercebat, Origeniſmum pertinent, quæ omnis cauſa (ut patet) cum Anablatenſi velo, & imagine nihil commune habuit. At (inquit idem) *poſt finem epiſtolæ ita adjecta ſunt.* Certè ſi (quod iſti volunt) epiſtola ante hæc verba concludenda eſt, non infitior, quin ea ratione hæc verba poſt epiſtolæ finem adjecta cenſenda ſint. Si verò, quod habent omnes tum manuſcripti, tum excuſi codices, ſequamur, ii omnes poſt concluſam hanc de Anablatenſi imagine narrationem, periodum aliam inſuper exhibent, quâ Joannem monet Epiphanius, ut à Palladio Galatâ caveat, *qui Origenis hæreſim prædicabat & docebat*; quo demum loco in hæc verba tota epiſtola concluditur, *Opto, ut valeatis in Domino.* Illa verò pro Eccleſiarum concordiâ & pace Epiphanii precatio, quam con-

Ib. §. Ad quintum.

controversa particula immediatè subsequitur, ea præcedentium quidem, fateor, conclusio est, non autem totius epistolæ; quique ita colligunt, nobis palam illudunt, ac si sanctis viris non alibi, quàm in fine epistolarum fas sit optare, & precari, & vota facere; quod quàm sit ridiculum, nemo non videt. Nam si res ita se haberet, expungendi essent ex Pauli ad Romanos epistolâ versus XLVII. postremi, ut sic desinat in illo Apostoli voto, quod habetur capite XV. versu 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus Sancti*; Ex alterâ ad Thessalonicenses, recidenda essent duo postrema capita, quia tertium, quod ea præcedit, concluserat Apostolus satis longâ pro iis, ad quas scribit, precatione; Denique mutilandæ essent pleræque divini illius viri epistolæ, cùm vix ulla extet, cui non sit aliquod, etiam longè ante conclusionem, inspersum votum. Addit Bellarminus, *Ib. §. Secundo.* Catholicis numquam hunc objectum ab Iconomachis locum; quem omissuri non erant, si in Epiphanii operibus extitisset. Nos contra ex eo ipso verum esse demonstravimus, quia si esset falsus, ab Iconomachis procul dubio confictus & suppositus fuisset; quod tamen ab iis minime

me

me factum fuisse, abunde arguit, quod eo numquam sint usi in hac disputatione. Quid agetis, miseri Iconomachi? Quomodo vos in hac tuenda causa geretis? Siquem veteris alicujus scriptoris locum affertis, clamant adversarii eo ipso, quòd à vobis affertur, falsum & fictum argui, ut mox in hoc ipso auctore audiemus. Siquem tacitum præteritis, eo quoq; quod à vobis prætermittitur, pariter fictum & suppositum fuisse concludunt. Sed jam, quàm acutum sit & efficax hoc adversariorum argumentum, videamus. *Hic Epiphanii locus, non fuit ab Iconomachis in hac controversia laudatus; Ergo falsus est & suppositius.* Erunt igitur ex Clementis Alexandrini, ex Origenis, Athanasii & Chrysostomi operibus expungenda pleraque, quæ nos in hac caussa afferimus; quod ea Iconomachi olim in eadem disputatione minimè adhibuerunt. Quî sciunt Iconomachos nihil eorum non legisse, quæ ad hanc causam pertinent? nihil iis adversariorum fraude subductum? nihil per socordiam, ipsamque humani ingenii infirmitatem neglectum? Eò accedit quod hæc Epiphanii epistola Latinè tantùm extat, neque nisi ab hominibus Latinis, umquam est laudata; Quo adducor, ut credam græcum ejus exemplar vel initio

statim

ſtatim periiſſe cùm primùm Latinè fuit ab Hieronymo reddita, vel certè poſtea ab imaginum patronis in Oriente dolo malo abolitum fuiſſe. Quod ſi eſt, (ut eſſe videtur) non eſt mirandum hunc locum minimè vidiſſe Iconomachos. Sed neque ſi vidiſſent ideò tamen neceſſariò conſequeretur, eum in hac diſputatione ab illis adhibitum fuiſſe, cum ipſi diſertè negent omnia ſe attuliſſe, quæ ad hanc

VII. Syn. Act. 6. tom. 5. extr.

cauſam habebant; *ſed pauca è multis collegiſſe ne in longum extenderetur eorum definitio, plurima alia ſponte omittentes propter infinitam multitudinem*; Epiphanium verò, poſt recitatum quoddam ejus teſtimonium, diſertè ajunt *alios ſermones expoſuiſſe in ſubverſionem efficiendarum imaginum, quos qui amorem* (inquiunt) *diſcendi habent, quærentes invenient.*

Ib. in anterior. Bell. de im. c. 9 §. Tertio. VII. Syn. Act. 6.

Deinceps narrat nobis Bellarminus Epiphanium quemdam ex VII. Synodo Diaconum conviciſſe, duo alia ſimilia loca Epiphanii ſcriptis inſerta fuiſſe ab hæreticis. Sed planè miſerum eſt hoc argumentum; quod neque verum ponit, neque benè colligit. Dicit quidem ille Diaconus Epiphanii quoddam ab adverſariis objectum teſtimonium falſum eſſe, & ſuppoſititium; id verò neque probat, neque ullum iſtius accuſationis ſolidum adfert fundamentum. Itaque

cùm

cùm nudâ iſtius Diaconi affirmatione nitatur tota hæc criminatio, palam eſt Bellarminum non diſputare, ſed ludere, dùm pro certâ & confeſsâ probatione nobis obtrudit dictum hominis in propriâ cauſsâ teſtimonium dicentis, cuique ipſe non neſcit nos multò minus habere fidei, quàm iſtis, quos vocat, Iconomachis. Sed tametſi hæc Bellarmini probatio vera & certa eſſet, (quod non eſt) non ideò tamen efficeret, quod effectum cupit. Fac enim Iconomachos nimio cauſæ ſtudio ſic abreptos fuiſſe, ut ad ejus defenſionem non dubitaverint aliquod Epiphanii nomine teſtimonium confingere; (quod cùm non probetur, neque ſanè admittendum eſt) Fac tamen ita eſſe; Ideòne conſequens eſt, ut hanc quoque, de quâ nunc diſputamus, epiſtolæ particulam à Carolo Magno, vel à Parienſibus Patribus, fuiſſe ſuppoſitam credamus, quorum ſententiæ multo magis adverſatur, quàm favet? Sed magis fortaſſe urget, quod ſequitur Bellarmini argumentum; *Diſcipuli Epiphanii imaginem ejus in ejus templo poſuerunt, quod certè non feciſſent, ſi eorum præceptor dixiſſet, id eſſe contra Scripturæ auctoritatem.* Primùm de toto hoc facto nihil aliud ſcimus, quàm quod eſt à bono illo Nicænæ Synodi Diacono pro-

Bell. ubi ſupr. §. Quarto.

Syn. 7. Act. 6.

proditum, cui quidem cur major, quàm Bellarmino fides haberi debeat, ego ſanè non video. Nam ejus in hanc cauſam animus, & perſpecta in aliis audacia, & ætas, qui quadringentis annis (ut ipſe confitetur) infra Epiphanium, meritò nobis hominem ſuſpectum reddunt. Præterea nihil aliud adfirmat, niſi *templum in Cypriorum inſula dedicaviſſe Epiphanii diſcipulos, nominantes illud ejuſdem vocabulo Patris, & cum multis aliis titularibus picturis imaginem ejus in ipſo templo locaviſſe*; neque definit, quinam iſti ſint, quos memorat, Epiphanii diſcipuli, primine, qui viventem viderant, & cum eo verſati fuerant, an alii diu poſt nati; ſic dicti, quod ejus, tametſi jampridem mortui, diſciplinam ſectari ſe profiterentur; qualiter Franciſci, Dominici, Auguſtini diſcipulos vocamus etiam eos, qui hodie iſtorum, etſi ante multa ſæcula mortuorum, regulas ſe ſe obſervare gloriantur. Nam ſi Epiphanii diſcipulos hoc ſenſu intellexit, non video cur ex iſtorum dictis, aut factis metienda ſit Epiphanii fides, cum ſatis notum ſit non rarò uſuvenire, ut præter magiſtrorum inſtituta, multa à diſcipulis & credantur, & dicantur, & fiant, cujuſmodi mutationes tam interdum ſubitæ ſunt, ac præcipites, ut vel quin-

VII. Syn. Act. 6.

quinquaginta annorum decursus satis fuerit ad disciplinas penitus invertendas. At (inquiunt adversarii) scimus ipsis illis Epiphanii temporibus Gregorium Nyssenum, aliosque non obscuri nominis Patres picturas in templis laudasse. Quasi verò ex unius, vel alterius Patris dicto, vel facto, de cæterorum omnium fide præjudicandum sit. Si placet hæc ratio, vicissim falsitatis arguemus istos Nysseni locos, qui picturas commendant; nimirùm quòd non sit verisimile ab isto laudatas, vel approbatas, quas eadem pænè ætate ab Epiphanio conscissas scimus. Epiphaniani facti fidem non magis elevat Gregorianum dictum, quàm dicti Gregoriani factum Epiphanianum. Iniquum est alterum alterius auctoritate jugulari. Neque est, quod nos terreat quæ inter istos deprehenditur pugna; cùm certissimum sit, fuseq; à nobis alio opere demonstratum, neq; diversæ, neq; ejusdem ætatis Patres idem semper sentire de rebus ad religionem pertinentibus. Hæc autem diversitas præsertim in iis ritibus, atque dogmatis elucet, de quibus nihil ab Apostolis in ipsis fidei primordiis disertè præceptum fuerat. Nam in istis liberæ erant, & plerumque discrepantes eorum sententiæ pro cujusque captu, ac

Bell. ubi supr. §. Quinto.

L. 2. de l'usage des Peres. 5.

ſenſu, variiſque occaſionibus, & rerum eventibus. Itaque ipſa illa Epiphanii Cyprii Metropolitæ,& Gregorii Nyſſeni epiſcopi in imaginum negotio diverſitas luculentiſſimè evincit earum cultum, neque Apoſtolorum mandato, neque univerſali Apoſtolicæ Eccleſiæ lege fuiſſe olim traditum, & inſtitutum. Cæterùm Gregorii, & aliorum (ſiqui ſint) teſtimonia ſuo loco poſtmodùm expendemus, ac Deo dante demonſtrabimus Patres iſtos, quamquam alia ſit eorum, quam Epiphanii hac in parte ſententia, minimè tamen ſequutos eſſe id dogma, quod à Nicænâ poſtea Synodo conſtitutum Roma ſuſcepit, magnoque hactenus conſenſu ſuæ communionis hominibus obſervandum tradidit. Id etiam in hac cauſſa adferunt adverſarii, quod in teſtimonio à nobis adducto legitur *eſſe contra Scripturæ auctoritatem pendere in templo imaginem hominis*; quæ verba negant digna eſſe eruditione Epiphanii; eumque contendunt *ineptiſſimam ſententiam* (ſic enim hanc appellant) nunquam fuiſſe in animum ſuum inducturum. Atqui dùm ſic agunt, rem controverſam per aliam æq;, aut etiam magis dubiam & controverſam probant. Nam qui cùm Epiphanio picturas è templis ejiciendas putant, ii

Bell. ubi ſupra. §. Sexto.

minimè

minimè concedunt, quod hi quasi pro imperio confidentissimè pronunciant, ineptum esse existimare Scripturæ auctoritati repugnare, ut ullius hominis imago in æde sacrâ collocetur. Hoc verò illi non modò non ineptè, sed verè etiam dici arbitrantur, suamque sententiam Scripturarum auctoritate maximè constituunt, quæ non modo nusquam præcipiunt, ut ullius hominis imago in templis à fidelibus vel locetur, vel pingatur, sed etiam multa passim ponunt, atque adfirmant, quæ cum isto usu manifeste pugnare videntur. Multique sunt in ea sententiâ, quos stultos aut ineptos fuisse nemo sapiens dixerit. Rectene an secus ita senserint, non est hic disputandi locus. Nunc satis est, quod ita senserint. Eo enim clarissimè efficitur, ut inepta & vana sit adversarii ratiocinatio, quæ quòd laudatus à nobis locus eam sententiam contineat, indè colligit eum non esse Epiphanii. Sed etiamsi Bellarmino donaverimus ineptè sentire eos, qui putant *esse contra Scripturæ auctoritatem pendere in templo imaginem hominis*, non tamen ideo effecerit, ut id non dixerit Epiphanius, quem & ex his quæ supersunt ipsius certis, & indubitatis operibus, & ex ipsorum adversariorum confessione, constat

aliquando, neque in paucis, hallucinari.
Bell. ubi supr. §. Septimo. *Greg. l. 9. ep. 9.* Postremò denique Gregorium Magnum adducunt, qui ad Serenum exeunte sexto æræ Christianæ sæculo scribens negat ullum ante Serenum episcopum confregisse imagines; quod non videtur fuisse negaturus, si verè ab Epiphanio consciscum fuisset illud Anablathensis Ecclesiæ velum. Sed neque hoc argumentum ullam vim habet ad id probandum, quod ab adversario susceptum est. Quid enim? *Greg. M. Reg. l. 6. ep. 31. & l. 7. ep. 30.* An omnia scivit Gregorius? Epiphaniine factum, & epistolam ignorare non potuit is, qui ullum fuisse inter hæreticos Eudoxium nescivit, idque ab Eulogio Alexandrino Patriarchâ docendus fuit? adeò erat in historiis, & libris Ecclesiæ peregrinus? quique quid esset *stibium* *Id. l. 35. Mor. in Iob. c. 13.* ignoravit, & *cornustibium*, quod nomen uni ex Jobi filiabus impositum est, ridendo & planè puerili errore, pro *cornu tibiæ* accepit? Sed tametsi hanc ille Epiphanii epistolam alias legisset, nonne fieri potuit, ut ad Serenum scribens lectam à se, vel non meminisset, vel etiam ex causæ usu, & commodo dissimularet? Nam nimio ejus studio transversum quoque agi potuisse Gregorium, non negabit quisquis illius viri scripta diligenter legerit; ubi in magna rerum optimarum co-

piâ

copiâ occurrunt etiam ſubinde non obſcuræ humanæ infirmitatis labes; quale illud eſt, quod ſuis majoribus oblatum fuiſſe à Chalcedonenſi Synodo *Epiſcopi univerſalis* titulum, aliquoties inculcat, præter fidem Actorum illius Concilii, in quibus nihil hujuſmodi legitur. Neque enim puto quiſquam horſum traxerit, quod Theodorus, & Iſchyrion, & Athanaſius neſcio qui Alexandrinæ Eccleſiæ diaconi, aut preſbyteri Leonem, dum ſeorſum ſinguli de rebus ſuis vel narrant, vel ſcribunt, *epiſcopum univerſalem* nominant. Nam tres iſtos homunciones pro Chalcedonenſi Synodo accipere, id verò nihil aliud eſt, quàm vel delirare, vel certè ludere. Cùm ergò nullam adferant adverſarii rationem idoneam dubitandi de laudatâ Epiphanianæ epiſtolæ particulâ, reliquum eſt, ut concludamus verè eam ab Epiphanio ſcriptam fuiſſe, qualis hodie legitur in omnibus illius ad Joannem Hieroſolymitanum epiſtolæ exemplaribus. Atque ita Bellarminus, & qui cum eo ſentiunt, de gradu dejecti, & ex hac veluti diſputationis acie pulſi, ac fugati ſunt, plaudentibus Vaſque & Victorio, aliiſq; earumdem partium non paucis, qui hoc teſtimonium Epiphanii vere, ut eſt, ita eſſe confitentur. Nunc videndum

Id. epiſt. l. 4. ep. 32.

Con. Chalc. Act. 3.

dum superest, quamnam hi artem ad hoc arcendum telum adhibeant. In primis igitur ajunt non Christi, aut sancti alicujus, sed privati & plebeii, vel etiam profani hominis imaginem fuisse in illo velo depictam, atque in Anablatensi Ecclesiâ locatam, ac si Christi fuisset vel sancti alicujus effigies; visoque tam indigno facinore merito commotum fuisse sanctissimum virum, velumque conscidisse, eoque facto definivisse quidem, non esse sacras ædes communibus profanisve picturis contaminandas, (quod idem sibi etiam vehementer placere testantur) sed non ideo consequens esse, ut Christi quoque & Sanctorum imagines ex hujusmodi locis ejiciantur. Hæc quidem est omnis istorum defensio. Mitto, quod eam Bellarminus indignam judicavit, in quâ tuendâ laboraret. Ait enim alteram, nimirum ipsam illam, quam modo confutavimus, *veriorem* esse; quo hanc significat, aut falsam esse, aut certè dubiam, & obscuram. Sed Bellarmini breviator Monachus, fortasse ut ulciscatur Magistri cladem, in Vasquem ruit, hancque ejus solutionem ex professo refellit. Meritò sanè. Nam nimis protervè ludunt, qui sperant se nobis persuasuros tam absurdam, tamque ineptam fabulam,

Bell. de Imag. c. 9. §. Ad quintum. & Ibid. Bell. Breviat.

lam, quæ neque cum facto, neque cum verbis Epiphanii cohæret. Non quidem cum facto. Nam, ut ipſe narrat, ſimulatque illam hominis imaginem in velo depictam aſpexit, velum quod in foribus Eccleſiæ pendebat, illico nullâ morâ interpoſitâ conſcidit. Non quærit, non interrogat, quis iſte ſit, cujus imaginem in Eccleſia viderat, ſanctus-ne, an profanus. Totum hoc curæ genus ſic ille contempſerat, ac neglexerat, ut de his aliquanto poſt ſcribens ne meminerit quidem, cujus illa imago fuerit; quod tam cito non fuiſſet oblitus, ſi id ab incolis ſciſcitatus eſſet. Sed nullo ſumpto ad deliberandum ſpacio, ut imaginem videt, ſtatim velum arripit & conſcindit; quod maximum eſt argumentum ipſam illi imaginem, non autem imaginis tantùm ſpeciem, aut qualitatem in Eccleſia diſplicuiſſe. Cùm autem poſtea cuſtodibus illius ædis velum miſit, pro eo quod conſciderat, non ait ſe in eo, non profani hominis, (quod in priori perperam factum fuerit) ſed Chriſti, aut Sancti alicujus imaginem pingendam curaſſe; neque quicquam hujuſmodi memorat; Tantum ait *mittere ſe, quod potuit reperire.* Si nunc Vaſques, aut aliquis alius ex eorum numero, qui Chriſti & Sanctorum ima-

gines in ſacris ædibus collocandas, atque dedicandas putant, peregre profectus, obiterque in Eccleſiam ingreſſus, imaginem iſtic in velo pictam, ac in foribus pendentem videret, neque compertum haberet, cujuſnam illa eſſet, ſanctine, an profani hominis, eamne, quæſo, ſtatim ille laceraret? quod nimirum non ſint in Eccleſiis ferenda profanorum hominum ſimulacra? Non prius ab incolis ſciſcitaretur, cujus ea ſit imago, Chriſtiani ne hominis, an infidelis? Sancti, an profani? cur, quando, & à quo præter fas & decorum, atque uſum etiam communem, in loco ſacro poſita ſit? Quin & hæc ſigillatim percunctatus neſcio an ſit auſurus inferre manum. Hoc quidē ſcio, ſi his omiſſis ſtatim in imaginem involet, eamque ſine morâ diſcerpat, eum pro inſano habitum iri. Si ergo eadem Epiphanii fuiſſet quæ eſt Vaſquis opinio, viri ſanctitas, atque ſapientia dubitare nos non ſinunt, quin eandem quoque moderationem, idemque temperamentum in hoc negotio adhibiturus fuerit. Extra ſuam diœceſim in Ioannis Hieroſolymitani parœcia peregrinatur. In pagum venit, quo fortaſſe numquam antea acceſſerat. In ignotam ingreditur Eccleſiam. Imaginem in velo ſupra oſtium penden-

tem cernit. Nihil cunctatur; nihil sciscitatur; velum arripit, & conscindit. Fuitne obsecro, ullum umquam facinus isto vel insolentius, vel minus ferendum, siquidem universa Ecclesia imagines tum eo loco, ac numero habebat, quo nunc habet Romana? Annon Christiana caritas ab Epiphanio flagitabat, ne de illius Ecclesiæ ministris, sacerdote, ædit∙uo, aliis, quicquam seciùs temerè existimaret? neve istam profani potius, quàm sancti alicujus hominis imaginem esse putaret? Nonne idem exigebat loci, personarumque religio? Quod siquid aliter suspicaretur, nonne ipsa æquitas, atque humanitas poscebat, ut illam cogitationem paululum animo cohiberet, atque contineret, donec rem totam certiùs atq; exploratius nosset? Maximè cùm in alienâ diœcesi versaretur, & in ignotâ Ecclesiâ, cujus adeò usum, rationemque facilè poterat ignorare. Atque nihil ille horum omnium. Satis habet perspexisse, quod imago sit. Id simul perspexit, statim commovetur; statim toto pectore inardescit, velumque, rei indignitate percitus, sine morâ conscindit. Pace Vasquis liceat eloqui, quod sentio; Hæc Epiphanium sic fecisse, qui concedit, nisi idem quoque neque ipsum, neque alios Cypri, &

Palæstinæ Christianos ullas tum in Ecclesiis imagines dedicasse, aut habuisse confiteatur, illum ex sanctissimo atque sapientissimo viro, stolidum ac præcipitem, nullo Christianæ vel modestiæ, vel caritatis sensu imbutum hominem facit. Non aliter potest hoc ejus factum defendi; Quod quidem insigne erit zeli specimen, si hunc, quem diximus, plerorumque ejus temporis Christianorum in religione usum, atque sensum fuisse constitueris; sin res secùs habuit, merus fuerit hominis parum sani furor, meraque importunitas. Sed adversariorum glossema Epiphanii non magis factum, quam verba refellunt. Nam si eo perculsus est, non quod simpliciter imaginem, sed quod profani hominis imaginem in Ecclesiâ vidisset, cur hoc ille nusquam dicit? Nonne eorum, quos primùm alloquutus erat, usus atque ædificatio, nonne ejus, ad quem nunc hoc ipsum perscribit, Joannis Hierosolymitani, æmuli atque inimici hominis ratio, poscebat, ut hoc in primis clarè & disertè eloqueretur? Nonne docebat vel ipse hominum communis sensus, non aliâ ratione vel hoc factum purgari, vel Anablatensium murmur sedari faciliùs posse, quàm si admoneret eum virum, qui in velo pictus erat,

pro-

profanum fuisse? eâm adeo defensionem tamquam unicum hujus causę præsidium, tum in principio, tum in medio & fine hujus narrationis adhiberi debuisse? Et tamen (ô incredibilem mentis, & sensuum stuporem!) non modò nihil istorum Epiphanius in totâ narratione dixit; sed & ea dixit, quæ cum istis totâ (ut loquuntur) diametro pugnant. Facti enim istius narrationem his verbis complexus est; *Inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ, tinctum, atque depictum, & habens imaginem, quasi Christi, vel sancti cujusdam.* Hæc verò oratio, aut nullum habet sensum, aut significat fuisse hanc hominis, non (quod vult adversarius) profani, sed sancti imaginem, quamquam haud satis meminit Epiphanius, quis sanctus ille fuerit, quem imago referebat. Hic enim omnino est istorum verborum sensus; animadvertisse Epiphanium in velo imaginem; illud etiam satis intellexisse, fuisse eam Sancti alicujus imaginem; sed de re ipsâ adeò non fuisse sollicitum, ut brevi animo effluxerit vera illius imaginis forma, idque solum in memoria confusè atque universim hæsisse, aut Christum, aut alium aliquem de beatorum numero fuisse in velo depictum; utrum autem verius sit, non posse jam liquidò affirmare. Nam

hæc,

hæc, quæ parentheſi incluſa, ſubjicit, *non enim ſatis memini, cujus imago fuerit*, hæc inquam, rationem ejus continent, quod antè dixerat, *habens imaginem, quaſi Chriſti, vel ſancti cujuſdam*, ac veluti excuſant, quod lectoris mentem dubiam, & ancipitem reliquerit, minimè definiens, utrius imago fuerit, Chriſtine, an ſancti à Chriſto diverſi. Fingamus Vaſquem in æde aliquâ offendiſſe Cæſaris, aut Pompeii depictam in velo imaginem; neque ſatis meminiſſe utrius illa fuerit; Fingamus rem, quemadmodum accidit, exponere cupientem his verbis narrationem inſtituere; *Vidi velum pendens in foribus tinctum, atque depictum, & habens imaginem, quaſi Chriſti, vel ſancti cujuſdam. non enim ſatis memini, cujus imago fuerit*; Dic, obſecro, quiſquamne eſt, qui tam aliena à mentis ſuæ ſenſu loquentem non putet, vel deſipere, vel certè auditoribus illudere? Atqui ſic omnino loquitur Epiphanius. Ergo neceſſe eſt plane aliud eum velle, quàm quod cavillatur Vaſques. Huc accedit, quod ea, quam ſubjicit, ratio, quâque unâ factum hoc ſuum veluti fulcit, ac munit, idem quoque luculentiſſimè demonſtrat, *Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud.* Te hic ego

ego appello, ſanctiſſime vir Epiphani. Cur ſubito excanduiſti? Cur imaginem ſacram vel ornandæ ædi, vel accendendæ fidelium pietati poſitam tam contumelioſe ſcidiſti? Tene fortaſſe offendit picturæ argumentum? quod ea profanum hominem, non aliquem de ſanctorum choro expreſſum repræſentaret? Imo nihil iſtorum occurrit apud Epiphanium. Quid ergo tandem fuit? Nimirum, inquit, diſplicuit velum, quod contra ſcripturæ auctoritatem hominis imaginem in Chriſti Eccleſiâ exhiberet. Quid poteſt dici clarius, aut diſertius? Profecto qui ſancti ſunt, eos homines quoque eſſe palam eſt. Cùm ergo clamet Epiphanius contra Scripturæ auctoritatem eſſe, ut hominis imago in Chriſti Eccleſiâ pendeat; quis non videt, quanta ſit, & quàm non ferenda iſtorum audacia, qui nobis perſuadere conantur non Sanctorum, ſed profanorum tantum imagines ex Eccleſiâ ejicere Epiphanium? Sed eſt clarior hæc cauſa, quàm ut pluribus agenda ſit; in qua quod paulò diutius immorati ſumus, id non rei fecit obſcuritas, ſed adverſariorum coëgit iniquitas, atque pervicacia. Itaque prolixitatis invidiam à lectore deprecati concludamus tandem re verâ crediziſſe Epiphanium, non licere Chri-

Christianis imagines in ædibus sacris vel ponere, vel ab aliis positas ferre. Neque est, quod quis ad elevandum hujus testimonii pondus illud protritum nobis cum Damasceno occinat, *unam hirundinem non facere ver, neque id quod rarum est, Ecclesiæ legem esse.* Primò non una est hæc hirundo. XIX. jam anteà simul, & semel advolantes aspeximus; aliasque deinceps cernemus; nequid de iis argumentis dicam, quæ in prima hujus operis parte observavimus. Præterea periniquum videtur hoc Epiphanii dictum pro uno tantùm censeri testimonio, seu testem ipsum spectes, seu testimonii circumstantias. Testis quidem est magnus Epiphanius, cujus apud sui sæculi homines, non modo Ecclesiasticos, sed etiam externos, tanta fama atque admiratio fuit, ut ipsi eum Ariani venerati sint. Is est quem Hieronymus *patrem pæne omnium episcoporum, & antiquæ reliquias sanctitatis* vocat; veterum traditionum religiosissimus observator, novorumque & privatorum rituum juratus hostis, (ut ex ejus Panario, ingenti contra hæreses opere, constat;) Constantiensis insuper episcopus, & omnium, quæ in Cypro erant, Ecclesiarum caput. Quis fieri potuisse putaverit, ut vir talis, ac tantus opinionem cum universali

Damasc. orat. 1. de Imag.

Hieron. ep. 61. ad Pammach.

versali totius Ecclesiæ consuetudine pugnantem foverit? neque foverit modo, sed etiam palam in communi hominum luce ostentaverit, publicumque Christianorum usum proculcaverit, ac ludibrio habuerit, ex æde sacra imaginem audacter detrahendo, atque conscindendo, quæ eo loco ex solenni omnium fidelium religione consecrata fuerat? Manifestum est numquam hæc ita facturum fuisse Epiphanium, si publica Ecclesiæ lege, communique Christianorum usu tum obtinuisset imaginum veneratio. Esto tamen: Tanta fuerit hominis importunitas, atque morositas, ut in hanc, non jam dico ineptiam, sed insaniam, atque insolentiam incidere potuerit. Quis tamen crediderit, si apud Christianos tùm recepta fuisset ea, quæ nunc in Romana communione obtinet de imaginibus sententia, quis inquam si hæc ita habuissent, putaverit, non indignaturos, non exclamaturos fuisse ad hanc Epiphanii tam projectam, tamque incredibilem audaciam Ecclesiæ Anablatensis ministros, sacerdotes, æditu os, custodes? Atqui ne mussant quidem. Tantum queruntur, quod aliud pro eo quod consciderat, velum dederit nullum; eo testantes, veli, non picturam, sed usum ac pretium à se

deside-

desiderari. Quicquamne vel dici, vel fingi potest ista querela ineptius, si, qui queruntur, eorum eadem fuit, quæ adversariorum est sententia? Illi universalis Ecclesiæ legem contemni, atque violari; illi sacrum publicæ pietatis instrumentum ab alterius provinciæ antistite conscindi, muti ac silentes vident; non indignantur, non renituntur, non reclamant. Hoc unum in tam audaci, tamque contumelioso facinore reprehendunt, quod discerpto velo facta sit illius seu telæ, seu panni jactura. Quod si tantumdem fuerit redditum, placati quiescent; neque suam illam imaginem sub terrâ cum cadavere computrescere ægrè, vel impatienter ferent. Quo argumento patet illam imaginem ad solum ornamentum in velo fuisse adhibitam, huncque ex eâ quæsitum ab istis usum, non ut fidem pasceret, non ut veneratione aliquâ coleretur, non ut rudes, ignarosque doceret (quas ob causas hodie expetuntur imagines) sed ut velum, in quo depicta erat, pulcrius atque elegantius redderet. Velum autem ipsum Ecclesiæ foribus oppansum interius pendebat, ex more temporibus illis recepto, ut patet ex Hieronymiano Nepotiani epitaphio, aliisque non paucis veterum monumentis.

tis. Sed neque prætereundum eſt, quod Epiphanius, non contentus tam egregii facinoris conſcientiâ, rem totam Joanni Hieroſolymitano, inimiciſſimo homini, in cujus parœciâ erat Anablata, fuſiſſimè narrat, pænè gloriabundus, qui (ſi vera ſunt, quæ ponuntur ab adverſariis) vel occultare, vel certe purgare, ac excuſare factum debuerat. Nam ſi Patrum terminos tranſgreſſus erat, ſi legem, ſi conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ violaverat, quî factum, ut neque epiſcopi reprehenſionem, neque inimici obtrectationem reformidaverit? Quâ fronte, poſt temerata Eccleſiæ, quæ in Ioannis parœcia erat, ſacra, eum docere audet contra Scripturarum auctoritatem eſſe, ut pictæ in velis imagines habeantur in Eccleſiis? quâ fronte admonere, ut *deinceps præcipiat hujuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi?* Sed fac (quod non eſt ullo modo credibile) Epiphanium, non modò tam improbè & protervè, ſed etiam tàm ſtultè, atque improvidè ſe geſſiſſe; quî fit, ut nihil iſtorum accipiat Ioannes? nihil criminetur? nihil exprobret? Cur tam præclaram occaſionem prætermittit? Cur non ſpargit in orbem Chriſtianum hujus facti invidiam? magnum illum, ſeveriſſimumque Ori-

genistarum censorem Ecclesiæ leges insolentissimè violare, sacratissimosque ejus cultus indignissimè proculcare? Quanto hæc speciosior futura erat criminatio, quàm illa altera ejusdem accusatio, quâ Epiphanio Anthropomorphitarum errorem parum probabiliter objecit? Quod si Ioannis odium adeò clemens, atque patiens fuit, ut tantum inimici crimen tacitum & inultum sinere potuerit; an & Hieronymi amorem tam ignavum, tamque infidum fuisse putandum est, ut quem summopere diligebat, Epiphanium tanti erroris admonere minimè sustinuerit? vel adeo cæcam prudentiam, ut eam epistolam, quâ mira illa narratio continetur, non viderit omni ratione delendam, atque alta oblivione veluti sepeliendam fuisse? Fuitne umquam scenicum ullum drama impeditius, aut magis involutum, atque perplexum? Itaque ut res tota tandem explicetur, atque Epiphanio quidem sanctitatis & sapientiæ gloria, Anablatensibus verò hominum, & Christianorum nomen servetur, utque verissimum, sicuti fuit, ita fuisse appareat summum in Epiphanium, tùm Joannis odium, tùm Hieronymi amorem, ut hæc inquam omnia, quæ certa sunt & explorata, patefiant, atque

elucescant, & ex illis contradictionum veluti tenebris emergant, necessariò confitendum est, neque Epiphanium, neque Anablatenses, neque Ioannem, neque Hieronymum idem de imaginibus sensisse, quod hodie sentiunt adversarii; quia si hæc illorum sententia fuisset, neque Anablatense velum conscissurus erat Epiphanius, neque id passuri Anablatenses, neque inimici crimen dissimulaturus Ioannes, neque postremò amici peccatum inemendatum relicturus Hieronymus; nedùm ut ejus grave probrum vulgaturus fuerit, Latineque redditurus, ac publicaturus eam epistolam, quæ potius nulla non arte abolenda fuerat, si verè id flagitium fuisse censendum est, cujus illa narrationem continet. Viderint jam adversarii nùm hujusmodi sit hic Epiphanii locus, in quem merito atque apposité trahi possit vetus verbum, *una hirundo non facit ver.*

Quo testimonio sic explicato, & à strophis atque calumniis disputantium vindicato, nemini deinceps mirum videri debet, quod eamdem sententiam in alio etiam loco testatus sit Epiphanius; quem ante nongentos propemodum annos à Patribus quarti Concilii Constantinopolitani in hac causâ allatum fuisse

didicimus ex Actis II. Synodi Nicænæ.
Synod. 7. Act. 6. Is ergo locus ſic habet: *Attendite vobis* (inquit ſanctiſſimus ille vir) *& tenete traditiones, quas ſuſcepiſtis: ne declinetis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Quibus ſubinfert; *Et in hoc memoriam habete, filii dilecti, ne inducatis imagines in Eccleſias, neque in cœmeteria ſanctorum. Sed per memoriam habete Deum in cordibus veſtris. Sed neque in domum communem. Non enim expedit Chriſtiano per oculos, & vagationes mentis efferri.* Hæc Epiphanius. Quid autem vel ipſa Geneva dixerit à Tridentini Concilii definitione
Ibid. alienum magis? Sed qui Irenes juſſu Nicæam convenerant epiſcopi, locum eſſe ſuppoſititium audacter clamant. Bella ſane, & expedita ratio omnes adverſarii objectiones facile, ac nullo negotio eludendi: quæ ſi in his diſputationibus valere debet, næ & nos & adverſarii peſſimè utrique operam perdimus, dum labore improbo veterum Patrum monumenta dies, noctéſque verſamus, ut diſcere poſſimus, quæ eorum fuerit de noſtris controverſiis ſententia. Quoties enim objectus fuerit aliquis ex iis locus, ſatis fuerit reſpondere ſuppoſitum videri, & procul eſſe ab omni veri ſpecie viros ſanctiſſimos quicquam contra fidei veritatem ſcripſiſſe. Sed Dei gratia jus

faſque

fasque non ita de rebus humanis periere, ut falsi documentum aliquod accusare sufficiat ad convellendam ejus fidem. Expenduntur, quæ ad probandum crimen afferuntur argumenta; quæ si vana, & inefficacia deprehensa fuerint, constat sua documento fides, quique id temerè ac nullâ de causâ falsi accusaverant, ii etiam vulgò multari solent; ne cuivis impunè liceat famam ac fidem hominum inanibus calumniis traducere. Nicæni Patres hac in causâ rei sunt. Sepositâ ergo omni eorum auctoritate, videamus, quid valeant eorum argumenta, quamque vim habeant ad probandum non esse hunc, qui objectus est, verum & genuinum locum. Testemne aliquem idoneum adducunt, qui Epiphanii esse neget? vel qui ejus opera recensens libellum, è quo habetur hic locus, disertè expungat? Quicquamne in eo observant, quod ab Epiphanii vel ingenio, vel stilo abhorreat? Vllamne hujus scriptoris certam, & confessam sententiam adferunt, quæ cum istâ pugnet? Nihil horum faciunt. Tantùm narrant (quod nemo nescit) omneis ab Epiphanio recensitas, & confutatas fuisse hæreses in eo libro, quem Panarium inscripsit; ibique ad LXXX. hæreticorum sectas memorari; ut si imagi- *Ibid.*

 num

num venerationem, & consecrationem pro hæresi habuerit, minimè videatur eam tali in opere omissurus fuisse. Cum itaque hujus in hæresium catalogo opinionis mentionem nullam fecerit Epiphanius, concludunt acutissimi disputatores, fecisse eum, & coluisse imagines; neque adeo verè auctorem esse ejus testimonii, quod ejus nomine ab adversariis objectũ fuit, cùm in eo tam disertè damnentur imagines. Hęc istorum est, egregia sane & invicta, argumentatio; Epiphanius imaginum fictores inter hæreticos minimè recensuit; Ergo nihil in eos umquam dixit, vel scripsit; Ergo ipse imagines & finxit, & coluit. Si valet ista argumentatio, quidni & hæc valebit? Epiphanius in hoc hęreseon catalogo neque Nestorianos, neque Eutychianos memorat, neque Severianos, neque Monotheletas; Ergo nihil, quod istorum hæresi adversetur, umquam scripsit; Ergo & idem, quod isti, de religione sensit. Sed animadvertere saltem debuerant subtilissimi Dialectici posse ipsorum adversarios eâ quoque probatione in rem suam abuti, atque isto exemplo sic ratiocinari; Nullos Epiphanius Iconoclastas in Panario recenset; Ergo Iconoclasta & ipse fuit; Ergo nihil in eos scripsit; ex quo

porrò

porro efficitur, ut alienum à vero videri non debeat, ſiquid eorum fidei conſentaneum ſcripſiſſe dicatur. Sed abſit à piorum & proborum hominum mentibus fallax iſtud & ſophiſticum ratiocinandi genus. Nam quis non videt Epiphanium trecentis minimùm annis ante hæc de imaginibus certamina mortuum, partium tamdiu poſt ejus obitum exortarum nomina in hæreſium catalogum referre non potuiſſe? ejus adeò hac in parte ſilentium neutris vel prodeſſe, vel obeſſe? Sed Nicæni prætereà obſervant à Gregorio Baſilii fratre, aliiſque nonnullis Epiphanii temporibus laudatas imagines. Verùm jam ſuprà demonſtrata eſt hujus argumenti vanitas, quo Bellarminum uſum eſſe diximus ad detrahendam proximè præcedenti teſtimonio fidem. Denique ajunt, cùm Anchoratus, & alii Epiphanii libri per orbem Chriſtianum diſſeminati paſſim extent, iſtorum contra imagines libellorum non niſi duo, aut tria inveniri exemplaria. Sed hæc ratio ridicula eſt. Quis enim neſcit, quàm varia ſæpe fata habeant etiam unius ejuſdemque auctoris libri? hos legi, publicari, in pretio eſſe? illos negligi, & in pulvere, atque ſitu relinqui, prout diverſum eſt ipſorum meritum,

Ib. paulò poſt ſuperiora.

Ibid.

variaque de iis hominum opinio? Sanè mirandum non eſt, quod Epiphanii Anchoratus, & Panarium ſæpiùs, atque diligentius deſcripta fuerint, quàm ejuſdem epiſtolæ. Damnanda erit eadem ratione ejus ad Joannem Hieroſolymitanum epiſtola, cujus nullum reperitur exemplar græcum. Eam tamen Hieronymus, oculatus, & omni exceptione major teſtis, docet veram & genuinam eſſe. His centum retrò annis deſcripti, atque excuſi ſunt innumerabiles libri ex duobus, tribuſve codicibus; nonnulli ex uno, quorum de fide ob eam, quæ tùm erat, exemplarium paucitatem, nemo dubitat. Ergo ſuprà deſcripto Epiphanii teſtimonio nihil objici poteſt præter nudam Nicænorum iſtorum vocem, qui Epiphanii eſſe negant. Sola autem eorum negatio nullius eſt in propriâ causâ momenti; eique jure merito opponi debet contraria CCCXXXVIII. Patrum affirmatio, qui ante annos aliquot in Synodo Conſtantinopoli habitâ, hoc tamquam verum, & genuinum Epiphanii teſtimonium in hac causâ adhibuerant. Sed præterquàm quod hæc propria eſt Nicænorum causâ, in quâ adeò ipſi teſtes minimè audiri debent, alia ſunt inſuper, & quidem neque pauca, neque levia, quæ

eorum

eorum fidem vehementer ſuſpectam reddunt. Hi enim ſunt, qui Euſebio, ut tutiùs & liberius maledicant, falſam & impiam ſententiam falsò ac impudenter affingunt, perinde ac ſi ſcripſiſſet *in divinitatis naturam mutatam fuiſſe incarnatam Chriſti formam*, id eſt carnem, cum is tamen re vera dixiſſet *hanc Chriſti formam ab inhabitante divinitate immutatam fuiſſe*, quemadmodum fuit à nobis ſuprà obſervatum. Hi ſunt, qui neſcio cujus miraculi, quod non ante plures quàm triginta aut quadraginta annos Beryti in Syriâ accidiſſe ferebatur, inſulſiſſimam, atque ineptiſſimam narrationem Athanaſii nomine venditant, ac pro vero & legitimo purioris antiquitatis fœtu inverecunde obtrudunt. Hi ſunt, quorum Synodus putidiſſimis fabulis tota ſcatet; itemque apocryphis, & primæ antiquitati ignotis, atque inauditis teſtimoniis; quale illud eſt præclarum ſane, & admirandum inprimis decretum neſcio cujus Apoſtolorum Concilii, Antiochiæ (ut quidem iſti garriunt) habiti; *Ne ultra errent hi, qui ſalvi fiunt, circa idola, ſed pro eis imaginentur deivirilem ſtatuam Domini noſtri Ieſu Chriſti*; quale etiam illud eſt Baſilii ſcilicet dictum, *Figuras imaginum Apoſtolorum, Prophetarum, & Martyrum hono-*

Syn.7. Act.6.

Ib. Act.4.

Ib. Act.1.

Syn.7. Act.1.

Ib. Act.2. ep. Adr.

ro, & adoro, & veneror ſpecialiter; hoc enim traditum eſt à Sanctis Apoſtolis, nec eſt prohibendum; ac proinde in omnibus Eccleſiis noſtris eorum deſignamus hiſtoriam: qualia ſunt in eorum Synodo hujus generis ſexcenta; quorum neque vola, neque veſtigium apparet, vel in auctorum, quibus adſcribuntur, manuſcriptis codicibus, vel in Eccleſiæ hiſtoriis, vel in ullis aliis Chriſtianæ antiquitatis paulò vetuſtioribus monumentis. Obſecro, nonne iſti digni ſunt, quibus vel injuratis in propriâ causâ credamus? quorum nudâ, ac ſimplici auctoritate commoti, ceu falſum & ſuppoſititium abjiciamus id, de quo diſputamus, teſtimonium, quamquam jam ante annos XXXIII. in Conſtantinopolitanâ Synodo à CCC XXXVIII. epiſcopis laudatum, atque deſcriptum; quamquam, quod illi ipſi fatentur, in uno atque altero veteri exemplari repertum; quamquam denique aliis Epiphanii dictis, atque opinionibus planè conſentaneum, ut docent partim ea, quæ nuper recitavimus ex ejus ad Ioannem Hieroſolymitanum epiſtolâ, partim etiam duo illa loca, quæ ſuperiore libro ex Panario attulimus, in quorum altero inſimulat Carpocratianos, quod Chriſti imagines haberent, atque adorarent; in altero Arabas

Epiph. Par. Hær. 27. & 55.

bas nescio quos graviter reprehendit, qui similem cultum Mosis simulacro deferebant.

CAPUT V.

Testimonia contra imagines, Quintum Chrysostomi: Sextum Amphilochii: Septimum Theodoti.

SED jam reliqui testes excitandi. Primus hic surgat Chrysostomus, Constantinopolitanus episcopus, qui iisdem cum Epiphanio temporibus vixit. Is in quodam loco à Constantinopolitanis Patribus ante annos DCCCLXXX. laudato, hæc habet verba: *Nos*, inquit, *per Scripturas fruimur Sanctorum præsentia; non corporum eorum, sed animarum imagines habentes. Quæ enim ab illis dicta sunt, animarum ipsorum imagines sunt.* Hæc Chrysostomus, quæ siquis nunc ex Romanæ communionis Ecclesiastis loquatur, negans apud suos sanctorum vitâ functorum imagines corporeas extare; nonne is meritò vel ludere, vel delirare censebitur? Eadem jam antè dixerat Amphilochius, Iconiensis episcopus, notissimus ille Basilii Magni amicus, loco ab iisdem Constantinopolitanis Patribus citato: *Non in tabulis* (inquit) *carneas*

Syn. 7. Act. 6.

Ib. paulò post.

personas

personas sanctorum per colores cura nobis est figurare; quoniam non his opus habemus; sed conversationem eorum virtutibus imitari. Quid in hanc causam disertius dici queat? Nicæni conqueruntur, quod non sit integer descriptus locus. Cur non ipsi describebant, ut ex iis, quæ vel antecedunt, vel consequuntur, verus ejus sensus elucesceret? Atqui nihil illi addunt, præter ea ipsa, quæ à Constantinopolitanis optimâ (ut vel hinc liquet) fide fuerant allata. Quod enim illi locum minimè supplent, magnum & clarum argumentum est in totâ illius serie nihil fuisse, quod eorum causam sublevaret. Tantùm respondent illa Amphilochii verba, *non in tabulis carneas personas Sanctorum per colores cura nobis est figurare*, illa inquam verba non absolutè, sed comparatè accipienda esse; ut sensus sit, non simpliciter *abjiciendam esse omnem curam vultus sanctorum carnales coloribus effingendi*, (quod pugnare fatentur cum suâ sententiâ) sed primam nobis curam esse debere, ut quæ in eorum vitâ & moribus eluxerunt virtutes, eas studiosissimè imitemur; sine hac enim curâ vanam esse, & inutilem omnem illam operam, quæ in pingendis Sanctorum vultibus ponitur; quippe cùm imagines non ob aliam causam vel

Ibid.

fieri,

fieri, vel coli debeant, quam ut eximia Sanctorum pietas amanda, atque imitanda proponatur; Id verò se libenter admittere profitentur, tamquam suæ fidei consentaneum. *Templa verò*, inquiunt) *istis jugiter dedicare, aut in imagine istos erigere illos qui virtutem ipsorum contemnunt, non est laudabile. Nemo enim plane laudaverit, si viderit hominem virtutes Sanctorum parvipendentem, de die in diem horum imagines dicantem, vel templa multa erigentem, vel vasa sacra parantem, & suum ipsius templum deificis virtutibus non adornantem.* Hanc autem interpretationis suæ argutiam, ut aliquo exemplo confirment, Isaiæ verba adducunt, quibus Dominus Israelitarum sacrificia rejicere se, & exsecrari testatur, quòd ea isti nimirùm offerrent animis omni pietatis sensu vacuis. Vt igitur ex illis Isaiæ verbis nemo sanus concluserit, nulla vel ab ipso Prophetâ, vel à reliquâ Ecclesiâ tum temporis oblata fuisse sacrificia (quippe cum hoc tantum velit divinus vates, Deo ingrata esse, quæ sine interiore mentis affectu & fide offeruntur;) ita ex Amphilochii verbis verè quidem, ac legitimè colligi, sanctorum vultus pingere, neque eorum virtutes imitari, id verò inane esse, & vituperatione, quam laude dignius studium; non tamen

Ibid.

Is. 1.

tamen idcircò effici, ut nullas vel ipse Amphilochius, vel quæ tùm fuit Ecclesia, Sanctorum in tabulis depictas imagines habuerit. Hæc omnino est (si bene judico) Amphilochiani dicti solutio à Nicænis allata, quam alioqui (ut eorum mos est, qui manifestam veritatem oppugnant) multis ac perplexis verborum ambagibus involvunt. Sed clarior est locus, quam ut his offuciis obscurari possit. Primum enim Amphilochius de se ipso, deque aliis sui sæculi veris Christianis, loquens disertissime hæc ait, *Non in tabulis carneas personas* (sive vultus, & ora) *Sanctorum per colores curæ nobis est figurare.* Si tùm plena fuit hujusmodi tabulis Ecclesia, iisque magnificè cultis, & exornatis, si pietatis Christianæ, si publici, privatique piorum cultus imagines pars fuêre, quâ mente, quâ fronte sic exertè pronunciat minime sibi, suisve curæ esse in tabulis ora sanctorum carnea figurare & exprimere? Sed neque satis habuit negare ista sibi curæ esse; Cur non sint, neque verò esse debeant, hanc insuper rationem addit; *quoniam his opus non habemus.* Si quod postea Nicæni decreverunt, si, quod hodie docent Romani, jam tùm sensit Amphilochius ad Dei nimirum, & Sanctorum honorem, ad piorum professionem,

fessionem, fidem atque sanctificationem necessarias esse imagines, quî negare potuit *his nos opus habere?* Scio interdum usu-venire, ut comparatè loquentes ea vel laudemus, vel vituperemus, quæ alioqui, si per se simpliciter, ac seorsim spectarentur, neque laudanda fortasse, neque vituperanda essent; eaque ratione interpretanda fateor, quæ ex Isaiæ primo capite adducta sunt; aliaque consimilia non pauca. Sed ad hoc genus pertinere Amphilochii verba pernego. Eorum enim planè alia est tum forma, tùm ipsa etiam materia. Primò enim Propheta hypocritas compellat, eorumque impios cultos exsertè ac nominatim sugillat; *Calendas vestras* (inquit) *& solennitates vestras odit anima mea; facta sunt mihi molesta.* Tum & clarè docet, quid illud sit, quod effecerit, ut Deo ingrati essent, qui offerebantur, cultus; nimirum non id à rerum oblatarum naturâ, sed ab offerentium labe, ac scelere profluxisse; *Manus vestræ* (inquit) *sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote.* Age ergo; Fingamus esse (& sunt sane nimis quàm multi) fingamus inquam, aliquos esse, quales à Patribus Nicænis describuntur. qui insuper habitâ cœlitum imitatione, in dedicandis, colendis, atque venerandis eorum imaginibus suam omnem

Is. 1.14.

vers. 15.16.

nem pietatem, induſtriam, atque operam collocent; Fingamus aliquem Eccleſiaſtem, Dominum ipſum inducere iſtorum ſcelus, atque amentiam hac oratione coarguentem; Quos meis, Sanctorumque imaginibus honores exhibetis, eos ego odi atque abominor. Cum maximè eas in ſacris ædibus conſtituetis, atque ornabitis, cùm proſtrati manus ante eas tolletis, ego tùm maximè mentem, atque oculos avertam; ut ut iſtos cultus, atque honores in infinitum auxeritis, non ideo placatior preces veſtras exaudiam. Lavamini; purgamini; amolimini ab oculis meis nefandas vitæ labes. Procul faceſſat morum pravitas, atque impuritas. Sanctorum meorum virtutes, atque pietatem imitamini. Quid mihi iſtis opus eſt, quas vos eorum nomini conſecratis, imaginibus? Hæc & alia hujuſcemodi iis ſimilia, quæ in Iſraelitas apud Iſaiam leguntur, ſiquis doctor, vel epiſcopus in Chriſtianos dixerit, fateor nullam cauſam fore, cur ex iis colligendum quis putet, neque apud iſtum, neque apud ejus conſecraneos, ullum eſſe imaginum in religione uſum; quemadmodum neque ex iis, quæ apud Iſaiam eodem modo dicta occurrunt, rectè concludi poteſt neque ipſi Prophetæ, neque piis

piis Israëlitis fuisse sacrificia, aut calendas, aut conventus sacros, aut alios id genus cæremoniales ritus. Quamquam sanè, ut hoc obiter moneam, longè ineptior, & à recta ratione alienior futura sit posterior hæc collectio, quàm illa prior, cùm post Mosis quidem legem, & Prophetarum scripta, nullus de priorum Israëlitarum sacrificiis relictus sit ambigendi locus; de Christianorum verò imaginibus magna, & aperta sit dubitandi ratio, quod earum neque novi Testamenti scriptores, neque alii proximorum post Apostolos temporum auctores ullam usquam mentionem fecerint. Sed utcumque se ista habeant, clarum est, ab hâc elocutionis formâ plurimùm distare Amphilochii orationem. Non enim ei res est cum degeneribus, & corruptis Christianis, quorum errorem, & hypocrisim seorsim, ac peculiariter cum aliquo animi motu castiget. De veris, ac germanis Christi servis in genere loquitur, iisque se ipsum accenset; *Nobis*, inquit, *cura non est in tabulis carneas Sanctorum personas coloribus figurare.* Tùm quòd talia negligant, rationem affert, ab ipsâ rerum neglectarum naturâ, quod eæ nimirum essent inutiles, non autem ab hominum vitio, aut scelere petitam, *quoniam his*, inquit, *opus*

 non

non habemus. Si illa ſuperiùs memoratæ Iſaiæ oratio in eundem quoque modum efficta, atque conſtituta eſſet, *Deo ſacrificia offerre in templo nulla nobis cura eſt, quia rebus hujuſcemodi nihil opus habemus; ſed eum in ſpiritu & veritate colimus;* ſi ſic, inquam, locutus eſſet Iſaias, nemo eſt, qui non indè colligendum putaret, neque ipſum, neque pios illius temporis homines Deo ſacrificia in externo altari obtuliſſe. Cum itaque hujuſmodi ſit Amphilochii de imaginibus ſermo, neceſſariò confitendum eſt, neque ipſum, neque ejus, quam regebat, Eccleſiæ Chriſtianos, ullas ſanctorum imagines, vel conſecraſſe, vel coluiſſe. Sed allatus præterea fuerat à Patribus Conſtantinopolitanis alius quidam, valdè inſignis locus, Theodoti Ancyrani epiſcopi, quem Cyrilli Alexandrini temporibus vixiſſe conſtat, unaque cum ipſo Concilio Epheſino primo, anno Domini CCCC XXXI. interfuiſſe. Is autem locus ſic habet: *Sanctorum vultus, non in imaginibus ex materialibus coloribus factis, formandos accepimus; ſed horum virtutes per ea, quæ de illis in Scripturis indicantur, quaſi quaſdam imagines imitari didicimus, & ex hoc ad ſimilem illis zelum erigimur.* Hactenus Theodotus; Quæ verò ſequuntur, multo etiam ſunt diſertiora: *Nam dicant*

Syn. 7. Act. 6. paulo poſt ſupr.

hi, qui tales erigunt formas, quali putas ex his perfruantur utilitate, vel in quam ſpiritalem contemplationem ducantur per harum commemorationem? Sed manifeſtum eſt, quod vana ſit hujuſmodi excogitatio, & diabolicæ argumentationis (circumventionis, deceptionis, verſutiæ, μεθοδείας) inventio. Sed hæc poſtrema fortaſſe ſunt Patrum Conſtantinopolitanorum, non autem ipſius Theodoti verba; quæ tamen ipſi Nicæni continenter legunt, & pro unius ejuſdemque auctoris perpetuâ oratione habent; Solennem hic cantilenam vice reſponſionis occinentes; nimirum ab imaginum hoſtibus confictum, & Theodoto per ſummum ſcelus ſuppoſitum fuiſſe hoc teſtimonium. Sed ſupra ſatis demonſtravimus, quàm ſit iniqua hæc reſpondendi ratio, quàmque ſuſpecta & ambigua ſit eorum fides in totâ hac diſputatione. *Ibid.*

CAPUT VI.

Alia duo teſtimonia contra imagines: Octavum Optati: Nonum Auguſtini.

SED ſuperioribus duos hic prætereà teſtes adjiciemus, & quidem ambos Latinos. Prior eſt Optatus, Africanus epiſcopus; *Dicebatur illo tempore* (inquit) *Optat. l. 3. cont. Donat.*

venturos esse (nimirum in Catholicorum gratiam) *Paulum & Macarium, qui interessent sacrificio, & cùm altaria solenniter operarentur**, *proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent; sic sacrificium offerretur. Hoc cùm acciperent aures, perculsi sunt & animi; & uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis, qui hæc audierat, diceret, Qui inde gustat, de sacro gustat. Et recte dictum erat, si talem famam talis veritas sequeretur. At ubi ventum est à supra dictis, nihil tale visum est, ex eo quod fuerat paulò ante mentita fama. Nihil viderunt oculi Christiani, quod horrerent. Nihil probavit aspectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solito solennis consuetudo perspecta est.* Hæc Optatus; quibus ostendit tam Catholicis, quàm Donatistis illa tempestate ignotas fuisse in Ecclesiis imagines, præsertim verò in altari (quod numquam ferè hoc ornamento caret in adversariorum templis) tùmque communem hanc fuisse omnium Christianorum sententiam, divinum cultum mixtis imaginibus pollui, ac velut incestari, quique ejusmodi sacrorum esset particeps, eum veluti quodam sacrilegio inquinari. Nisi sic senserunt Donatistæ, quid est, quod tantopere percelluntur, sparsâ illâ de Paulo & Macario famâ, quasi

* Alii *aptarentur*.

quasi ii essent in altari imaginem positu-ri? Nisi idem quoque Optati & Catholicorum sensus fuit, quid ergo est, quod concedit, perculsos Donatistas rectè dicturos fuisse, *qui inde gûstat, de sacro gustat*, si talem famam talis veritas sequuta esset? Superest Augustinus, qui diversis locis, partim jam libro superiore adductis, partim in sequentibus cùm se dabit occasio, adducendis, satis superque testatur apud sui temporis Christianos neque lege, neque consuetudine universali receptum fuisse, ut imagines in Ecclesiis vel colerentur, vel haberentur. Id ipsum luculentissimè docet altero in Psalmum CXIII tractatu. Multis enim in imagines & simulacra Paganorum invectus, fusèque sugillatâ illius cultus vanitate, atque crassitie, illud etiam postremò cum Propheta annotat, *simulacra ista opera esse manuum hominum, qui venerantur, quod ipsi ex auro, argentoque fecerunt*; Tùm verò de Christianis loquens hæc subjicit: *Sed enim & nos pleraque instrumenta, & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur, in ejus honorem, cui pro salute nostra inde servitur. Et sunt profectò etiam ista instrumenta, vel vasa, quid aliud, quàm opera manuum hominum?*

Aug. in Psal. 113. conc. 2. ultr. med.

Verumtamen numquid os habent, & non loquentur? numquid oculos habent, & non videbunt? Numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Illa causa est maxima impietatis insanæ, quòd plus valet in affectibus miserorum similis viventi forma, quæ sibi efficit supplicari, quàm quod eam manifestum est non esse viventem, ut debeat à vivente contemni. Plus enim valent simulacra ad curvandam infœlicem animam, quod os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quam ad corrigendam, quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt. Hactenus Augustinus; concedens quidem instrumenta & vasa, quibus Christianorum Ecclesia in celebrandis sacramentis utebatur, ipsa etiam ut plurimùm ex auro & argento fuisse; os verò vel oculos, quibus neque loquerentur, neque viderent, Ethnicarum imaginum instar habuisse pernegans. Itaque ex his duobus alterum constituendum est, vel tum in divino cultu nullas fuisse abhibitas à Christianis imagines, vel si fuerunt aliquæ, vivas & animatas fuisse, sensuque ac loquendi facultate præditas, omninoque alterius, quàm quæ nunc in usu sunt, naturæ atque ingenii; eoque nulla alia in Africanorum fidelium (apud quos ver-

sabatur

ſabatur Auguſtinus) Eccleſiis, atque conventibus ſimulacra extitiſſe, præter ea de quibus multos ante annos memoraverat Clemens Alexandrinus, cùm diceret, unumquemque verè pium & Chriſtianum hominem eſſe ἄγαλμα ἐνάρετον, ἀνακείμενον Θεῷ, *ſimulacrum virtute præditum, Deo dicatum.* Hoc verò Auguſtini teſtimonium, cùm ejus vim animadverteret, diluere conatus eſt Bellarminus. Ait ergo auctorem voluiſſe oſtendere ſimulacra Gentilium continere homines in errore, non ratione materiæ, quia precioſa ſint, ſed ratione figuræ; quia figuram habeant noſtræ ſimilem; id autem Auguſtinum dupliciter oſtendere; primò quia multi dorſum convertunt ad Solem, & interim ſupplicant ſimulacro Solis; *non quia Sol non ſit longè nobilior, ſed quia figura illa Solis globoſa non tam facile perſuadet Solem vivere, & ſentire, quemadmodum figura ſimulacri, quæ eſt noſtræ ſimilis. Secundò, quia Catholici etiam habent in locis ſacris vaſa etiam ex materiâ pretioſa, & tamen quia deeſt figura humana, ne Gentiles quidem putarent ea vaſa vivere, & ſpirare.* Sed hæc iſtius reſponſio, nihil aliud eſt, quàm inane ejus hominis effugium, cui quam videt, veritatem detrectare, atque amoliri animo propoſitum & obſtinatum eſt. Auguſti-

Clem. Stromat. l. 7.

Bell. de Im. c. 9. §. Ad illud ſe.

nus hoc in tractatu Paganorum ſtultitiam, atque ſtuporem belluinum exagitat, qui Deos nominare, proque Diis habere & colere aurea, argenteaque ſimulacra non verecundabantur, vitæ, animæque expertia; quæ ne pro veris quidem hominibus quiſquam ſanus habuerit, nedum ut Dii cenſeri debeant. Hæc fusè perſecutus, cùm oſtendiſſet idola non infra homines ſolùm, ſed etiam cùm ſenſu careant, infra ipſas beſtias eſſe cenſenda, Paganorum ad hæc exceptionem adfert, cauſantium materiales iſtas effigies, tametſi externas ſenſuum functiones minimè exercerent, intus tamen occultam numinum vim continere, quæ ſimul conſecratæ eſſent, cœlitus illapſa, in iis poſtea reſideret. *Non hoc viſibile* (inquiebat Paganus) *colo; ſed numen, quod illic inviſibiliter habitat.* Reſpondet Auguſtinus hanc quoque excuſationem ipſis eripere Scripturam, quæ ſæpe nos monet illa, quæ ab Ethnicis jactabantur numina dæmonia fuiſſe, non veros Deos. Tum alterum Paganorum effugium proponit, quo ſubtiliores uti conſueverant; *Nec ſimulacrum* (inquiebant iſti) *nec dæmonium colo; ſed per effigiem corporalem, ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo.* Iſti ergo idola neque pro Diis, neque verò (ut craſſum,

Aug. ubi ſupra.

Ibid.

& imperitum vulgus) pro Deorum locis, ſedibus, aut receptaculis, ſed pro nudis numinum ſignis, ſymbolis, atque monumentis habebant; ut aliud quidem ſimulacrum terram ſignificaret, id nimirum cui *Telluris* nomen erat impoſitum; aliud verò mare, putà id, quod Neptunus appellabatur; Vulcanus ignem, Venus Luciferum, Solem aliud, aliud Lunam. Hi verò, ſiquis objiceret, ne ſic quidem eos à corporum cultu, & adoratione liberari, cùm negari non poſſit, quin corpora ſint ea, quæ idolis ſuis ſignificari dicebant ignem, terram, mare, ſolem, lunam, & cætera, ſic inquam, urgenti *reſpondere audebant* (inquit Auguſtinus) *non ſe ipſa corpora colere, ſed quæ illis regendis præſident numina.* Huic iſtorum reſponſioni opponit Auguſtinus illa Apoſtoli ad Romanos verba, *Qui tranſmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ, potiùs quam creatori, qui eſt benedictus Deus in ſæcula.* Ac priore quidem hujus ſententiæ parte damnari ait ab Apoſtolo Paganorum idola, ſive ſimulacra; poſteriore verò eam, quam ſimulacris imponebant, interpretationem; *Effigies enim* (inquit) *à fabro factas appellando nominibus earum rerum, quas fabricavit Deus, tranſmutant veritatem Dei in mendacium;* *Ibid.*

cium; res autem ipsas pro Diis habendo, & venerando serviunt creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Ad hæc falsam esse demonstrat illam Paganorum argutiam, quâ se non simulacrum, sed rem simulacro significatam colere profitebantur, cùm ipsa experientia satis testaretur istorum pietatem, atque religionem ad præsentes, sensibusque objectas imagines, non autem ad res imaginibus significatas ferri. *Quis autem adorat* (inquit) *vel orat intuens simulacrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ab eo sibi præstari, quod desiderat, speret?* Ad hoc autem probandum, id adfert, quod passim tùm à Paganis fiebat, ut quam Solis dicebant, statuam precarentur, Soli ipsi interim tergum obvertentes, Neptuni item statuam gemitibus ferirent, cùm sonitu maris à tergo ferirentur. Quod quidem eos satis arguebat haudquaquam simulacra habuisse pro nudis, ac simplicibus rerum, quibus ea consecrata erant, signis (non enim si ista existimassent, in signis hæsissent, quoties res ipsæ præsentes aderant) sed imaginatos esse in illis simulacris delituisse vim aliquam, quæ eorum preces, & vota audiret, diviniorem atque potentiorem, quàm sint ipsa Solis, & Maris, & similium rerum corpora.

Ibid.

pora. Atque hic quidem Augustinus subjicit errorem illum Paganorum ex simulacrorum formâ natum fuisse, dum facit, *& quodammodo* (inquit) *extorquet figura illa membrorum, ut animus vivens in sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus, quod suo corpori simillimum videt, quàm rotundum Solem, undasque diffusas, & quicquid non eisdem lineamentis formatum conspicit, quibus illa formata sunt, quæ viventia videre consuevit.* Tum, *contra hunc* (inquit) *affectum, quo humana & carnalis infirmitas facile capi potest, cantat Scriptura Dei res valde notissimas, & tamquam excitet mentes hominum in consuetudine corporum dormientes, Simulacra* (inquit) *argentum & aurum. Sed Deus fecit aurum, & argentum. Opera* (inquit) *manuum hominum.* Sed cùm Paganos hic responsuros videret, non eo damnari debere idola, quod sint ex auro & argento, hominum arte & manibus efficta, cùm ipsi quoque Christiani plurima instrumenta & vasa ex hujusmodi materiâ haberent, iisque in divino cultu uterentur, huic instantiæ sic occurrit, ut concedat quidem Christianos hujusmodi instrumenta in quibusdam religionis officiis adhibere, sed contendat tamen magnum esse inter vasa illa, & Paganorum idola discrimen. Ac hominum quidem

opera

opera esse fatetur. Verum tamen (ait) numquid os habent, & non loquentur? Numquid oculos habent, & non videbunt? & cætera, quæ sunt à nobis superiùs descripta. Hæc omnino est totius Augustinianæ disputationis series. Jam verò si imaginibus tùm quoque plenæ fuerunt Christianorum Ecclesiæ, ubi erat Augustini animus, ubi frons & pudor, cùm Paganis diceret *similem viventi formam impietatis insanæ maximam apud eos fuisse causam, illamque fuisse, quæ sibi effecerit supplicari?* Nonne intelligebat homo acutissimus, Paganis in promptu fuisse, quod responderent, quoque hoc in ipsos Christianos telum hoc modo retorquerent; Si hæc viventis similitudo insaniæ nostræ causa est, cur vos igitur eam apud vestros retinendam putavistis? Cur non timetis ne illa humanæ formæ similitudo, quæ vestris Sanctorum imaginibus inest, plebis animos à vero abducat, cùm intentis in eas oculis venerabunda de geniculis precatur, vel adorat? Cur non veremini, ne ea species similem ei, quem in nobis denotatis, atque reprehenditis, errorem apud vestros quoque pariat? eorumque mentes falsâ, & ut vos jactatis, insanâ divinitatis opinione, imbuat? Tùm quale quæso, hoc est Augustini acumen, calices

Ecclesiæ,

Ecclesiæ, ad quos hæc criminatio minimùm pertinebat, purgare quidem, atque defendere accuratè; Sacras verò imagines, quas propriè petebat hoc telum quibus minabatur, atque incumbebat, planè omittere? Quis enim è Paganis est tam hebes, tamque plumbeus, qui si à Romanæ communionis homine sua numinum simulacra reprehendi, ac derideri videat, non Sanctorum imagines, sed calices & candelabra adversario ad retundendam criminationem objiciat? Quis verò est Romanarum partium doctor, qui in hâc agendâ causâ refellendam calicum & candelabrorum exceptionem putet? ac non potiùs diluendam eam objectionem, quæ à sacris suorum imaginibus peti potest? Augustinus verò plane contrà; Solam illam de Ecclesiæ calicibus, atque candelabris, aliisque hujus generis instrumentis exceptionem depellit; de hac una sollicitus est. Itaque horum alterum confitendum est, aut cùm ita disputaret delirasse Augustinum, aut certè Paganos, qui erant illis temporibus, nihil Christianis de hoc simulacrorum negotio objiciendum habuisse, proindeque nullas tum adhuc in Ecclesiâ cultas fuisse imagines. Bellarminus hunc nodum, ut solvat, respondet *Augustinum* *Bell. ubi supr. §. Dices.*
non

non dicere imagines humanæ formæ putari vivere; sed si putentur, putari propter formam, non propter materiam. Mirum profectò acumen, quo omnis Augustini ratio in nihilum resolvitur. Sic enim nihil aliud dixerit, nisi formæ humanæ similitudinem, quòd imagines vivant iis demùm persuadere, qui eas vivere credunt; qui verò non credunt, neque iis quicquam hujusmodi persuadere. Atqui mens Augustini clara est, quamquam simulacrorum materiam vitâ & sensu carere manifestum sit, illam tamen, quæ in iis cernitur, viventis ac humanæ formæ similitudinem crassiorum animis imponere, quasi vitalis aliqua vis, ac virtus intùs abstrusa lateat. Intelligit ergo in hanc opinionem induci, non qui eam animis jam præceperunt (id enim dici sine summâ absurditate non potest) sed qui cùm anteà in hujusmodi errore minimè versarentur, eo paulatim falsâ specie decepti prolabuntur: quod evidentissimè significat, quod ait eam opinionem à miseris Paganis *extorquere figuram illam membrorum*, quam nimirum in simulacris vident. Id ipsum jam alibi monuerat Augustinus; *Idola quidem* (inquit) *omni sensu carere, quis dubitet? Verumtamen cum his locantur sedibus honorabili sublimitate, ut à precantibus,*

Aug. ep. 49. Deo grat. q. 3.

cantibus, atque immolantibus attendantur, ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata, atque exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur; accedente præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impenditur. Sane contra quos disputat Augustinus, ii simulacra existimabant non Deos esse, vel deorum sedes, ac receptacula, (ut falsò arbitrantur adversarii) sed rerum, quas ipsi colebant, signa, ac monumenta, (cui opinioni planè similis Romanorum hodie est de suis sanctorum imaginibus sententia.) Itaque si, quod hi nunc sentiunt, idem olim sensisset Augustinus, palam est eam, quam sequitur, disputandi rationem, numquam eum contra Paganorum simulacra adhibiturum fuisse. Sed quicquid de Augustini consilio fingatur, constat certè ejus verbis ab Ecclesiâ, quæ tùm florebat, excludi varias imagines, atque effigies, quæ nunc apud Romanæ communionis homines in usu sunt. Sunt enim hæc disertissima ejus verba, aurea & argentea instrumenta, & vasa, quibus tùm Christiani in celebrandis sacramentis utebantur, opera quidem fuisse manuum hominum, sed neque os sine loquendi facultate, neque oculos sine visu habuisse.

Atqui plurima ſunt Romani hodie cultûs inſtrumenta, de quibus hoc dici, nequit, cùm in pleriſque hujus generis Chriſti crucifixi, aut ſanctorum formæ inſculptæ videantur, quæ cùm os, aures, & oculos habeant, tamen neque loquuntur, neque audiunt, neque vident. Huc accedit, quod cum aureæ, argenteæ, ligneæ Chriſti effigies, aliæque complures in pleriſque religioſi cultus partibus ab iis adhibeantur, neque fere apud eos ullum fiat ſine aliquâ imagine ſacrum, non video quî poſſint ejuſmodi imagines ex eorum inſtrumentorum cenſu expungi, quæ Auguſtinus haberi ait *in uſum celebrandorum ſacramentorum.* Itaque cùm hujus generis inſtrumenta omnia diſertiſſimè neget os, & oculos ſine ſermone & viſu habuiſſe, hinc neceſſariò efficitur hodiernarum imaginum, quæ ſine ullâ loquendi, & videndi facultate os tamen & oculos habent, nullum omnino tùm apud Chriſtianos fuiſſe in religione uſum.

His veterum de hac cauſâ teſtimoniis poſſem alia non pauca, ſi liberet, adjungere. Sed ea ſatis habebo in reliquis hujus operis partibus obiter, ut ſeſe dabit occaſio attingere. Nunc enim non videtur diutiùs in ea re comprobandâ immoran-

morandum, quæ adeò clara eſt, ut ex ipſis adverſariis nonnullos hic conſentientes habeamus. Nam præter Franciſcum Zephyrum, quem ſuprà ad Tertulliani Apologeticum ingenuè fatentem audivimus priſci temporis Chriſtianos nullas Sanctorum imagines in Eccleſiis habuiſſe, Lilius Giraldus idem quoque confitetur initio Syntagmatis de Diis Gentium, quo loco de Romanæ Eccleſiæ in imaginum negotio intemperantia non obſcurè conqueſtus, præfatuſque *ſatius eſſe ea Harpocrati & Agerona conſignare. Illud certe* (inquit) *non prætermittam nos, dico Chriſtianos, ut aliquando Romanos, fuiſſe ſine imaginibus in primitiva, qua vocatur, Eccleſia.* Non diſſentit Eraſmus, *Vſque ad ætatem Hieronymi erant* (inquit) *probatæ religionis viri qui in templis nullam ferebant imaginem nec pictam, nec ſculptam, nec textam, ac ne Chriſti quidem.* Ibidem etiam habet hæc verba, *Vt imagines ſint in templis nulla præcepit vel humana conſtitutio; & ut facilius eſt, ita tutiùs quoque omnes imagines è templis ſubmovere.* Caſſander verò cauſam hanc totam in Conſultatione fuſè exſequitur, & quæ à nobis allata ſunt, pleraque memorat, neque aliter quàm nos colligit; *Certum eſt* (inquit) *initio prædicati Evangelii aliquanto tempore inter Chriſtianos, præſertim in*

Lil. Gyr. Syntag. de D. G. l. 1. p. 20.

Eraſm. in Catech.

Caſſand. Conſ. tit. de Imag. p. 474.

 Eccleſiis,

Ecclesiis, imaginum usum non fuisse, ut ex Clemente & Arnobio patet; tandem picturas in Ecclesiam admissas, aut rerum gestarum historiam exprimentes, aut sanctorum virorum veras effigies referentes. Illæ enim solæ imagines dicendæ sunt, quæ speciem archetypi, quam proximè fieri potest, repræsentant. Mox ab imaginibus picturas symbolicas, & meritò quidem, distinguit; hasque ait priùs in usu fuisse, quam illas (quod etiam, ut id obiter dicam, factum est ab eruditissimo Masio Commentario in Josuam.) Tùm ex Gregorii scriptis observat, tametsi jam tùm superstitio in cultu Sanctorum non parum invaluisset, tamen picturas tantum in Ecclesiis admissas fuisse, non item statuas, vel simulacra. Affert supra à nobis memorata Augustini, & Optati testimonia; & ex hujus narratione concludit, quàm abominandum duxerint Christiani si in altari simulacrum, vel imago poneretur; Idemque ex iis probat, quæ sunt ab Epiphanio scripta, tùm adversus Collyridianos, tùm ad Joannem Hierosolymitanum; nec non ex variis Origenis, Arnobii, Lactantii, Clementis Alexandrini locis. *Tandem vero* (inquit) *quando exoleto propemodum Paganismo, & Christianismo aucto, periculum illud adorationis, & cultus imaginum minus timeretur, animis Christianorum*

Mas. in Ios. c. 8.

Cass. Cons. p. 475.

Ibid. p. 476.

stianorum

stianorum in sincero Dei cultu satis institutis, & confirmatis, picturæ in templis receptæ sunt; idq; jam tum ætate Ambrosii, Paulini, Gregorii Nysseni, Prudentii receptum fuisse ex eorum scriptis constat. Tum ex Gregorio Magno allatis, *Ibid. 977. init.* quæ infra suo loco recitabimus, locis docet ideo habitas fuisse illas picturas, non ut colerentur, & adorarentur, sed ut imperiti picturis inspiciendis, haud aliter ac litteris legendis rerum gestarum admonerentur, & ad pietatem incitarentur. Mox longa Ecclesiæ Græcæ cer- *Ib. p. 977. 978.* tamina memorat, utque gliscenti errori generosè obstiterint Galliarum nostrarum Episcopi: quam in rem adducit Francofordiensem Synodum, Caroli Magni, & Jonæ Aurelianensis libros, & aliquot Valafridi Strabonis, Durandi Mimatensis, & Nicetæ loca. Deplorat, quod sequentibus sæculis *imaginum, & si-* *p. 978. extr.* *mulacrorum cultus nimium invaluerit, & affectioni seu potius superstitioni populi plus satis indultum sit, ita ut ad summam adorationem, quæ vel à Paganis suis simulacris exhiberi consuevit, & ad extremam vanitatem, quam Ethnici in suis simulacris & imaginibus effingendis, & exornandis admiserunt, nil* (inquit) *à nostris reliqui factum esse videatur.* Itaque subjicit *& prudentes in Ecclesia Ca-* *p. 979. init.* *tholica viros jam olim modum aliquem huic rei*

ponendum, & superstitioni occurrendum censuisse; quo loco memorabile est, quod refert ex Gabriele Biele, celeberrimo scholæ Romanæ Theologo, *quosdam dicere, quod imago, neque ut consideratur in se, secundum quod lignum est, lapis, aut metallum, neque ut consideratur secundum rationem signi & imaginis, adoranda est. Ex illis* (inquit Gabriel) *patet quorumdam hominum stolidus error, qui adeò ad imagines afficiuntur, ut in ipsis credant esse aliquid numinis, gratiæ, vel sanctitatis, quibus potentes sint facere miracula, præstare sanitates, ex hoc assurgentes ad earum venerationem, ut præmissorum aliquid consequantur*, His ex Gabriele descriptis pergit Cassander, optat *ut hæc ab Episcopis & Ecclesiarum rectoribus diligenter attendantur; eorumque concionibus, & admonitionibus populus ab illis erroribus avocetur*; utque ipsi etiam Principes communem ad hoc negotium præstent operam. Trinitatis verò, quæ dicuntur imagines, eas disertè exagitat, ac postremò concludit, *consultum videri si res eò adduci poßit, ut ad illam moderationem redeatur, quam ex* sententiâ Gregorii majores nostri diu in Germaniâ & Galliâ tenuerunt, hoc est *ut imagines ut rerum gestarum monumenta, non cultus instrumenta habeantur.*

p. 979.

It. p. 980.

Ibid.

Liber



LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Prima objectio adversariorum, ex iis calicibus ducta, quos pictos fuisse memorat Tertullianus.

ATque ita satis, ni fallor, demonstratum est quatuor proximis à Christo nato sæculis, neque traditione Apostolicâ, neque ullâ universali lege constitutam fuisse in Ecclesiâ Catholicâ imaginum, ut vocant, sacrarum venerationem. Quos enim in hac causa testes libro superiori audivimus post annum æræ Christianæ trecentesimum omnes vixerunt, si unum modò Origenem exceperis; Eliberitani quidem Patres in ultimo Occidente; Eusebius verò, Epiphanius, & Amphilochius in Oriente; Chrysostomus & Theodotus in Septentrionali Ecclesiæ plagâ; Optatus denique & Augustinus in Australi. Jam verò videamus, quid rei tam manifestæ, tamque exploratæ objiciant tùm veteres, tum recentiores imaginum patroni. Principio Tertulliani locum supra jam à nobis obiter perstrictum affe-

runt ex opere de Pudicitiâ. Eo libro scriptor longè præstantissimus, sed jam Montani deliriis addictus in quorumdam sui temporis Catholicorum lenitatem, atque indulgentiam stilum stringit, quòd illi fornicatores ad pœnitentiam, ac inde ad communionem admitterent, nonnihil mitigato pristinæ disciplinæ rigore hos peccatores æquè ac homicidas, & idololatras communionis spe excludentis. Itaque dùm in eâ disputatione versatur, sibi ipsi adversariorum nomine objicit Evangelicam parabolam, in quâ ovis, quæ à grege deerraverat summo à Pastore studio quæsita, ac in ovile reducta videtur eorum sententiæ favere, qui peccatorem peractâ pœnitentiâ in fidelium communionem iterum recipiendum censebant. Ad hæc respondet Tertullianus, ovem deerrantem Symbolum esse, non hominis Christiani ex aliquo scelere, aut flagitio resipiscentis, sed Ethnici cum primùm ab infidelitate ad Euangelium conversi. Tùm, *Procedant* (inquit) *ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano, an Ethnico peccatori conliniet.* Ac rursum in eamdem sententiam tertio abhinc capite, *Si forte*, inquit, *patrocinabitur Pastor, quem in calice depingitis, prostitutorem*

Tertul. de Pud. c. 7.

Ib. c. 10.

vem & ipsum Christiani sacramenti. Ex his duobus locis concludunt adversarii ipsis Tertulliani temporibus, hoc est anno æræ Christianæ ducentesimo, jam solitos Christianos Dominum Jesum Pastoris formâ pingere, & quidem in sacris calicibus, quorum in administrandâ eucharistiâ usus erat. Nolo hic in dubium vocare, quod isti pro certo, atque indubitato ponunt eos, de quibus loquitur Tertullianus, Ecclesiæ sacros calices fuisse, quibus dominici sanguinis sacramentum fidelibus distribuebatur, neque contendere communes fuisse, quorum in mensis domesticis usus fuerit apud Christianos; quamquam neque desint, qui sic sentiant, viri undequaque doctissimi, neque verò mirum videri debeat, quod Christianorum vulgus hujusmodi emblematis domestica vasa exornaverit, cùm Hieronymus ducentis post Tertullianum annis scribat *in cucurbitis vasculorum (quas vulgò saucomarias vocabant) solitas Apostolorum imagines adumbrari.* Sacros sanè calices intellexerit Tertullianus. Quid hoc contra eam, quam agimus, causam? An ex eo, quod illi, cum quibus disputat, Catholici Euangelicam boni Pastoris parabolam in calicibus vitreis depinxerunt, efficitur, ab illis quoque, vel in

Bell. l. de Imag. c. 9 §. Secundo. du Perron discours de la Conf. de Font. f. 185.

Dan. Chamier. Panstr. Tom. 2. l. 22. c. 7. §. 12. Hieron. in Ion. c. 4.

boni Paſtoris parabolam in calicibus vitreis depinxerunt, efficitur, ab illis quoque, vel in Eccleſiis conſecratas Chriſti, & Sanctorum imagines? vel (qui propriè eſt præſentis controverſiæ cardo) adoratas, & aliquo in religione cultu honoratas? Si ipſum picturæ argumentum conſideres, emblema fuit ex Scripturæ parabolis ductum, Chriſti miniſtrorum officium myſticè adumbrans, quod oculis primò ac immediatè exhibebat, non Chriſti, vel Sancti alicujus vultum, ſed paſtoris formam, atque habitum pecudem in humeris portantis; quò fidelis eo ſpectaculo commotus animo altius aliquid philoſopharetur, & in facto (quod in vitâ communi obvium eſt) non oculorum, ſed mentis acie contemplaretur, primùm quidem myſtici illius Paſtoris bonitatem, quem in terras cœlitus deſcendiſſe ſcimus, ut nos ſpirituali errore liberatos in cœleſtem caulam cogeret; tùm etiam miniſtrorum ejus officium, qui magiſtri exemplo Chriſtianos aberrantes ſuſcipere, atque in allegoricum ovile, id eſt in Eccleſiam, reducere debent. Quid hujuſmodi emblematis cum iis ſimulacris commune eſt, quæ publicè religioſo ritu colenda in Eccleſiis dedicantur? Hæc quidem eos immediatè

referre

referre creduntur, qui putantur hac ratione colendi; Illa verò res communes, & terrenas, neque ullo modo adorandas primò, ac per se sensibus exhibent, ut animum spirituali aliquo documento, quod ex iis duci potest, utiliter exerceant. Itaque non ob aliam causam effinguntur, quàm vel ad homines cum aliquâ delectatione docendos, vel ad loca, in quibus collocantur, exornanda; cùm illæ alterius generis imagines eò maxime & pingantur, & dedicentur, ut colantur. Emblemata oculorum modo aciem, & mentis attentionem deposcunt; simulacra etiam religiosum cultum flagitant. Quamobrem vel qui hæc abominantur Protestantes, ut placet adversariis, iconomachi, illa tamen minimè respuunt, ut constat ex mysticis, symbolicisque picturis, quæ passim apud eos in usu sunt; quale est verbi gratiâ illud religionis emblema, quæ cruci innitens mortem proculcat, & hoc ipsum Tertullianicum pastoris ovem in humeris portantis, & illud aliud duarum portarum, quarum altera angustior, altera latior est; multæque aliæ hujuscemodi icones, quas illi sacræ communionis tesseris insculpere, quibus item Bibliorum, Psalmorum, cæterorumque hujus generis li-

brorum limen exornare ſolent. Siquis inde concluſerit etiam Sanctorum ſimulacra publicè in iſtorum Eccleſiis dedicari, conſecrari, atque analogico cultu adorari; iſne, obſecro, bellè argumentatus fuerit? Sed neque illius emblematis, quod eſt à Tertulliano commemoratum, forma, atque ſitus adverſariorum inſtituto minus repugnat, quàm argumentum. Non enim in tabulâ depictum fuit, neque certo Eccleſiæ loco fixum, atque conſecratum, ſed in Eccleſiaſtici calicis vitro effictum, ad vaſis, ut apparet, ornatum, non ad populi religionem, ac cultum. Illam verò imaginem non vaſi adjectura erat Eccleſia (cujus ſuus jam erat uſus, & quidem ab imaginis veneratione longè diſcrepans) ſed ſeorſim effictura, atque exhibitura, ſiquidem id ejus conſilium fuiſſet, ut hæc à fidelibus pictura coleretur. In feneſtris, ac poculis vitreis multa paſſim vera, falſa, ſacra, profana, pingunt hujus generis artifices; neque quiſquam eſt, qui hæc ab iis, qui utuntur, coli ſuſpicetur, aut eo animo haberi, ut colantur, cùm clarum ſit, & cuivis obvium iſta non alio conſilio, quàm ad ornatum fuiſſe addita. Neque, ſi in adverſariorum Eccleſiis nullæ niſi in feneſtrarum, & poculorum vitro eſſent imagines, quem-

quemquam futurum puto, qui eas veneraretur, cùm nemo non intelligat hujus generis picturas ad fenestrarum, & poculorum elegantiam, non ad hominum religionem, atque cultum esse institutas. Neque eas sanè, quæ sunt hujus generis, id est quæ non seorsim, ac per se fiunt, sed ut appendices tantum, atque ornamenta aliarum rerum, vel ipsi Protestantes spernunt; qui quamquam imaginum in religione usum repudient, templorum tamen valvas, & Ecclesiastarum cathedras, sacraque subsellia talibus elegantiis, artisque operibus exornare nefas non putant; qui & in primis pagellis biblicorum codicum, quos sanctissimos habent, ut plurimùm solent hujusmodi icones pingere; unde nemo sanus colliget, Sanctorum imagines apud eos in eodem usu, pretio, atque honore esse, quo sunt apud Romanæ communionis homines. Lorinus Jesuita, ubi disputat, quo sensu vetitæ sint in lege imagines, hanc quoque earum distinctionem adhibet, probabiliorem sententiam judicans *negantium Iudæis in lege veteri usum omnium imaginum, quæ per se fierent, & non ut appendices tantùm, ornamentave rerum aliarum, licitum fuisse.* Vt igitur ex hujus Theologi hypothesi perperam ratiocinaretur, qui *Lor. in Act. c. 17. 29.*
Sanctorum

Sanctorum imagines in usu, ac veneratione fuisse, ex eo efficere contendunt, quod in calicis vitro depictam ab iis parabolam, apud Tertullianum legunt. Hic certe ejus locus minimè prohibuit, quominus existimaverit Franciscus Zephyrus nulla in Christianorum Ecclesiis istis temporibus fuisse Sanctorum simulacra. Neque hinc potest verè & legitimè quicquam aliud colligi, nisi fuisse tum aliquos Christianos, qui putaverint non esse nefas parabolas, & mystica emblemata coloribus pingere; quæ conclusio nemo non videt, quàm longè ab iis absit, quæ adversarii probanda susceperunt. Neque enim inde consequitur Christianos illorum temporum, vel imaginibus cultum analogicum tribuisse ullum, vel etiam simulacra in Ecclesiis habuisse seorsim efficta, & dedicata; imò ne illud quidem hinc apparet communem omnium Christianorum fuisse istorum sententiam, qui fas esse putarunt parabolas pingere, contraque est, quod suprà demonstravimus, tam ipsum Tertullianum, quàm Clementem, & Origenem pingendi artificium, tamquam omnino illicitum damnavisse. Postremò neque hic efficitur ab initio in Ecclesiâ fuisse illum parabolas, sive mystica emblemata pingendi usum.

Vero proprius videtur illam paſtoris pecudem in humeris portantis imaginem in eam Eccleſiam, quam exagitat Tertullianus, tùm primùm ex occaſione inductam fuiſſe. Cum enim decretum de admittendis ad pœnitentiam, & communionem fornicatoribus feciſſet, ſacrum illud emblema fidelium oculis tum demùm objectum fuiſſe probabile eſt quod rei præſenti apprimè congrueret, & eam, quâ in peccatores uti placuerat, indulgentiam, non tantùm repræſentaret, ſed ipſius etiam Domini autoritate firmaret, atque conſtitueret. Hic verò unicus eſt locus, quem nobis in hac cauſa adverſarii opponunt ex tribus Chriſto proximis, id eſt puriſſimis atque ſanctiſſimis Eccleſiæ ſæculis; neque quicquam aliud in tam multis, quæ ſuperſunt, Iuſtini, Irenæi, Clementis, Origenis, Tertulliani, Cypriani, & cæterorum monumentis invenerunt, quod ad ſuarum imaginum defenſionem vel flecti, vel etiam trahi, & detorqueri poſſe putarent.

Caput II.

Secunda objectio, ex duobus Eusebii Cæsariensis locis petita.

QVem primum ex secutis temporibus adducunt, is Eusebius est, Cæsareæ, ut suprà diximus, in Palæstinâ episcopus, quem constat universali Concilio Nicææ interfuisse, anno æræ Christianæ cccxxv. Ego verò mirari satis non possum, quod eum testimonium sibi dicere jubeant, quem à suis septimæ, ut numerant, Synodi Patribus tam malè exceptum, tamque invidiosè exsibilatum sciunt, quasi Iconomachis palam faventem, & in eâ, quam supra memoravimus, ad Constantiam epistolâ exsertè negantem fas esse ulli mortalium humanam Christi formam effingere. Eusebii tamen locum adferunt adversarii, quo dum posita à Constantino quædam simulacra describit, *Videas etiam adhuc licet* (inquit) *apud fontes in medio foro positos Pastoris præclari symbola, illis, qui sacris litteris eruditi sunt, satis cognita. Danielem quoque cum leonibus in ære incisum, aurique laminis splendescentem.* Sed palam est iis verbis minimè effici, vel ut illa tùm fuerint in Christianorum Ecclesiis simulacra, vel ut fas sit Christi Domini formam effingere; quod cum

Euseb. de vita Const. l. 3. c. 48. edit. Christop.

cum ipsius Eusebii sententiâ pugnat totâ (ut ajunt) diametro. Hic enim locus, non Christi memorat imaginem, sed *boni Pastoris symbola*, hoc est, vel crucis signum, ut interpretatur Christophorsonus, vel Evangelicum pastoris ovem portantis emblema, ut verisimilius putat Chamierus noster. Id solum ex Eusebii narratione concludi potest Constantinum Augustum in eâ fuisse sententiâ, ut non putaret nefas, vel crucem, & Euangelii parabolas & veteris Testamenti historias ex ære, & aliis metallis effingere, vel hujusmodi signa & effigies in foro collocare; quâ in re ne nostrorum quidem hominum, quamquam acerrimorum (ut creditur) iconomachorum, ullum, quod sciam, repugnantem, aut dissentientem habiturus est. Fateor Bellarminum aliud quiddam longè majus ex Eusebio moliri. Ait enim eum *libro* 3. *&* 4. *de vita Constantini dicere in templis à Constantino exstructis in Palæstina fuisse maximam copiam imaginum aurearum, & argentearum.* Hæc quidem Bellarminus, quorum nihil usquam apud Eusebium extat; Neque mihi cogitanti, quid istum in tam fœdum errorem inducere potuerit, aliud occurrit, quàm Joannis cujusdam Portesii in Latinâ horum librorum versione flagitium. Is enim in ejus

Christoph. ib. vrg. cap.

Cham. Panst. T. 2. l. 22. c. 7. §. 15.

Bell. de Imag. c. 9. §. Sozomenus.

ejus templi descriptione, quod Hierosolymis à Constantino ædificatum est, Eusebium sic facit loqui; *Sed huc accessit aurearum imaginum, argentearumque vis infinita*; cùm Græci Eusebii codices ita habeant, ἐκόσμει δ' αὐτὸν ἀδιηγήτοις κάλλεσι πλείστων ὅσων ἀναθημάτων χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθων πολυτελῶν ἐν διαλλαττούσαις ὕλαις, hoc est, interprete Christophorsono, *illud* (templum) *insignibus, quæ oratione explicari nequeunt, & monumentis auri, argenti, & lapidum preciosorum materie distinctis, & quasi depictis, quæ erant numero ferè infinita, adornavit.* Atque ita Portesii scelere, atque audaciâ singulari Constantini *donaria* in *imagines* mutata sunt; perinde ac siquis interpres, quod apud Lucam de templo Hierosolymitano legimus, λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται ita Latinè redderet, *lapidibus pulcris, & imaginibus ornatum erat.* An Portesii peccatum Bellarmino fraudi fuerit, nescio. Hoc scio, ut ille infidelitatis damnetur, non hunc ideo erroris, lætæque ignorantiæ absolvi. Siquis nostrorum simile aliquid admisisset, nemo est istorum, qui non paratragœdiaret; qui non hominem, tamquam immanis perfidiæ, ac non ferendæ impietatis reum, ad supplicium deposceret. Sed ut redeam ad institutam dispu-

Euseb. à Ioan. Portesio Lat. versus l. 3. de vit. Const. p. 681. edit. Basil. a. 1559.

Christ. in Eus. l. 3. de V. CN: c. 39. de multitudine donariorum.

Luc. 21. 5.

disputationem, ex Eusebio quoque adducunt quæ sunt ab eo in historiarum libris prodita de statuâ quadam Christo, ut ferebant, consecratâ. Facta enim Paneadis mentione, quam urbem divini libri Cæsaream Philippi vocant, *Sed quoniam* (inquit) *in hujus civitatis mentionem incidi, operæ pretium arbitror historiam hoc loco citare, quæ digna planè videtur, quam memoriæ ad posteritatem commendemus. Mulierem illam sanguinis profluvio afflictatam, quam sanctorum Evangeliorum testimonio à Servatore nostro morbi remedium invenisse cognovimus, ex eâ civitate oriundam, illiusque domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Servatoris in eam beneficii monimenta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam; huic è regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem. ad cujus pedes in ipsa basi peregrinam quamdam, & inusitatam herbæ speciem enasci; quam quidem, ubi ad ænei vestitus fimbriam excreverit, morbis cujusque generis medicandi vim, & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt; quam ad nostram usque ætatem manentem, ipsi* Euseb. l. 7. Hist. Eccl. c. 18. edit. Græc. quod est 14. in ed. Lat. Christoph.

ad eam civitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum eos, qui è gentibus prognati, à Servatore, dùm inter homines vivebat, beneficiis affecti fuissent, ista effecisse, cum & nos Petri, & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conservatasque aspexerimus; idque propterea, sicut verisimile est, quod majores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem quam proxime * *accedentes, eos qui tamquam servatores illis fuissent, id est qui illis aliquid salutis, & subsidii attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueverant.* Atque hic quidem est decantatissimus Eusebii locus, ab omnibus tum priscis, tum recentioribus imaginum patronis, & sæpe & studiosè in hac disputatione allatus. Carolus verò Magnus, jam ante annos DCCCXL. fusè exposuit, quàm nihil istorum causam hæc narratio juvet; cujus responsionem ex ipsius libro de imaginibus quarto descriptam hic totam subjicere operæ pretium putavi. Recitatâ enim hujus statuæ historia, *In quo quidem facto*, inquit, *si tamen factum esse credatur, nulla imaginum adoratio commendatur. Si ergo illa mulier fœminei sexus facilitate, & quadam animi levitate percepto sanitatis beneficio, utpote Domini semper præsentiam quærens, eumque ubique esse posse ignorans, imaginem erexit, quis tam vecors percepti*[s]

* ἀπαραλλάκτως. al., ἀπαραφυλάκτως, *inconsideratè.*

Carol. M. l. 4. de imag. c. 15.

ptis sacræ fidei charismatibus, eumque ubique esse non nesciens, ut ejus habere queat præsentiam idcirco imaginem eriget, eamque adorabit? Et si illa, mundo necdum ab idolorum cultibus liberato, visis mortuorum quorumdam hominum in urbibus statuis ob quarumdam rerum memoriam, sive cultum erectis, similiter pro ut valuit agere studuit; quis sanæ mentis ejus actibus assensum præbebit, & Dominum non in manu factis, sed in cœlo, vel potius ubiq; esse credens, talia agere curabit? Aut si forte illa superstitioso ritu habuit zelum Dei, sed non secundum scientiam; quis Catholicus in fide roboratus ex ejus actibus in hac parte exempla sumet, hisque similia faciet? Aut si forte illa rudimento conversionis suæ, quæ necdum solido cibo vesci poterat, ideo tenero cibo utebatur, ut ad percipiendum cibnm paulatim sumptis viribus cresceret, scilicet ut per rem visibilem, & tractabilem ad invisibilis & ineffabilis Dei cultum accederet; quis ejus in hoc facto imitator effectus, spretâ solidi cibi fortitudine, ad infantiæ denuò cibos cupiat esse redactus? In miraculo igitur, quod in herba fit, si tamen factum fuisse credatur, quæ, ut ille fassus est, cunctis ægritudinibus medetur, haudquaquam poterit illorũ assertio quodammodo fulciri; quoniam non ut herbæ, aut imagines adorentur, id factũ fuisse perhibetur, sed ut infidelium mentes spretis vanitatibus idolorum ad veræ fidei rudimenta converterentur, quoniam secundum Apo-

 stolum

ſtolum ſigna non pro fidelibus, ſed pro infidelibus data fuiſſe creduntur. Eccleſia namque Catholica, ut ad fidem creſceret, miraculis erat nutrienda, & ut ejus novella plantatio convaleſceret, aßiduis erat irrigationibus fovenda. Hactenus Carolus, quo loco cauſam hanc cum Galliæ & Germaniæ Eccleſiis tuetur, quemadmodum poſtea demonſtrabitur. Sed hujus reſponſionis, non modò venerabilis eſt auctoritas, ſed perſpicua etiam ratio, atque æquitas. Primùm enim quod facti hujus fidem admodum eſſe dubiam innuit Carolus, dum bis ait, *ſi tamen factum eſſe creditur*, id manifeſtũ fiet, ſi omneis totius rei circumſtantias accuratè expenderis. Mitto Matthæi, Marci, & Lucæ ſilentium, qui cum mulieris curationẽ in Euangeliis narrantes tam illuſtre ejus in Dominum gratitudinis monumentum nequaquam prætermittere debuiſſe videantur, nihil tamẽ hujuſmodi memorant. Mitto itidem cæterorum Eccleſiæ ſcriptorũ Euſebio vetuſtiorum ſilentium, Iuſtini, Irenæi, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, aliorum, qui cùm in Apologeticis, aliiſque libris omnia documenta miraculorum, quæ à Domino facta ab Euangeliſtis narrantur, ſtudioſiſſimè conſectari, & colligere ſoleant, hujus mentionem nullam fecerunt, quod tamen

Matth. 9.20. Marc. 5.25. Luc. 8.48.

men hujusmodi est, ut & refellendæ infidelium pervicaciæ unum sufficeret, & Christianis omnibus cognitissimum esse deberet, præsertim verò Iustino in Palæstinâ nato, atque educato, itemque Origeni tam multos annos Tyri in Paneadis propemodum viciniâ versato. Duo verò sunt, quæ prætermittere nequeo, quæque totam hujus, ut mihi quidem videtur, facti fidem, vel penitus convellunt, vel certè vehementer suspectam reddunt. Vnum est, quod Lucas & Marcus mulierem illam, antequam ea à Christo sanaretur, omneis facultates in medicos erogasse, atque consumpsisse, disertè testantur, quam tamen duo ex ære simulacra ante ædes posuisse facit supra memorata narratio. Atqui id fieri non potuit sine magnis sumptibus, quibus hominum, etiam locupletum, facultates vix pares esse possint. Alterum est, quod ænea illa simulacra trecentos annos Paneade in publico integra, atque inviolata mansisse finguntur; neque tam longo tempore vel Christianis, vel eorum hostibus, atque persecutoribus in mentem venisse, illis ut subducerent, & in tuto collocarent, his ut everterent, atque delerent tam illustria ejus veritatis monumenta, quam summo conatu, & vi qua-

dam incredibili alii defenſabant, alii oppugnabant. Paganos quidem conſtat ex variis veterum libris, ſacros Scripturarum codices, Eccleſiaſticos calices, aliaque hujuſmodi Chriſtianæ religionis ſive monumenta, ſive inſtrumenta, etiam in privatorum hominum ædibus per tria illa ſæcula ſtudioſiſſimè conquirere, & quæcumque nanciſci poterant, inflammare, atque abolere ſolitos, ne veritatis Eccleſiaſticæ ullum vel tenuiſſimum extaret veſtigium. Quis iſtos credat in tanto odio, tantâque amentiâ, pulcherrimum illud æs Paneade, ſi extitiſſet, incolume relicturos fuiſſe, paſſuroſque, ut palam, & in publico ejus Ieſu miracula clarâ veluti voce teſtaretur, atque prædicaret, quem ne in abditarum quidem cryptarum angulis, ac latebris conſiſtere, aut nominari ferebant? Quis item credat Chriſtianos homines, acerrimos tum Euangelii, tum omnium, quæ eò pertinebant, defenſores, ac vindices, duo tam præclara, tamque pretioſa monumenta tamdiu inimicorum furori, atque ludibrio temerè expoſita neglecturos? Neque nobis hoc loco objicienda eſt Euſebii auctoritas. Ille enim quicquid eſt hujuſce narrationis, non aliunde ſe, quàm ex ſolâ vulgi famâ accepiſſe fatetur, cujus

quàm

quàm infirma ſit, quàmque dubia & incerta fides, nemo non intelligit. Nullum Euſebius, ut in aliis ſolet, certum ex veteribus auctorem, nullum laudatum teſtem citat. Ait tantum ita jactatum fuiſſe; ἔλεγον, inquit, *ferebant*, memorabant; quo ex verbo totam hanc, quantacumque eſt, hiſtoriam ſuſpendit, idque iterum in extremâ narratione repetit, *hanc ſtatuam effigiem Ieſu exprimere dicunt*. Ait quidem fateor, ſe quam deſcribit, ſtatuam vidiſſe Paneade; neque quod adeò diſertè teſtatur Euſebius, cuiquam de eo ut ambigat, fas aut jus eſſe puto. Quam verò à ſe viſam narrat, noſque narranti credimus, eam fuiſſe Domini Ieſu veram effigiem, verè ei ab illâ, de quâ eſt in Evangelio, muliere poſitam, atque conſecratam, id profectò Euſebius non ſuâ, non alterius idonei auctoris fide, ſed ex ſolâ vulgi famâ tradit; non aliter rem firmans, quam communi civium rumore, ἔλεγον, inquit, *ferebant*. Itaque duo Paneade extitiſſe ænea ſimulacra, qualia ab Euſebio deſcribuntur, ego quidem minimè negaverim. Poſita verò ab eâ, quam iſti ferebant, muliere, vel eo animo, atque fine, quem ariolabantur, credere me non ſinunt, quæ ſuprà ediſſerui, argumenta. Potius puta-

verim ab Ethnicis hominibus (erat enim hæc Græcorum civitas) de more olim posita, (quâ de causâ, quo ve argumento, incertum) Christianos posteâ, cùm in ea urbe aucti rerum potirentur, ad hæmorrhousæ mulieris historiam detorsisse, propter aliquam rerum ipsarum similitudinem, cùm ex simulacris unum supplicantis in modum procumberet, alterum jubentis, & aliquid præcipientis more staret, quæ non absurdè videbantur ad ea referri posse, quæ in Euangelicâ narratione leguntur, mulierem ad Iesu pedes trementem accidisse, palam quid sibi contigisset, professam; Iesum verò laudatam suavissimis verbis compellasse, atque ita consolatam esse; *Confide, filia. Fides tua te servavit. Vade cum pace.* Vt hodie videmus, siqua reperiuntur numismata, quæ aliquam Christi (qualis quidem is à pictoribus vulgò effingi solet) similitudinem præ se ferant, ea ferè ad Christum referri, proque veris ac genuinis ejus iconibus ostentari. Nam & veteres illos Christianos humano quodam affectu in hujusmodi errorem aliquando incautos incidisse, satis ostendit Iustini Martyris exemplum, qui quam Romæ in insulâ Tiberinâ viderat inscriptionem *Semoni Deo Sango*, illam vocum similitudine

Iust. Apol. 2. Vide Desid. Herald. in Appl. Tertull. p. 77.

dine deceptus ad Simonem Magum referre non dubitavit, quasi legisset *Simoni Deo Sancto*; cum satis constet, non Simonis, sed falsi cujusdam numinis effigiem fuisse, quod Semonis Sangi olim nomine à veteribus Ethnicis inter cæteras superstitiones cultum, atque consecratum scimus. Cum sic labi, atque hallucinari potuerit vir tantus, in philosophiæ ac litterarum studiis versatus, non est quod miremur rude Paneadensium vulgus falsâ rerum specie, atque similitudine deceptum, simulacrum, quod alterius re verâ fuit, id Christo perperam tribuisse. Mirabilis vero herba, quæ efficere videtur, ut Christi hanc fuisse effigiem meritò isti suspicati sint, ea fateor, non multùm me movet. Non enim affirmat Eusebius vim ejus aliquo sibi fuisse experimento exploratam; Vulgi tantùm rumore jactatum ait, *ad statuæ pedes in ipsa basi enasci, eamque, ubi ad ænei vestitus fimbriam excreverit, morbis cujusque generis medicandi vim, & facultatem habere.* Vbi semel hominum, maximè autem vulgi animos occupavit præclara ac magnifica aliquâ de re opinio, de eâ mirum aliquid, naturamque supergressum nullo negotio sibi persuaderi patiuntur; cujus facilitatis exempla passim quotidie

in communi vita obvia ſunt nimiùm quàm multa. Qui igitur animo jam præcepiſſent Chriſti hoc fuiſſe ſimulacrum, eos minimè mirandum eſt herbam eo loco fortè natam, admirabilem quoque exiſtimaſſe; cumque ad ſalutarem illam à muliere, ut ſibi fingebant, utiliter contactam Chriſti fimbriam creviſſe cernerent, eo adductos fuiſſe, ut vi atque ingenio ſingulari præditam crederent. Fuerit æger aliquis ejus uſu, atque contactu levatus, ſive id innata herbæ facultas præſtaret, (multis enim ſcimus vires ab ipſa naturâ ſtupendas ineſſe) ſive id etiam fortuitò tantùm accideret unus hujuſmodi caſus, ſatis eſſe potuit ad hanc famam commendandam, totique illius civitatis plebi perſuadendam. Atque ita patet, quàm non temerè Carolus hujus hiſtoriæ fidem in incerto reliquerit, cùm tam multa ſint, quæ ſuſpectam, tam pauca, quæ probabilem eam reddant. Sed neque ſine juſtâ ratione negavit eam collectionem, quam inde nectebant imaginum patroni. Nam etiamſi veram fuiſſe concederemus omnem hujus facti ab Euſebio acceptam famam, non tamen eo efficeretur, vel Chriſti, Sanctorumque imagines in Chriſtianorum Eccleſiis ſecundum ho-
diernum

diernum Romanorum ritum consecrandas, atque colendas esse, vel eum fuisse veterum fidelium usum. Quid enim tandem ex totâ hac historiâ, si vel certa sit & confessa, exsculpent, aut extundent aliud, nisi unum fuisse Christi simulacrum, non episcopi, aut doctoris alicujus jussu, atque instituto, sed mulierculæ è Paganismi luto emergentis voluntate effictum? non in Ecclesiâ, sed in vico publico pro foribus positum? eo animo, non ut vel adoraretur, vel coleretur, sed ut accepti divinitus à Christo Domino beneficii monumentum esset? non ex Christiano, sed ex Ethnico, cui illa diu assueverat, usu? Scribit quidem Eusebius id pro Christi simulacro habitum fuisse ab illius urbis incolis; cultum à Christianis, non scribit. Sibi in iis locis peregrinanti visum narrat; adoratum, salutatione, osculo, cereo, vel alio dono honoratum, non narrat. Sed quid ego Eusebium nihil istorum vel testari, vel scribere dico? Ille verò rem contrà habuisse non obscure testatur. Hæc enim verba, narrationem totam exsecutus, subjicit, *Nec plane mirum, eos qui e Gentilibus prognati, à Servatore dum inter homines viveret, beneficiis affecti fuissent, ista effecisse.* Quorsum

verò

verò hæc monet Eusebius, si tum apud omneis Christianos receptum fuit, ut Christi imagines in locis sacris, & haberentur, & colerentur? Nam si fuit hic usus ejus, quæ tum erat Ecclesiæ, communis, nihil erat in illâ historiâ, quod mirum cuiquam videri posset. Atqui admirationi occurrit Eusebius, dùm ait non esse mirandum, quod illa mulier simulacrum Christo posuerit. Ergo necesse est, contrà quàm volunt adversarii, rem in illâ Ecclesiâ insolentem, & inusitatam fuisse, ut quis verè Christianus Christi simulacrum haberet. Aliter enim nemini in mentem venisset, ut hoc mulieris factum miraretur. Sed quæ ab Eusebio subjicitur istius sive admirationis, sive dubitationis, ratio id ipsum clarissimè confirmat. Cùm enim ex hodierno Romanorum dogmate facilis esset, & expedita solutio, nimirùm id fecisse illam mulierem, quod ab Apostolis institutum, quod discipulis omnibus traditum fuisset, ut Christi & Sanctorum imagines, & servarentur, & verò etiam colerentur, contrà Eusebius hunc usum, & morem paucis quibusdam tribuit, iisque ortu, & educatione Paganis; *Nec plane mirum* (inquit) *eos qui è gentilibus prognati,* &c. *ista effecisse; cùm & nos Petri, &*

Pauli

Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conservatasque aspexerimus. Poteſtne quicquam dici iſtâ oratione obtuſius, & ineptius, ſi tum erant apud Chriſtianos Eccleſiæ eo cultu, atque ornatu, quo nunc ſunt Romæ? Annon ludibrium deberet, ſiquis hodie Romanus doctor in Paneadenſem illam ſtatuam commentaretur, auditoreſque admoneret, non eſſe mirandum, quod iſta mulier Chriſto ſimulacrum poſuerit, quæ Pagana eſſet? & ſi poſtremò illa Euſebiana adjiceret, *Cum & nos Petri, & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conservatasque aspexerimus?* Eſtne ullus adeò infans, qui non hominem delirare, ſit exiſtimaturus? qui talia dicenti non hæc vel clara voce objectet, vel tacitus certè apud ſe muſſet; At ô bone, quid nodum in ſcirpo quæris? quid te in ea dubitatione ſolvendâ fruſtra fatigas, quæ nemini tuorum venire poteſt in mentem? Quid mulieris Paganiſmum excuſas? quaſi id, quod illa uſurpavit, non permittant, non etiam jubeant, & præcipiant Chriſtianiſmi leges? Quid tu nobis, quaſi magnum aliquid, rarum, atque inſolens narras te Apoſtolorum, & Chriſti ipſius imagines aliquas aſpexiſſe?

xisse? quasi non sint iis plenæ omnes Christianorum ædes publicæ, privatæ, sacræ, profanæ? Profecto vel affirmandum est deliravisse Eusebium, dum hæc ita scriberet, vel confitendum, quod res ipsa loquitur, nullas tum quidem extitisse in Christianorum Ecclesiis imagines; fuisse tamen præter publicum morem, atque usum aliquas in privatis nonnullorum bibliothecis, & conclavibus, qui eas non cultus aut religionis, sed memoriæ tantùm causâ conservarent? & hoc quidem discrimine, ut Christi, quàm Pauli & Petri, rariùs & parciùs reperirentur? Jam verò vel inter infensissimos imaginibus Protestantes, quàm multi sunt qui & in pretio habent, & studiosè servant suorum hominum icones, qui aliquâ vel pietatis, vel eruditionis fama vixerunt? Denique illud ipsum, tùm Paneadensis mulieris, tùm aliorum factum, qui Christi, & Pauli ac Petri effigies servabant, non aliò refert Eusebius, quàm ad Paganorum usum, atque consuetudinem, quod apud eos nati & educati essent, quibus solenne erat servatores, & liberatores suos simulacris, & imaginibus donare, ut ejus, quam experti erant, virtutis atque beneficentiæ memoria quamdiutissimè apud posteros exstaret, atque conservaretur.

servaretur. Atque hunc quidem fuisse receptum, & communem apud Ethnicos morem satis, superque discimus ex veterum Græcorum, & Romanorum libris. Quin etiam proximum vero videtur, ex hoc potissimum fonte fluxisse idolorum cultum. Nimirum paulatim res eò tandem processit, ut quorum simulacra à majoribus magno cum honore acceperant, eos consecrandos, ac pro numinibus habendos, colendosque censerent. Hæc igitur est Eusebii sententia, verissima quidem illa, ac certissima, imaginum apud Christianos usum ex Paganorum imitatione manasse, ne dum [illegible]is, quod somniant adversarii, Apostolorum vel præcepto, vel exemplo institutus fuerit. Vnde satis apparet hoc Eusebii loco non modo non convelli, sed constitui & confirmari, quod is scriptor alibi docet, nefas esse Christi Domini imaginem pingere.

Caput III.

Solvuntur sex aliæ objectiones, ex Adriano, Sozomeno, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino petitæ.

Atque ita Constantini Augusti tempora prætervecti sumus, quem anno æræ Christianæ CCCXXXVII. de sæculo decessisse accepimus; necdum ullas in sactis fidelium ædibus imagines offendimus. Quod enim narrat Adrianus jam tum à Sylvestro Romæ episcopo, exornatas fuisse picturis Ecclesias, quod item prodit scriptor de vitis Pontificum, (qui vulgo Damasus fuisse perhibetur) *Constantinum in loco, ubi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo, ad dexteram agni statuam argenteam Salvatoris, ad lævam autem statuam argenteam Iohannis Baptistæ, in Ecclesia autem ipsa Lateranensi posuisse imagines argenteas Salvatori, Apostolis duodecim, & Angelis quatuor*, hæc inquam testimonia, cum adversariorum veniâ prætermittimus, quod hominum sint meritò suspectorum, & huic, quam oppugnamus, causæ impensiùs addictorum, quàm ut eorum studium dissimulari queat. Qui enim nunc adducitur Adrianus, is anno Domini DCCXXC. quadringentis & amplius post Constantinum annis, floruit,

Adrian. pro imag. Pontific. in vita Sylvestr.

VII. illius Synodi, quæ imaginum cultum constituit, princeps, quique pro earum defensione hunc ipsum librum conscripsit, ex quo petitus est allatus ab adversariis locus. Librum verò de vitis Pontificum, quamquam ante illa tempora scriptum, communi tamen doctorum judicio constat ab Anastasio, noni sæculi, & quidem extremi, homine auctum fuisse, & interpolatum, Pontificis Romani Bibliothecario, illiusque sedis palpone nobilissimo, qui cultum imaginum tanto studio, tantàque contentione defendit, ut (quod postea fusiùs demonstrabimus) Gallos nostros, quòd eum recipere nollent, alicubi notare non dubitaverit. Si Bellarminus, vir doctus, & in veterum monumentis versatissimus, cùm hoc ipso sæculo, in clarissimâ litterarum luce, in maximâ adversariorum copiâ scriberet, Constantino tamen falsò, ac per summam calumniam tribuere ausus est, quod Palæstinæ templa aureis, atque argenteis imaginibus repleverit; cur incredibile videbitur Adrianum, & Anastasium, temporibus tenebrosis, fœdâque barbariæ, & ignorantiæ caligine obscuratis, ad hoc summo in hanc caussam studio, has Sylvestro, & Constantino imagines affinxisse? Cur hîc vel falli non

 potuisse,

potuisse, vel fallere noluisse putabimus, quos in tam multis aliis peccasse manifestum est? Nam alter quidem, qui vitas Pontificum scripsit, Constantinum ait à Sylvestro baptizatum, contra veterum omnium fidem; alter verò (nimirùm Adrianus) Alexandrino Athanasio tribuit quæstiones ad Antiochum, quas ccc annis post ejus ævum scriptas constat; & Chrysostomo homiliam de veteris & novi Testamenti legislatore, quam vel ipsi adversarii fatentur non esse Chrysostomi, eidemque verba hæc affingit; *Oportebat enim eum non vetare venerationem sacrarum imaginum*: quæ neque in eâ, quam laudat in amputationem capitis, Ioannis Baptistæ homiliâ, neque alibi uspiam apud Chrysostomum reperiuntur. Quod si nulla esset de istorum in hâc causâ fide dubitatio, Constantini tamen tempora tanto intervallo ab ipsorum ætate remota erant, ut rerum, quæ tùm contigerunt, idonei testes esse non possint. Cui enim fiat verisimile Eusebium, qui Constantino imperante vixit, quique studiosissimè, atque accuratissimè persecutus est quæcumque tùm, ad Ecclesiam amplificandam, atque exornandam, gesta sunt, hæc tam illustria vel nescivisse, vel dissimulare voluisse? hæc eadem cæteros

In vita Sylvestri.

Adr. ep. ad Carol. pro imagin. c. 34. ib. c. 42.

Ib. c 14. in secundo numerorum ordine. p. 143. F. T. 6. Conc. ult. edit. Paris. a. 1636.

Ecclesiasticæ historiæ scriptores alto silentio obruta prætermisisse? repertos demum post quatuor, aut quinque sæcula duos homines, qui quod alii retrò omnes ignoraverant, id soli vel discere, atque è tenebris eruere, vel litteris mandare potuerint? Quis non videt, quàm sit probabilius idem illud imaginum studium, quod eos tam multa alia vel falsa, vel dubia, pro certis, & compertis tradere subegit, pariter impulisse, ut bellas istas fabulas confingerent, atque disseminarent? Postremò neque hoc admonere pigebit, tametsi quod incertum, & falso propius est, verum & exploratum esset à Constantino, & Sylvestro positas olim fuisse in Ecclesiis imagines, non eo tamen confectum fore, ad hoc fuisse positas, ut à Christianis cultu aliquo, sive analogico, sive alio adorarentur.

Jam ex iis temporibus, quæ Constantini mortem consecuta sunt, primum illud adferunt, quod est à Sozomeno proditum, eversam atque confractam ab Augusto Iuliano illam, de quâ suprà memoravimus, Paneadensem Christi statuam, à Christianis postea circiter annum Domini CCCLXII. collectam, & Soz. hist. l. 5. in quadam Ecclesiâ collocatam, ibique c. 21. ad suam memoriam servatam fuisse. Re-

ſpondeo primò falſum videri, quod ea ſtatua Paneade in Eccleſiâ collocata fuerit. Quî pote, cùm Sozomenus confractam à Paganis affirmet? Non ergo vel erectam, vel in templo collocatam fuiſſe ipſam ſtatuam cenſendum eſt; ſed quæ huc & illuc ſparſa erant ejus fragmenta à Chriſtianis collecta, & in Eccleſiâ ad conſervandam rei memoriam repoſita. Tum & hoc prætereà addo labare omnem hujus hiſtoriæ fidem, cùm apud Photium Aſterius Amaſiæ epiſcopus, laudatiſſimus ſcriptor, & Sozomeno tùm vetuſtior, tùm longè præſtantior, plane aliter rem narret. Ait enim ille Maximinum Auguſtum, Conſtantini deceſſorem, Iuliano deſertore non paucis annis antiquiorem, ſtatuam illam Paneadenſem ſuſtuliſſe; ut ea, quo tempore ipſe ſcribebat, nuſquam in rerum naturâ reperiretur. In tantâ narrationis diverſitate utri habebimus fidem? Denique ſi vel fingamus rem plane ſic eſſe geſtam, ut narrant adverſarii, non tamen inde quicquam aliud legitimè concluſerint, niſi hoc unum, anno quarti ſæculi LXII nonnullos fuiſſe Chriſtianos, qui ſimulacra in Eccleſiis haberent, non autem qui ea venerarentur, & colerent, in quo proprie vertitur omnis hujus quæſtionis cardo.

Phot. Bibl. cod. 271. extr.

Poſt-

Postquam verò in Ecclesiam una cum Romani imperii majestate pompa, luxus, atque opulentia invasit, minimè mirandum est, quod inter alia non pauca pravi moris, periculosique exempli instituta, imaginum quoque usus, hactenus apud Christianos vel omninò ignotus, vel certè obscurus, in religionem invectus sit; primùm non alio animo, quàm ut vel sacris locis ornatus ex picturâ quæreretur, vel fidelium memoriæ subsidium ex piorum hominum rerumque ad pietatem pertinentium repræsentatione. Adversarii sedulò conquirunt quæcumque veterum loca aliquid hujusmodi præ se ferunt, eaque ad muniendam, quam agunt, causam, diligenter colligunt. Huc pertinet, quod ex Chrysostomo afferunt testimonium, quem virum anno quinti sæculi septimo denatum accepimus; *Quod ergo*, inquit, *in nominibus fecistis, hoc & in illius imagine gessistis. Etenim & in annulorum circulis*, * *& in calicibus, & phialis, & in thalamorum parietibus ubique imaginem sanctam illam exaraverunt multi.* Loquitur autem eo loco Chrysostomus de Meletio Antiochiæ episcopo. Sed neque hujus, neque alterius cujusquam simulacrum publicè in Ecclesiâ propositum fuisse ait. Ipse illi Refor-

Chrys. orat. in Melet quæ est 45. ad pop. An Syn. 7. Act. 4.

* σφενδόναις *palis.*

 mati,

mati, qui nullas habent in templis imagines, non ideò putant nefas Paſtorum, ſiquos impenſiùs colunt, aut diligunt, ora ad vivum pingendo curare, iconeſque in ædibus ſervare. Ex eodem quoque auctore ſequentem locum adferunt ſeptimi Concilii Patres; *Ego*, inquit, *& cera perfuſam dilexi picturam pietatis cauſa. Vidi enim Angelum in imagine pellentem barbarorum cuneos. Vidi conculcatas barbarorum tribus, & David veritatem dicentem, Domine, in civitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.* Ad hæc primùm negamus Chryſoſtomi eſſe homiliam, ex quâ iſta deſumpta ſunt, quæque hoc titulo circumfertur, *Quod unus eſt veteris & novi teſtamenti Mediator.* Id verò luculentiſſimè docet primum ipsâ orationis diverſitas, quæ à Chryſoſtomi puritate, ſuavitate, atque facilitate plurimùm abeſt: ſecundò quod Ignatii teſtimonium laudat, quod eſt à Chryſoſtomi conſuetudine alienum, nulla niſi Scripturarum dicta citantis; ac denique Frontonis Ducæi Jeſuitæ judicium, qui orationem iſtam in ſextum tomum inter notha, & Chryſoſtomo falsò afficta conjecit. Quo loco obiter notandum eſt, quanti Nicænorum Patrum in citandis veteribus fidem facere debeamus, quando ne ipſi quidem Jeſuitæ pro

Syn. 7. Act. 6. p. 777.

Front. Duc. Praf. Not. in T. 6. Chryſ.

vero, ac genuino Chrysostomi opere habent, quod ab istis ejus nomine laudatum fuerat. Sed etiamsi verè Chrysostomi esset homilia, nihil tamen ad præsentem causam faceret inde adductus ab istis locus. Neque enim ait auctor picturam ipsam in Ecclesiâ vel cultam, vel propositam fuisse à Christianis. Tantùm narrat se cum voluptate spectavisse barbarorum cladem in cerâ expressam. Quis vel ipsorum Protestantium adeò averso est ab imaginibus animo, qui non simili spectaculo gaudeat, non modò ob operis artificium, sed multò etiam magis ob argumenti pietatem? Pictorum enim artem in exprimendis Dei operibus occupari dignius, & justius est, quàm in hominum simulandis nugis. Sed antequam ultrà progredior, lectorem hîc oratum velim, ut animadvertat, quanta sit eorum, qui imagines defendunt, in hac causâ perturbatio, atque cæcitas. Chrysostomus tertiâ de Davide homilia auditoribus præcipit, ut prolixè eo loco laudatam sanctissimi Prophetæ lenitatem, atque justitiam animis altè insculpant. Ad hæc verba, qui Chrysostomi opera Lutetiæ publicarunt, sic annotant, *Imago Davidis pingenda.* Quid? nonne ingeniosa videtur istorum hominum cupiditas? P. 1039. T. 2. op. Chrysost.

Nonne hujusmodi, quæ causæ, cui stuſtet, teſtimonia, atque præſidia in ipſo campanarum ſono facile, ſi lubeat, invenire poſſit? Sed jam ad cætera pergamus. Ex Hieronymo, quem anno quinti ſæculi viceſimo pridie Kal. Oct. obiiſſe conſtat, hæc laudant; *Re vera* (inquit ille in quartum Ionæ caput) *in ipſis cucurbitis vaſculorum, (quas vulgò Saucomarias vocant) ſolent Apoſtolorum imagines adumbrari.* Sed nonne nos derident, qui inde conficiunt Hieronymi temporibus pictas, & adoratas fuiſſe in Eccleſiis Apoſtolorum imagines? Nam & de privatis tantùm hominibus loquitur, & de cucurbitarum & vaſculorum imaginibus, quas nemo non videt non ad colendum, ſed ad ornandum, fuiſſe adumbratas. Quis enim fando audivit, quæ in religione adorantur, ea in poculis communibus ad venerandum proponi? Jam verò ipſam picturarum venerationem quantopere averſatus, & exſecratus fuerit Hieronymus, abundè diſcimus, non tantùm ex eo, quod Latinè converterit, ac publicaverit ſuprà à nobis memoratam Epiphanii epiſtolam, quâ vir ſanctiſſimus omneis omnino imagines ſeveriſſimè ex Chriſtianorum Eccleſiis ejicit atque proſcribit, ſed ex iis etiam, quæ ipſe in Danielis tertium

Hier. in Ion. c. 4.

tertium caput his verbis commentatur, *Sive statuam*, inquit, *ut Symmachus, sive imaginem auream, ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices, & principes sæculi, qui Imperatorum statuas adorant, & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo. Et notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt, quod utrumque servis Dei non convenit.* Bellarminus respondet *Hieronymum loqui de statuis regum, qui habebantur pro Diis, & quorum statuæ divinis honoribus afficiebantur*; idque ex eo probat, *quod eos se reprehendere* dicat Hieronymus *qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone.* Sed nos deludit adversarius. In puerorum Hebræorum verbis duo distinctè notat Hieronymus; alterum, quod se Nabucodonozoris *Deos colere* negant; alterum, quod neque ejus imaginem adorare volunt. Tum *neutrum servis Dei convenire* ait. Itaque non eos modò damnat, qui creaturas habent pro Diis, sed eos etiam reprehendit, qui imaginem adorant, quicquid ipsi interim de ejus exemplari sentiant. Neque verò obscurum est, istorum, quos hic notat Hieronymus, non eam fuisse sententiam, ut Imperatores, quorum imagines adorabant, habuerint pro Diis. Quis enim

Hieron. T. 5. Comm. in Dan. c. 3.

Bell. de imag. c. 16. §. Porro.

istos, de quibus loquitur *judices*, *ac sæculi principes*, religione Christianos fuisse non videt ? qui Romanorum Imperatorum statuas iisdem etiam tum honoribus afficiebant, quibus olim vigente Paganismo affici solitæ erant, haud dubiè causantes civilem fuisse omnem istam venerationem, & à religionis rationibus longe remotam ? Id primum ex eo apparet quod de istis loquitur in præsenti tempore, *intelligant*, inquit; ut necesse sit istos, de quibus agit eo ipso tempore judicasse, ac præfuisse, quo ipse hos in Danielem commentarios elucubrabat. Atqui imperantibus Theodosio, & Valentiniano, quo tempore hæc ab Hieronymo scribebantur, palam est Christianos, non Ethnicos fuisse judices, & sæculi principes. Id ipsum etiam clariùs inde elucet, quod ut istorum errori medeatur, trium puerorum exemplum, atque auctoritatem proponit, *Hoc* (inquit) *se facere intelligant*, *quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo*. Quorsum affert hoc exemplum ? quorsum Dei voluntatem objicit, si quibuscum agit, ii neque Scripturas admittebant, neque Deo se obedire, vel placere velle profitebantur; Christianos ergo eos fuisse necesse est, neque adeo imperatores, quorum adorabant statuas, pro Diis habuisse,

habuisse, cùm ab omni veri specie abhorreat tam crassam, tamque immanem amentiam in quemquam Christianum cadere posse. Quæ à Bellarmino contra affertur ratio, inde ducta, quod *isti id facerent, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone*, ea inquam nullo modo id conficit, quod confectum vult adversarius. Tres enim isti pueri nullâ adhibitâ distinctione, conditione, aut restrictione, exsertè & absolutè negant se Nabucodonozoris statuam adoraturos, ut quod hi facere noluerunt id evidenter faciant quicumque principis alicujus statuam adorant, sive ipsum Principem pro creaturâ habeant, sive pro Deo; quamquam hic quidem error adeo est ab omni non modo ratione, sed etiam sensu alienus, ut vix quemquam esse putem ita pinguem & hebetem idololatram, qui eum serio in animum induxerit. Altera pars responsionis Bellarminianæ, quæ *adorare imaginem* idem esse putat, quod divinis honoribus afficere, priore neque verior est, neque ad rem propositam aptior. Quis enim non intelligit *imaginem adorare* id ipsum esse Hieronymo, quod Nabucodonozor à tribus pueris exigebat, quod petenti pueri constanter negarunt, quod denique Imperatorum statuis principes

ac

ac judices ſæculi perperam deferebant?
Atqui neque tradit hiſtoria ſacra quicquam aliud Nabucodonozorem à pueris exegiſſe, niſi ut ad muſicorum concentum prociderent, ſuamque ſtatuam adorarent; neque uſquam produnt Romanarum rerum ſcriptores, Imperatores (præſertim verò eos, qui poſt conſtitutum in imperio Chriſtianiſmum regnarunt) à miniſtris aliud aliquod flagitaſſe honoris, aut venerationis genus, præter corporis inclinationem, atque demiſſionem, id eſt, (ut uno verbo dicam,) ingeniculationem. Ex quo conſequitur, hoc ipſum quoque ab Hieronymo damnari, quocumque id vocabulo appellare libeat, ſive honores divinos, ſive aliter. Quo Hieronymi judicio palam eſt eam etiam venerationem explodi, quam Sanctorum imaginibus tribuunt adverſarii. Nam ad eas non aliter procumbunt, atque inclinantur, quàm ad Nabucodonozoris Effigiem Chaldæi, & ad Imperatorum ſtatuas judices, ac principes ſæculi. Quod ſi ille uſus, qui jam apud Romanos obtinet, olim quoque fuiſſet in Eccleſiâ receptus, numquam profectò Hieronymus ſic exſertè, atque invidiosè totum hoc negotium damnaſſet; Sanctorum imagines excepiſſet; à cultu abſoluto

Dan. 3.

ſoluto relativum diſtinxiſſet; ac ut nunc Romanis doctoribus in hujuſmodi cauſâ ſolenne eſt, aliquo temperamento crudam illam, & præfractam ſententiam molliviſſet. Sed ut reliqua adverſariorum teſtimonia perſequar, ſolent illi quoque in hac diſputatione nonnulla ex Auguſtino objicere, qui anno quinti ſæculi xxx. Auguſti die xxviii. in Domino obdormivit. Ac primùm quidem accipiunt, quod ab eo, libro contra Fauſtum xxii. proditur, Abrahæ ſacrificium multis locis pictum fuiſſe; cui loco adjungi poſſunt quæ in opere contra Iulianum his verbis perſcripta leguntur, *A pictoribus me didiciſſe derides, quod Adam & mulier ejus pudenda contexerint.* Tùm & illa promunt, quæ primo libro de conſenſu Euangeliſtarum occurrunt, ante DCCC. annos ab Agobardo quoque Lugdunenſi epiſcopo obſervata, ubi cùm dixiſſet Auguſtinus nonnullos è Paganis finxiſſe neſcio quos à Chriſto de arcanis patrandorum miraculorum artibus libros ad Petrum & Paulum ſcriptos fuiſſe; *credo,* (inquit) *quod pluribus locis ſimul eos cum illo pictos viderunt.* Reſpondeo iſtis Auguſtini teſtimoniis minimè effici publicè tum in Eccleſiis propoſitas, aut adoratas fuiſſe Chriſti, Sanctorumque imagines.

Auguſt. l. 22. contr. Fauſt, c. 73.

Id. l. 5. cont. Iul. c. 2.

Id. de conſ. Euan. l. 1. c. 10

Tan-

Tantum inde apparet nonnullos jam tum fuiſſe,qui Dominum Ieſum & Apoſtolos pingerent, nimirum in privatarum ædium parietibus; quod etiam hodie faciunt ex ipſis Proteſtantibus non pauci, acerrimi alioqui, infenſiſſimique hoſtes illius venerationis, quæ imaginibus defertur. Quod enim Bellarminus Auguſtinum de privatis ædibus locutum ideo negat eſſe credibile, quod ad eas non omnibus pateat aditus, id inquam futile, ac joculare eſt. Quaſi verò Paganis, Chriſtianorum hominum, quibuſcum ſub eodem Principe, ac intra eadem mœnia vivebant, ædes ingredi nefas fuerit, illaſque vel in parietibus, vel in tabulis pictas imagines videre, atque obſervare. Sed non eſt prætermittendum qualeſcumque tandem fuerint illæ picturæ ſeu publicæ, ſeu privatæ, ſatis docere Auguſtinum, quàm nullius eas pretii eſſe exiſtimaverit, quàmque periculoſum earum in religione uſum judicaverit, cùm loco ante memorato ſtatim poſt ea, quæ deſcripſimus, verba hæc continenter ſubjicit; *Sic omnino errare meruerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos ejus, non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt; nec mirum ſi à pingentibus fingentes decepti ſunt.* Atque ita quidem Auguſtinus eos non

Bell. de imag. c.9.§.B. Aug.

modo

modo laudandos non putat, qui res divinas ex picturis, non ex sacris codicibus discunt; sed etiam id flagitium esse censet, & quidem eâ pœnâ dignum, quâ nulla gravior est, nimirum errore atque deceptione mentis. Obsecro, quî fieri poterat, ut ista gravissimo, ac sapientissimo viro exciderent, si ullæ tum imagines in Hipponensis parœciæ, & reliquæ Africæ Ecclesiis, non jam dico cultæ, aut adoratæ, sed pictæ, aut plebi propositæ fuissent?

CAPUT IV.

Prima imaginum in quorumdam Christianorum Ecclesias sub finem quarti sæculi introductio, ad ornatum, non ad venerationem. exponuntur duo Basilii & Gregorii loca, frustra pro imaginibus allata.

NVllus ergo in veterum scriptis occurrit locus, quo demonstretur imaginum usum in omneis, aut plerasque Christianorum Ecclesias ante quinti sæculi initia receptum fuisse. Fatemur tamen in nonnullis provinciis jam tum fuisse frequentatum; ut verbi gratiâ, in Cappadociâ, & Ponto. Nam ibi receptum jam fuisse non modo ut in privatis locis sacræ Scripturarum historiæ pingerentur,

rentur, ſed etiam ut in Eccleſiis Martyrum, & eorum, quæ pro fide ſuſtinuerant, certaminum icones, atque tabulæ proponerentur, id ſatis apparet ex Gregorio Nyſſeno, quem anno Chriſti CCC LXXV. vergente jam quarto ſæculo, floruiſſe conſtat. Is enim in oratione de Filii, & Spiritus Sancti divinitate, cùm in mentionem Iſaaci, ab Abrahamo in ſacrificium oblati, incidiſſet, *Sæpenumero*, inquit, *miſerabilis hujus rei imaginem in pictura vidi, nec abſque lacrymis ſpectaculum præterii, adeò perſpicuè atque evidenter ars pingendi oculis rem geſtam ſubjecit*. Ita alibi ædem Theodori Martyris nomine dictam deſcribens; *Quod ſiquis venerit*, inquit, *ad aliquem locum ſimilem huic, ubi hodie noſter conventus habetur, ubi memoria juſti, ſanctæque reliquiæ ſunt; primùm quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dum ædem, ut templum* Dei, *& magnitudine ſtructuræ, & adjecti ornatus decore ſplendidè elaboratum intuetur; ubi & faber in animalium figuram lignum formavit, & latomus ad argenti lævitatem cruſtas lapideas expolivit; induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacem, beatiſſimam conſummationem athletæ,*

Greg. Nyſſ. orat. de Deit. Fil. & Sp. S. T. 2.

Id. T. 2. orat. in Theod. Mart.

athletæ, certaminum præsidis Christi humanæ formæ effigiem, omnia nobis, tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens, certamina atque labores martyris nobis expreßit; ac tamquam pratum amœnum, & floridum, templum exornavit. Hactenus Gregorius, satis docens Cappadocas & vicinos Ponticos, primos ex Christianis imagines in Ecclesias admisisse; quos in hac occasione verisimile est Gregorii, Neocæsariensis in eadem olim diœcesi episcopi, methodum sequutos, hunc Ethnicorum usum, ritumque in Christianam religionem transtulisse, quo facilius homines à Gentili superstitione ad Christi fidem traducerentur. Idem enim ille Nyssenus, cujus locum nuper recitavimus, alibi refert Gregorium Neocæsariensem Paganis recens ad Dominum conversis permisisse, *ut in memoriis Sanctorum martyrum se se exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur, ut ita quod præcipuum est, in iis assequeretur, nimirum ut vanis superstitionibus relictis ad Deum converterentur, quod animadvertisset propter corporis maximè voluptates simplex & imperitum vulgus in idololatria hærere:* consilio in speciem utili, & prudenti; cæterùm (quod eventus satis superque docuit) periculosissimo, atque

Id. orat. de vit. S. Greg. Thaumat.

T fune-

funestissimo. Facile ergo crediderim Cappadocas, & Ponticos (apud quos Gregorii memoriam carissimam, atque sanctissimam fuisse constat) hoc ejus exemplo adductos existimasse operæ pretium se facturos, si hunc quoque Paganorum usum imitarentur, & quemadmodum hi Deorum simulacris templa decorabant, si etiam ipsi Sanctorum, & Martyrum imaginibus Ecclesias exornarent. Vtcumque sit, sive hæc illos ratio, sive alia aliqua nobis ignota impulerit, primi inter veteris memoriæ Christianos videntur fuisse, qui imagines in Ecclesias cum laude & commendatione receperint. Eo minùs mirandum est, quod alii ejusdem vel provinciæ, vel diœceseos episcopi in eumdem quoque modum de imaginibus scripserint, ut exempli gratiâ Heraclides Nyssenus, & Asterius Amariensis episcopi. Et Heraclidis quidem ipsa verba desiderantur; Tantum ex Photio discimus, duas fuisse istius epistolas, *in quarum altera*, inquit, *sententia inerat de venerandarum imaginum antiquitate*; id enim hoc loco significat χρῆσις, non autem usum, quod ridiculè putavit Perronius, pudendâ sane, etiam in tirone, ne dum in tanto magistro ignorantiâ. Asterii verò locus extat integer in Actis

Phot. Bibl. cod. 52.

Du Perron Act. de la Conf. de Font. fol. 97.

Actis VII. Synodi, quo Sanctæ Euphemiæ historiam in velo à pictore expressam ait, & circa sepulcrum ad sacrum spectaculum positam; ipseque operis argumentum exsequitur, tam molli, tamque eleganti, tamque (ut sic dicam) picturatâ oratione, ut non dubitem, quin stili industriâ pictoris illius (quisquis fuit) artem longè superaverit. Quamquam verò hæc nos dubitare non sinunt, quin jam tum in illis provinciis imaginibus exornari cepissent martyrum memoriæ, idem tamen ille Asterius alio loco (qui in eadem Synodo habetur) satis docet, non admodum sibi placere hunc usum, seque ab eorum sensu, atque opinione vehementer abhorrere, qui pietatis partem in imaginum cultu ac veneratione sitam esse putant, *Noli*, inquit, *pingere Christum in vestimentis, sed potius horum sumptus pauperibus eroga.* Mox: *Sufficit enim ei una incorporationis humilitas.* Scio à Bellarmino, & aliis duorum præterea Cappadocum testimonia huc afferri, Gregorii nimirum, & Basilii, cujus Nyssenus frater fuit natu minor. Sed quæ ex istis adducuntur, ea non videntur ad hanc causam pertinere. Basilii quidem locus ex homiliâ in S. Barlaam descriptus sic habet: *Exsurgite nunc, ô præclari athleticorum gestorum*

Synod. VII. Act. 6. p. 781.

Ib. p. 780.

Basil. T. 1. homil. in S. Bart. extr.

pictores; mutilam ducis imaginem vestro illustrate artificio, & obscurius à me depictum coronatum athletam vestræ industriæ coloribus conspicuum reddite. Discedam certaminum, ac victoriarum Martyris à vobis posita imagine victus; Gaudeam tali hodie per vestram dexteritatem victoria superatus. Videam manus hujus luctam cum igne exactiùs à vobis depictam; videam alacriorem pugilem per vestram depictum imaginem; plorent dæmones, & jam Martyris in nobis perculsi victoriis: ardens iterum illis, ac victrix manus ostentetur. Pingatur unà in tabula & certaminum agonotheta Christus. Hactenus Basilius. Sed quis non videt figuratam esse totam hanc orationem, quâ cæteros Ecclesiæ oratores ad dicendum, certatimque celebrandum Martyris agonem vir Sanctissimus invitat; hortaturque, ut in benigno argumento omnem vim artis profundant? denuncians nihil sibi accidere posse jucundius, quàm si suos omneis conatus illorum eloquentia, atque contentio superaverit? Nam solenni optimis scriptoribus allegoriâ oratores *pictorum* nomine intelligit; rhetorica dictionis ornamenta, aliosque orationis flosculos *coloribus* comparat; luculentam denique, ac copiosam, & omnibus facundiæ numeris absolutam ejus constantiæ, atque fortitudinis

tudinis laudationem, quâ Barlaamus susceptum pro fide certamen sustinuerat, martyris *iconem* appellat. Hanc translationem ipse alibi Basilius satis aperte explicat, cum quadraginta Martyres laudaturus, *illorum se fortia facta palam omnibus, tamquam in pictura, demonstraturum* pollicetur. *Nam* (inquit) *magnifica in bellis gesta, & oratores sæpenumero, & pictores pulcherrimè demonstrant; hi oratione; illi tabulis describentes, atque ornantes.* Ex quâ utriusque artis inter se similitudine factum est, ut picturæ & pictorum vocabula ad oratores, eorumque opera transferrentur. Quod si proprie dictos pictores in animo Basilius hic habuisset, nequaquam eos tam magnificis nominibus exornasset, *Exsurgite, ô* λαμπροὶ *illustres, splendidi athleticorum gestorum pictores*; neque *colores sapientiæ* dixisset σοφίας χρώματα, si qui in pictorum officinis miscentur eos intelligi voluisset. Tùm quid ineptius, aut importunius fingi potest, quàm ut Episcopus in frequentissimo Ecclesiæ conventu, abrupto institutæ homiliæ cursu, istos artifices repente alloquatur, eosque jubeat extemplo, & quidem eodem die Martyris certamen in tabulâ depingere? Hæc profectò adeo sunt absurda, ut causæ studio excæca-

Id. in 40. Martyr. init.

tum esse oporteat, qui non videt hîc Basilio non cum pictoribus, sed cum disertis viris fuisse negotium, quos ille, cum in suggestum quoque ascensuri, ac de eodem argumento dicturi essent, ad susceptum opus cohortatur, atque accendit; sanctè testans se minimè ipsis invidere, tam præclari certaminis præmium. Id ipsum prætereà luculentissimè confirmant hæc verba, quæ ante descriptum à nobis locum apud Basilium leguntur;

Id. in S. Barl.

Sed quid puerili balbutie victorem (inquit) *extenuo? Quin magnificentioribus laudem ipsius linguis cedamus. Sonantiores doctorum tubas ad illius præconia advocemus.* Denique ne ullus supersit dubitandi locus, Frontonem Ducæum, Iesuitam inter adversarios nobilem, his verbis eadem, quæ nos, in hunc locum confitentem, adducimus;

Front. Duc. Not. in Basil. p. 47.

Cùm solerent (inquit ille) *plures olim in eadem synaxi & collecta sermonem ad populum habere, ut in nostris, in Chrysostomi Panegyricos notis monuimus, eleganter usus tubicinum, & pictorum allegoria, cæteros post se dicturos invitat Basilius ad Martyris hujus laudes celebrandas.*

Jam sequitur nihilo in hanc causam efficacior Gregorii locus. Extat in epistolâ ad Olympium, quâ deplorat Gregorius Diocæsariensium gravem casum, quorum

rum ſtatuis, templo, urbi denique ipſi excidium ultimum parari audiebat. *Te moveat* (inquit) *noſtra canities, cui grave & acerbum fuerit, ſi magnam quondam urbem habentes nunc ne urbem quidem habeamus, ſed poſt imperium tuum inferarum luſtrum convertatur templum illud, quod extruximus, omneque noſtrum in eo exornando ſtudium. Neque enim ſi ſtatuæ dejiciantur, hoc grave & acerbum eſt, etiamſi alioqui acerbum, (nec de his nobis eſſe ſermonem arbitreris, qui in præſtantiora incumbimus) verum ſi urbs antiqua, & quæ aliquid eximii ac præclari tulit, unà cum illis corruat, nobis viventibus, ac videntibus, qui in honore apud te ſumus.* Ex his Diocæſareæ templum fuiſſe, Deo ſacrum, à Gregorio exſtructum, & ſtudiosè exornatum conſtat; In eadem urbe ſtatuas quoque exſtitiſſe; paratamque iſtis omnibus everſionem, atque cladem ægerrimè, ut par erat, tuliſſe ſanctiſſimum virum; Sed eas, de quibus loquitur, ſtatuas in templo fuiſſe, non conſtat. Quidni enim alibi in urbe fuerint? in foro, in palatio, in plateâ publicâ, quibus maximè locis ſtatuæ ad pompam, & decus conſtitui ſolent? Quin & ita fuiſſe videtur cùm has ſtatuas à templo, veluti res plane diverſi ordinis, diſtinxerit Gregorius. Nam ſibi grave & acerbum fore præfatus, ſi templum

Gregor. Naz. T. 1. ep. 49. ad Olymp.

eversum fuerit, atque vastatum subjicit. *Neque enim si statuæ dejiciantur hoc grave & acerbum est, etiamsi alioqui acerbum, nec de his nobis esse sermonem arbitreris, qui in præstantiora incumbimus;* quæ profectò numquam erat dicturus, si sacræ, si templi ipsius pars, & ornamenta fuissent hæ, de quibus intelligit, statuæ. Itaque verisimillimum videtur fuisse has procerum aliquot Diocæsariensium statuas, qui cùm in Imperatorem deliquissent, jussum esse Olympium Præfectum posita illis à suis civibus ornamenta evertere, urbemque ipsam eorum crimini permixtam, exscindere, atque diruere. Ea enim sunt Gregorii verba, quæ non obscurè innuunt, in illas statuas primùm ac propriè incubuisse eam procellam; eas afflictas & eversas urbem inde ipsam in eamdem ruinam traxisse; ἀλλ' εἰ συγκατενεχθήσεται τούτοις πόλις ἀρχαία: *Verum*, inquit, *si urbs antiqua unà cum illis corruat.* Cæterum quis sit istorum locorum sensus, nihil nostrâ interest, qui à Nysseno edocti fatemur jam tùm in nonnullis illius diœceseos Ecclesiis receptas fuisse imagines. Quamquam autem in aliis locis ferè obtineret prima simplicitas; (sicuti suprà Epiphanii exemplo didicimus, qui picturas, quas Nyssenus iisdem temporibus vivens

aut probat, aut videtur certè probare, in Ecclesiâ ferendas minimè existimavit,) apparet tamen usum imaginum eadem quoque tempestate in quibusdam Italiæ partibus receptum fuisse. Prudentius enim, non ignobilis poëta Christianus, hymno in Cassianum scribit Martyris passionem in ejusdem nominis Ecclesiâ depictam fuisse,

Erexi in cœlum faciem; stetit obvia contrà *Prudent. Hymn. 8.*
Fucis colorum picta imago Martyris.

Hippolyti quoque martyrium Romæ in ædis parietibus coloribus expressum fuisse idem alibi memorat. *Hym. 10.* Vnde constare potest, tum Romæ, tum in vicinis Italiæ provinciis jam ante quarti sæculi exitum imagines in Ecclesias admissas esse. Hæc nimirum ornamenta primi desiderarunt ii, apud quos opes, & luxus, cæteraque carnis, ac mundi copiæ plurimùm abundabant. Paulinus, Nolæ in Campaniâ episcopus, hæc exempla sequutus Fœlicis basilicas, atque ædes variis picturis exornavit, quas ipse exsequitur in eo opere, quod Fœlicis nomini dedicavit; ubi de tribus Basilicis verba faciens, hæc canit:

Martyribus mediam pictis pia nomina signant, *Paul. Nat. 7. Fœlic.*
Quos par in vario redimivit gloria sexu,

At geminas, quæ ſunt dextra, lævaque patentes
Binis hiſtoriis ornat pictura fidelis.
Vnam Sanctorum complent ſacra geſta virorum,
Iob, qui vulneribus tentatus, lumine Tobit.
Aſt aliam ſexus minor obtinet, inclyta Iudith,
Quâ ſimul & regina potens depingitur Eſter.

Sed non ſunt prætereundæ rationes, quibus ad id conſilii adductum ſe profitetur Paulinus, loco inprimis nobili, & jam ante octingentos annos, imperante Ludovico, à Dungalo quodam citato in opere de imaginibus contra Claudium Taurinenſem; *Bibl. Pp. T. 4. part. 2.*

Forte requiratur (inquit Paulinus) *quanam ratione gerendi*
Sederit hæc nobis ſententia pingere ſanctas
RARO more domos, animantibus aſsimilatis.
Accipite, & paucis tentabo exponere cauſas.
Quos agat huc ſancti Felicis gloria cætus,
Obſcurum nulli; ſed turba frequentior his eſt,
Ruſticitas non caſſa fide, neque docta legendi.
Hæc aſſueta diu ſacris ſervire profanis
Ventre Deo, tandem convertitur advena Chriſto
Dùm Sanctorum opera in Chriſto miratur aperta.

Cernite

Cernite quàm multi coeant ex omnibus agris
Quàmque piè rudibus decepti mentibus errent.
Longinquas liquére domos, sprevére pruinas
Non gelidi, fervente fide; & nunc ecce frequentes
Per totam, & vigiles extendunt gaudia noctem
Lætitia somnos, tenebras funalibus arcent.

Tum:

Propterea visum nobis opus utile, totis
Fœlicis domibus picturâ ludere sancta.
Si fortè attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus umbra.

Mox:

Dum fallit pictura famem, sanctasque legenti
Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis; potatur hianti
Sobrietas; nimii subeunt oblivia vini.
Dumque diem ducunt spatio majore tuentes,
Pocula rarescunt; quia per miracula tracto
Tempore, jam paucæ superant epulantibus horæ.

Atque hic Lectorem rogo, ut hunc Paulini locum paulò attentiùs considerare velit. Is enim hujusmodi est, qui vel solus totam hanc disputationem patefacere, atque illustrare possit. Ac Primùm quidem apparet Paulini temporibus (hoc est

est jam ineunte quinto à Christi natalibus sæculo) *rarum* adhuc in Italia fuisse *morem pingendi sanctas*, ut ille loquitur, *domos*, id est Ecclesias, aliasque sacras, & religionis usu dicatas ædes. Hæc & disertis verbis dicit, & eo ipso abundè docet, quod consilium suum purgare, ac tueri satagit, ejus causis in medium allatis; quâ admonitione atque defensione nihil opus erat, si usus iste vel ab Apostolis traditus, vel ubique ab Ecclesiâ receptus fuisset. Sed cùm intelligeret Paulinus imagines, quod neque verbo divino præceptæ, aut institutæ essent, neque à Christianis multùm frequentatæ, facilè nonnullis mirandi, & reprehendendi occasionem præbituras, istis occurrendum putavit, adductis rationibus, quibus commotus id consilium, præter communem cæterorum usum, ac morem, ceperit. Secundò observandum est Paulinum in explicandis hujus sui instituti caussis, nihil de imaginum veneratione dicere; fidelium tantùm, eorumque rudiorum, nimirùm agrestium, & rusticorum hominum, oblectationem, atq; instructionem commemorare. Denique his etiam confirmatur, quod in superioribus diximus veri simile videri Cappadocas, & Ponticos ex Gregorii Neocæsariensis sententiâ imagines

imagines ideò in Ecclesias recepisse, quod ea ratione Paganos ad Christi fidem facilius traductum iri sperarent. Nam idem quoque Paulini fuit in pingendâ Fœlicis æde consilium. Atque hujusmodi fuere rationes, quibus in Ponto, & Cappadociâ, in Latio, Campaniâ, paucisque aliis provinciis permoti homines imaginum in Ecclesiis usum circa quarti sæculi exitum receperunt; non alio, ut apparet, consilio, quàm ut loca sacra exornarent, & ex infirmâ plebe rudiores, ac infirmiores quosque vel oblectarent, vel etiam instruerent, atque erudirent. Itaque frustrà sunt adversarii, qui hodie istorum exemplum afferunt, præter quorum mentem, atque consilium, imagines in Ecclesiis positas adorari insuper, & in religione coli volunt; qui proprie est hujus disputationis cardo. Non enim ex ipsis Protestantibus desunt, quibus nulla religio est picturas ad ornatum, & oblectationem, etiam in sacris ædibus habere; id modò contendentibus, nequis iis cultus, neque veneratio exhibeatur.

CAPVT V.

Solvuntur, quæ ex Paulino, Ambrosio, & Augustino afferuntur ad probandum veteres venerationem imaginibus exhibuisse.

QVod cùm ipsi adversarii animadverterent, sibi conscii nihil actum esse, nisi venerationem imaginibus à veteri Ecclesiâ delatam probent, id causæ necessitate coacti probandum suscipiunt; quantumvis appareat diversam fuisse & Paulini, & aliorum Patrum sententiam, ex iis, quæ & nuper hoc ipso in libro, & paulò ante in duobus superioribus à nobis disputata sunt. Itaque ut picturas, quas vocant, sacras jam ipsis Gregorii Nysseni temporibus eodem loco, & numero habitas fuisse efficiant, quo nunc habentur Romæ, corradunt aliqua scriptorum istius ævi loca, sed adeò infirma, & dubia, & ab eo, quod concludere cupiunt, aliena, ut talia objicere illos non minùs pudere debuerit, quàm nos referre & excutere piget. Principiò ergo eum ipsum, quem modo audivimus Paulinum adducunt, invitumque, ac reluctantem sibi testimonium dicere jubent. Nam is quo loco, quas paulò ante memoravimus Fœlicianæ ædis picturas, descripsit, continuò subjicit,

— *Sanctasque*

—Sanctasque feramur in aulas,
Miremurque sacras, veterum monumenta, figuras;

Vbi, ut obiter hoc dicam, Perronius nescio quâ de causâ *miremur* accipit pro *contemplemur*, præter vulgarem ac usitatum sermonis Latini morem. Hinc igitur adversarii concludunt Paulinum imagines adorasse. Sed apud quos Lexicographos *mirari* est *adorare*? Cum Poëta de Æneâ verba faciens, Carthaginenses tabulas, picturasque avidis oculis spectante, ait,

Artificumque manus inter se, operumque laborem *Æneid. 1.1.*
Miratur;

intelligit-ne adoratam ab heroë picturam? Nonne & nos, quos iconomachos vocant adversarii, quarum imaginum venerationem, & cultum exsecramur, earum ipsarum opus, artem, elegantiam miramur? At cùm sacras vocet figuras, inquit Bellarminus, *honorandas etiam docet. res enim sacræ omnes honorãdæ sunt.* Quo loco aut honorandas dum dicit, de religioso cultu, atque adoratione intelligit, aut nos ludit. Jam verò si eo sensu honorari debent quæcumque sunt sacra, ergo olim adoranda erat Aaronis, & cæterorum Pontificum tiara; adorandæ sacerdo-

Bell. de Imag. c. 12. §. Paulinus.

tum

tum veſtes; quæ paſſim *ſacra* & *ſancta* appellantur. Adorandæ nunc erunt Eccleſiarum valvæ, claves, ſeræ, feneſtræ, tum ligneæ, tum vitreæ; Adoranda quæcumque eodem referuntur; quippe quæ ſacra vulgò ab omnibus dicuntur. Quis non videt Paulinum *figuras iſtas ſacras* ideò vocare, quod loco ſacro, nimirum in Eccleſiâ eſſent poſitæ; tùm etiam, quod *ſancti* eſſent, quorum illæ imagines erant? Sed neque hic quæritur habuerit ne Paulinus figuras iſtas, quas ſacras nominat, aliquo in pretio, & numero; eaſne pluris fecerit, quàm profanas, aut vulgares, eaſne denique utiliùs & fieri & ſpectari putaverit, quàm cæteras diſſimilis argumenti. (nam ille ſanè ſi ſenſiſſet aliter, numquam iis, quod fecit, totam Fœlicis ædem repleviſſet.) Horum nihil venit in controverſiam. Longè aliud eſt, quod quæritur, nimirum an Paulinus ſacras illas, ut vocat, figuras, ſicuti nunc Romæ fit, coluerit, vel adoraverit, an apud eas nudato capite de geniculis ſupplicaverit; orationeſque intentis in eos oculis fuderit; an thura fumantia, an accenſos cereos iis obtulerit; an eas veſtitu, cultuque magnifico, auro & gemmis exornaverit? Hos imaginibus honores à Paulino delatos ex eo concludere, quod *ſacras*

illas

illas dixit, id verò ludere eſt, & nobiſcum, tamquam cum fungis, aut ſtipitibus agere. Nos quidem quoſvis Scripturarum codices *ſacros* paſſim dicimus; ſuggeſtum, è quo prædicatur Chriſti evangelium, ſacrum quoque nominamus, neque aliter de iis loquimur, quorumcumque aliquis eſt in religione uſus; Num idcircò quem Chriſti, & Sanctorum imaginibus cultum, atque honorem exhibent, eumdem iſtis quoque exhibendum cenſuerint adverſarii?

Huc quoque afferunt, quæ Chryſoſtomi nomine circumfertur, Liturgiam; in qua ſacerdos dicitur *ad imaginem Chriſti caput inclinare*. Sed hæc neque in Claudii de Saintes, neque in Morelli editione uſquam comparent. Neque ullum ferè eſt veterum opuſculum, cujus inter exemplaria tanta ſit diverſitas, quanta in iſtius Liturgiæ codicibus reperitur. Pelargus fatetur exemplar ſuum, nec cum Leonis Thuſci, nec cum Eraſmi exemplaribus convenire; teſtaturque ſe aliud quoddam Romæ vidiſſe, ab his omnibus diſcrepans. Claudius verò Eſpenſæus ait hanc Liturgiam, *ut à ſanctiſſimo Chryſoſtomo, cœptam & compoſitam, in multis pro temporum varietate inſitis ampliatam fuiſſe*. *Claud. Eſp. de Miſſa privat. p. 220.* Quod quàm verè ab Eſpenſæo ſit affirmatum,

matum, ſatis apparet ex iis, quorum nomina in mortuorum commemoratione ibi recitantur. Sunt enim inter eos nonnulli, qui poſt ipſius Chryſoſtomi mortem vixerunt; ut Cyrillus, Euthymius, Sabas, Joannes eleëmoſynarius; quorum primus annis poſt Chryſoſtomum xxxvii. ſecundus lxvi. tertius cxxvi. quartus ccxiii. deceſſerunt. Hujuſmodi enim opuſcula, quæ ſunt in publico Eccleſiæ uſu, multis variiſque modis immutata, & interpolata fuiſſe conſtat, cum iis diverſa, ac inter ſe nonnumquam pugnantia diverſi ſubinde auctores pro vario pietatis affectu, proque ſuo cujuſque ſæculi guſtu, ſenſu, ac more addiderint, ut eſt ab Andrea Maſio, viro inter adverſarios eruditiſſimo, præfatione in Baſilii Anaphoram obſervatum. Fruſtra ergo hic Chryſoſtomi nomen obtenditur, cum palàm ſit ea quæ afferuntur verba, ſi quibus in exemplaribus extent, in ea inſulta fuiſſe, ſequutis poſt Chryſoſtomi mortem temporibus, cùm jam in Eccleſiam invectus eſſet imaginum cultus. Quod ſi hęc Chryſoſtomi Liturgia accuratè cum Germani Commentariis comparetur, liquebit eam inchoandam eſſe aliquot poſt illa adducta verba pagellis, ut vel hinc appareat falſa illa & fictitia eſſe.

Nihilo

Nihilo verior, aut certior est is locus, quem ex nescioquâ Basilii nomen præferente ad Julianum epistolâ adducunt; quo vir sanctissimus ita loqui fingitur; *Suscipio verò & sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, qui ad Deum deprecationem faciunt*; &c. *pro quo, & figuras imaginum eorum honoro, & adoro, & veneror specialiter* (Græcus codex habet φανερῶς *palam*) *Hoc enim traditum est à sanctis Apostolis, nec est prohibendum.* Hæc enim non esse Basilii, præter ipsam dictionis insolentiam, atque absurditatem, à nitore & puritate gravissimi scriptoris, plurimùm abhorrentem, multa alia sunt, quæ doceant; Ac primùm quidem, quod ista epistola in nullo veteri Basilianorum operum, vel manuscripto, vel typis excuso exemplari, reperitur; tum quod hæc nusquam (quantum ego quidem memini) vel à Joanne Damasceno, vel à Germano, Constantinopolitano episcopo, in hac caussa allata sunt, Græcorum eruditissimis, & eorum, qui imaginum venerationem defenderunt, facile principibus; quod argumento est ea verba in Basilii veris & genuinis operibus non magis istorum, quam Patrum nostrorum temporibus exstitisse. Vnus illa commemorat Adrianus Papa, in epistolâ ad Im-

Syn. 7. Act. 2. peratores, in ſeptimâ Synodo, cujus viri notiſſimum eſt in hanc cauſam ſtudium. Adrianus enim iſte eſt, qui Nicænam Synodum, in quâ decreta eſt, & ſancita imaginum veneratio, unus omnium ſuâ auctoritate & promovit, & confirmavit maximè; qui cùm id decretum à Synodo Francofordienſi, Caroli Magni nutu, atque auſpiciis, ſugillatum & repudiatum videret, errorem obſtinato animo acerrimè defendit, etiam ſcripto in id argumentum ad Carolum volumine; in quo, non pauca partim evidenter falſa, partim incerta ac dubia, nullâ religione, ſolâ vincendi libidine adducit; ut eſt à nobis in ſuperioribus jam obſervatum. Hic eſt ſcilicet cujus unius fidem omnibus Baſilii antiquis anteferamus; cujus auctoritate commendatis teſtibus incunctanter credamus. Sed tametſi nulla extarent tanti ejus, tamque impotentis in hanc cauſam ſtudii argumenta, quis tamen crediderit hominem Latinum, & (quod ex ejus ſcriptis apparet) antiquitatis Eccleſiaſticæ non admodum peritum ea in Baſilii operibus vidiſſe, ac deprehendiſſe, quæ Germanum, & Damaſcenum fugerant? viros omnium, qui illo ſæculo floruiſſe feruntur, longè doctiſſimos, & in omni litterarum genere, maximè verò

in Græcorum Patrum monumentis, verſatiſſimos? Quæ cùm ita ſint, dubitandum non videtur, quin ſit falſum, id quod allatum eſt, teſtimonium, & ab ipſo illo, qui primus eo uſus eſt, Adriano audacter affictum Baſilio; cujus generis plurima occurrunt in ſeptimâ Synodo à bonis illis, verecundiſque Patribus eodem in hanc cauſam pudore, eademque fide laudata, ut videre eſt ex iis, quæ jam antea collegimus, exemplis. Noſtras quidem Perronius nonnullo, ut videtur, pudore deterritus, inter plurima, quæ in hac diſputatione nobis ex Patribus objicit, hunc Baſilii locum omiſit; quem tamen, ſi verum ac indubitatum cenſuiſſet, omiſſurus profectò non fuit; quippe qui unus multò ſit reliquis omnibus pro adverſariorum causâ potior, ac diſertior. Quo magis cogor eorum, qui ultimam Baſilianorum operum editionem Lutetiæ nuper procurarunt, fidem atque æquitatem deſiderare. Illi enim cum hæc ignorare vix poſſent, certè non deberent, non dubitarunt tamen ſpurium iſtum, dubiiſque parentibus prognatum fœtum inter vera, & genuina Baſilii opera recenſere, atque excudere, & quidem nullâ adjectâ notâ, nullâ admonitione; ex quâ vel obſcurè intelligi poſſet non eam-

Refut. du diſc. de Conf. de Font.

dem ejus esse, quæ cæterorum est, auctoritatem.

Bell. de Imag. c. 12. §. Ambr. In hanc etiam disputationem à Bellarmino trahitur, quod alicubi scribit Ambrosius, pauperum curam eo nobis commendans, quod sint illi Dei totidem veluti imagines, *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; & qui statuam contempsit Imperatoris, Imperatori utique fecisse videtur injuriam.* *Ambr. serm. 10. in Ps. 18.* Sed ubi erat Bellarmini animus, cùm indè concluderet Sanctorum imaginibus delatum ab Ambrosio religiosum aliquem cultum? Atqui nihil ille hujusmodi; nihil quod non nos quoque, hostes illi imaginum, quotidie usurpemus; nimirum cùm homo sit Dei & imago, & opus, Dei in homine majestatem vel honorari, vel violari. Nihil hæc imago. quam intelligit Ambrosius, cum iis commune habet, de quibus concludunt adversarii. Illa vivit, sensu & ratione prædita; hæ frigidæ, omnisque vitæ & animæ expertes jacent. Illam à Domino institutam, conditam, ac fictam constat; has Dominus neque fecit, neque verò fieri præcepit. Quod in illam à nobis officium exigit Ambrosius, nimirum ut opis nostræ egentem juvemus, & solemur, id inquam à Domino ipso disertissimis

mis ac luculentissimis verbis edictum, & sancitum est, latâ in eos, qui secus faxint, gravissimâ pœnâ. Qui verò harum cultus ab adversariis urgetur, eum nusquam omnino in Scripturis, vel à Domino ipso, vel à sanctissimis Apostolis præcipi, vel commendari scimus. Eo fit, ut Cæsareæ imaginis allata ab Ambrosio similitudo, id ad quod allata est, aptissimè adumbret; cùm sit ea imago hujusmodi, quam à Principe institutam, & approbatam fuisse constat, & eo quidem consilio, ut in eâ, velut in signo & monumento quodam, ipsius persona, atque majestas conspicienda proponatur. Sanctorum verò imaginibus nullam planè hæc comparatio venerationem, vel auctoritatem conciliat; quippe quas neque Deus in Scripturis, neque Sancti ipsi usquam instituisse, vel approbasse comperiuntur. Quod si hæc valet adversariorum argumentatio, cùm illi sentiant imagini cultum hujusmodi exhibendum esse, qui analogiâ quadam ad eam cultûs speciem pertineat, qui ipsius debetur exemplari; profectò confitendum est, ex eo quod pauperes totidem sunt Dei imagines; illud quoque ex Ambrosio consequens esse, ut eos analogicâ quadam latriâ adoremus, ad eum cultum reducendâ, quo

Deum optimum maximum proſequimur, ejuſdemque omninò generis cujus illa eſt adoratio, quam Chriſti, & Trinitatis imaginibus decernunt; quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt. Itaque clarum eſt, ne Sanctorum quidem imagines adorandas ex iis conſequens eſſe, quæ ſunt hoc loco ſcripta ab Ambroſio. Quod ſi vel maximè conſequens eſſet, non eo tamen fieret, ut ſic ſenſiſſe ipſe etiam Ambroſius cenſendus eſſet, cùm qui theſin aliquam ponunt, atque tuentur, ii non raro quæ legitimè ex eâ conſequuntur, aut non videant, aut certè non admittant. Quacumque ergo ratione intelligatur, ac tractetur locus ille Ambroſianus, palam eſt eo nequaquam adjuvari, vel levari poſſe adverſariorum cauſam.

Neque verò minorem Auguſtino faciunt injuriam, dùm hæc ejus de ſignis verba ad hanc diſputationem obtorto collo, ut ſic dicam, trahant. *Sed quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tamquam religioſa, poſſunt habere; ſtuporem, tanquam mira, non poſſunt.* Quicquamne eſt neceſſitate, & deſperatione ſolertius, quæ tantum iſtis ingenii, tantùm acuminis dedit, ut ex tali loco imaginum adorationem extundere quiverint?

Aug. l. 3. de Trin. c. 10.

rint? Hac quidem ratione facile è pumice aquam, facile ex flamma victum expresserint. De iis signis loquitur Augustinus, quæ sunt ad religionis usum à Domino instituta, cujus generis fuit serpens æneus, quo Christum olim figuratum scimus; qualia item sunt illa aquæ, panis, & vini sacramenta, quibus tùm Sancti Spiritûs gratiam, tùm corporis & sanguinis sui vim Dominus sub novo fœdere repræsentat. Indè efficit Bellarminus, Sanctorum imaginibus delatam fuisse ab Augustino religiosam aliquam venerationem. Hîc ego primùm quæro, ubinam istas, quas tanti faciunt, Sanctorum imagines, Augustinus inter illa, de quibus hîc loquitur, signa divinitùs in religione instituta numeraverit, iisque sacrum aliquid, & mysticum vel significandi, vel impertiendi vim tribuerit? Quod si Sanctorum imagines ab Augustino ponunt eo loco & numero habitas esse, non modò id ponunt, quod in quæstione, & controversiâ versatur; sed etiam illi scriptori ea tribuunt, quæ palàm cum ejus mente, ac sententiâ pugnant. Hic enim ille ipse est, qui alibi testatur nulla in Christianorum religione hujusmodi fuisse instrumenta, quæ os haberent, neque loquerentur; & nares, neque olfacerent;

quod utrumque cùm in Sanctorum imagines conveniat, quis non videt eas, ex Augustini quidem sententiâ, nullum inter Christianæ religionis media atque instrumenta locum habuisse? Tum & illud velim scire, ubinam docuerit Augustinus signis istis, quorum aliquis est in religione usus, cultum deferendum esse ei analogum, qui ipsorum exemplaribus, primariisque objectis debetur? æneo, verbi gratiâ, serpenti exhibendam fuisse latriam nescioquam analogicam, eo quod Christus, ad quem serpens referebatur, legitimâ & absolutâ latriâ sit adorandus? Quæ ergo ista est nova, & insolens adversariorum Dialectica, quæ quod probandum suscepit, id ipsum audacter sumit, & supponit? quæ postquam Augustino affinxit sua somnia, tùm denique quod libet ex iis colligit? Nemo scriptorum est, ne Calvino quidem excepto, ex quo non facile imaginum adorationem bello hoc artificio concluseris.

CAPUT VI.

Primus imaginum abusus, paulò ante quarti sæculi exitum, ab Augustino notatus, improbatus, & ab Ecclesiæ Catholicæ, cui falsò imputabatur, fide in privatos aliquot & imperitos homines conjectus.

Hæc sunt, quæ ex quarti sæculi scriptoribus ab adversariis objiciuntur, planè futilia, & à præsenti causâ aliena. Vnde videre est, non aliò eos spectasse, qui paulò ante initium quinti sæculi picturas in nonnullas Christianorum ædes introduxerant, quàm ut loca sacra exornarentur, & rudiorum oblectationi, atque instructioni hac ratione consuleretur, quod suprà disertè profitentem Paulinum audivimus. Sed eheu! quanta est cogitationum humanarum vanitas! Quamquam non alius esset istorum animus, res tamen intra eos fines nequaquam stetit. Consilium primò in speciem utile, mox in periculosissimum abusum exiit; & quæ in loca sacra ideò receptæ erant imagines, ut Pagani ad Christianam fidem faciliùs, objectâ veluti hâc escâ allicerentur, eæ ipsos Christianos in Paganorum superstitiones abduxerunt. Quæ pestis hoc institutum adeò celeriter corripuit, ut qui nascentem in Italiâ hunc usum spectare potuit Augustinus, eum ipse jam

dege-

degenerantem, & in tætrum errorem ſublapſum viderit, flagitioſâ quorumdam imperitiâ, qui imagines planè alio fine inſtitutas, ſuperſtitioſâ veneratione polluebant. Iſtorum crimen vir ſanctiſſimus libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ his verbis confitetur, ac damnat; *Nolite*, inquit, *mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeßionis ſuæ vim ſcientes, aut exhibentes. Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus deditι, ut obliti ſint, quicquid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulcrorum, & picturarum adoratores; novi multos eſſe, qui luxurioſißimè ſuper mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſe ipſos ſepeliant, & voracitates, ebrietateſque ſuas deputent religioni.* Hic Auguſtinus duo flagitia, quæ ipſius tempore, jam nonnullorum mores invaſerant, diſtinctè notat; alterum eorum, qui ad Chriſtianorum Martyrum ſepulcra fœdas Paganorum helluationes, atque compotationes imitabantur; eorum alterum, qui picturas adorabant. Vtroſque haud ſegniter damnat; *turbas imperitorum* appellans, & cum iis recenſens, qui *Chriſti nomen profitentes, profeßionis ſuæ vim aut neſciunt, aut certè non exhibent*; teſtatur que nihil ad Chriſtianam doctrinam iſtorum labes pertinere,

Aug. T. 1. l. 1. de mor. Eccl. Cath. c. 34.

nere, & iniquissimè facturos, siqui eas Christiano nomini imputaverint. Non potuit clariùs, aut disertius docere, siqui tum essent, qui imagines adorarent, eorum factum doctrinæ Ecclesiasticæ repugnasse, fuisseque quorundam duntaxat à communi & publicâ Christianorum fide privatam, ac singularem aberrationem. Bellarminus, vi veritatis undequaque urgente, ubi consistat, non habet; ancepsque consilii, modo huc, modo illuc confugit, & nodum, quem solvere non potest, ambiguis & incertis responsis eludere frustrà tentat. *Dico*, inquit, *primò fortè eum loqui de idolis gentium.* Itanè verò? Atqui *istos picturarum adoratores*, inter *Christiani nominis*, veræ adeò religionis, *professores* habet, ac recenset Augustinus. Qui verò idola Gentium adorant, eos omnis semper Ecclesia pro Christianismi desertoribus, apertisque fidei hostibus habuit. Tum gentilium picturarum adorationem quo colore, quâ specie Catholicis Manichæi imputassent, qui eam in omnibus libris passim apertissimè, atque disertissimè non modò damnabant, sed etiam abominabantur? Nulla ergo ratione fieri potest, ut idola gentium hic intellexerit Augustinus, quem palam est de hujusmodi superstitione loqui, quæ cum

Bell. de Im. c. 16. §. Ad locum Aug.

cùm Christianæ fidei, ac veritati repugnaret, nondum tamen ullo universali Ecclesiæ edicto singulariter, & nominatim proscripta, vel interdicta fuerat; adeo ut Catholicorum adversariis aliqua, saltem in speciem, causa esset expostulandi, atque Ecclesiam criminandi. Eam autem illis hoc loco sic eripit Augustinus, ut testetur id privatum esse paucorum hominum crimen, non publicum universalis Ecclesiæ institutum; quod nisi de iis, qui Sanctorum picturas adorabant, intelligi non potest. Id ipse Bellarminus videtur agnovisse. Nam primæ illi responsioni diffidens, subjicit, Augustinum *fortè loqui de quibusdam, qui imagines Sanctorum superstitiosè colebant, ita ut accederent ad idololatriam*. Nihil opus erat orationem suspendere ex ancipiti illo adverbio *forte*. De his ipsis, non *fortè*, sed certò & indubitatò loquitur Augustinus. Hi verò quinam, qualesve fuerint, operæ pretium est intelligere. Nam Bellarmino quidem Sanctorum imagines superstitiosè non colunt, qui eas in Ecclesiis solenniter celso, & conspicuo loco ponunt, dedicant, salutant, religiosoque cultu afficiunt, qui apud eas supplices & venerabundi, flexis genibus, nudatoque capite precantur; qui eas cereo-

Ibid.

rum

rum lumine, thurumque odoribus honorant; qui ſtatis diebus magnâ pompâ publicè geſtatas circumvehunt; qui loca, quibus conſecratæ ſunt, longinquis peregrinationibus adeunt; hæc omnia qui facit, eum Bellarminus nullius in imagines ſuperſtitionis reum exiſtimat. Quin imò neminem tum fuiſſe putat verè Catholicum, qui non hæc aut faceret ipſe, aut ab aliis fieri gauderet; ut his nihil commune fuerit cum iſtis picturarum adoratoribus, quos tam graviter, tamque acerbè explodit Auguſtinus. Enimverò omnis hæc Bellarmini reſponſio vana eſt, & inanis; ab iſto ad libidinem ficta, non ullâ verâ, & ſolidâ ratione nixa. Nam nondum, quod ſciam, demonſtratum eſt ab adverſariis, quem ipſi imaginibus deferunt cultum, eum vel ſuperſtitioſum non eſſe, vel jam Auguſtini temporibus publicè in Eccleſiâ receptum fuiſſe. Secundò. Si *picturarum adoratores* non ſunt, qui eas, quo dixi ritu, id eſt Romano, adorant, quæro quinam tandem ſint iſti *picturarum adoratores*, quos ſcriptor ille ſanctiſſimus ex verorum, & genuinorum Chriſtianorum numero excludit. Reſpondet Bellarminus eos eſſe, *qui imagines, quaſi Deos, adorant*. Sed nihilo nos facit doctiores hæc Cardinalis definitio. *Ibid.*

Nam

Nam quæ ſuperiora verba involvebat ambiguitas, eadem hic quoque recurrit. Iterum igitur interrogo, quid hæc ſibi velint, iſtos quicumque tandem fuerint Chriſtianos, *imagines quaſi Deos adoraſſe.* Hiccine eſt eorum ſenſus, credidiſſe iſtos mutas illas, & inanimatas effigies, quas oculis, cæteriſque ſenſibus uſurpabant, verè numina fuiſſe, naturaſque æternas, infinitâ quadam ſapientiâ, atque potentiâ præditas, quæ cœlos, quæ terras, quæ reliquas univerſi partes, & condidiſſent initiò, & nunc etiam regerent, ac gubernarent? iiſque ſecundum hanc fidem ſummum illum, ſoli divinitati debitum cultum, (quem vulgò adverſarii *latriam* vocant) ex animo exhibuiſſe? Sed cui fiet veriſimile, hominibus Chriſtianis, veramque religionem profeſſis, non venire tantum in mentem, ſed etiam animo inſidere potuiſſe tam craſſam, tamque belluinam imaginationem? quam ipſi etiam Pagani longe à ſe amoliti ſunt, imaginem à numine, materiam idoli ab ejuſdem objecto, & exemplari callidè (ut ſuprà demonſtravimus) diſtinguentes? Si verò *eos imagines, quaſi Deos, adorare* intelligunt, qui imaginibus religioſum cultum exhibent ei ſimilem, quo Pagani ſuos olim Deos proſequutas fuiſſe accepimus: quis

quis non istius, quodcumque tandem est, criminis ipsos etiam reos esse videt, quorum in Sanctorum imagines cultus, actus, honores, eorum (maximâ quidem ex parte) gemini sunt, quos olim supersti- tio Diis suis exhibebat? Denique si hæc erat, quam volunt, Augustini mens; cur eam clarè & disertè non est elocutus? Cur tam ineptâ voce usus est, quæ nimio significationis ambitu insontes cum sontibus, veros Catholicos cum superstitiosis pariter involvebat? Nam si temporum illorum Ecclesia, quod Nicæna postea Synodus decrevit, id jam tùm servabat, ut Christi, Sanctorumque imagines adoraret; Si quod illius Synodi Patres, id ipsum verè edicebat, *Anathema, his qui non adorant venerabiles imagines; His qui non docent diligenter cunctum Christi amatorem populum adorare venerabileis imagines, sacras, & adorandas omnium Sanctorum, qui à sæculo Deo placuerunt, anathema. Imaginales formationes dispensationis Domini nostri Iesu Christi, Dei genitricis V. Mariæ, ac Angelorum, & omnium Sanctorum adorandas & osculandas constat; & quisquis sic se non habuerit, sed dubitaverit vel etiam elanguerit erga venerabilium imaginum adorationem, hunc anathematizat nostra Synodus.* Si hi, inquam, erant Augustini sæculo Ecclesiæ

Syn. 7. Act. 1. p. 531. ult. edit. Par.

Ibid. Act. 7. ep. Synodi ad Imp. p. 834. e. f.

ſenſus, ſi hæ Catholicorum voces, quis non videt omneis illius ævi homines verè Chriſtianos, *picturarum* fuiſſe *adoratores?* quibus verò eas adorare religio erat, eos extra communionem Eccleſiæ, ac ſolo nomine Chriſtianos fuiſſe? Si verò ita ſe ſe res habuit, ubi erat Auguſtini animus, cùm *picturarum* adoratores, *imperitorum turbas* vocaret, eoſque tamquam Chriſtiani nominis maculas, ac labes cum iis cenſeret, qui *profeſſionis Chriſtianæ vim aut neſciunt, aut non exhibent?* Baſilius, firmiſſima, atque illuſtriſſima illius, quæ tum florebat Eccleſiæ, columna, clariſſimâ voce (ſi adverſariis credimus) clamabat, *Chriſti, B. Virginis, Apoſtolorum, Prophetarum, & Martyrum figuras imaginum honoro, & adoro, & veneror palam; hoc enim traditum eſt à ſanctis Apoſtolis, nec eſt prohibendum;*

Syn. 7. Act. 2.

Idem Romæ epiſcopus, idem cæteri Eccleſiæ tùm Orientalis, tùm Occidentalis præſules; (ſiquidem adverſariis fidem habendam putamus) illo ipſo tempore & ſentiebant, & faciebant. Et tamen ſic deſipuerit Auguſtinus, ut Romæ, in eadem illa urbe, in quâ iſta ſcilicet publicè, & docebantur, & fiebant, ſcribere auſus ſit *picturarum adoratores*, homines imperitos fuiſſe, qui præter nudum nomen, ſimplicemque profeſſionem

nem nihil Christiani, nihil Catholici habuerint? Ii quibuscum hic disputat, Manichæi quas turbas daturi erant, si caussam tam flagitiosè ab eo prodi animadvertissent? Quid tu nos vetas picturarum adorationem Catholicis objicere, quam vos palam, & docetis, & exercetis? Imagines illæ, quas Basilius, Ecclesiarum vestrarum columen, quas Damasus, episcoporum vestrorum caput, quas alii omnes, adorant, annon picturæ sunt? Quâ ergo fronte, aut ex vestrorum Catholicorum numero picturarum adoratores expungis? aut tamquam privatum quorundum factum condemnas, quod isti velut ab Apostolis omni Ecclesiæ traditum defendunt? Si Basilius, si Damasus, si alii imperiti sunt, si professione tenus Christiani, quinam ergo tandem isti sunt, quos tu nobis narras verè Catholicos, tanti nominis gloriâ dignos? Sane si, quam volunt adversarii, ea tum fuit Ecclesiæ fides, praxis, & disciplina, Augustinus ne huic justissimæ Manichæorum expostulationi, atque criminationi locum daret, illos, quos tam acerbè exagitat, *picturarum adoratores*, vel planè omittere, vel defendere potiùs, quàm damnare debuit; chimæricosque istos, (quos nimio causæ studio Bellarminus fingit)

 idolo-

idololatras, ſiqui tum uſpiam fuiſſent apud Chriſtianos, accuratè notare, ac deſcribere, iiſque coloribus depingere, qui eos à veris Catholicis clarè, ac certò diſcernerent. Atqui nihil ille hujuſmodi, vel hic, vel alibi uſquam feciſſe reperitur. Illos enim *picturarum adoratores* ſimpliciter appellat; quod nomen, ſecundum adverſariorum placita, atque hypotheſes, omnibus qui tum fuerunt, veris ac genuinis Catholicis conveniſſe palam eſt. Quid ergo reliquum eſt, ſi Auguſtino prudentiam, ſi ſanctitatem, atque caritatem ſalvam eſſe volumus, niſi ut confiteamur nullos tum Baſilios, nullos Damaſos, nullos Eccleſiæ Catholicæ veros, ac probatos magiſtros fuiſſe, qui imagines vel adorarent ipſi, vel adorandas ab Apoſtolis traditum eſſe docerent? privatumque totum id fuiſſe quorumdam modò ex plebe imperitorum delictum, qui ex propriæ ſuperſtitionis libidine jam tum ſub nomine Chriſtiano eos cultus meditabantur, atque exercebant, qui inſequutis demum ſæculis lege publicâ recepti, & ſancti fuêre? Bellarminus, qui ſatis ſciebat non alios, quàm iſtos ab Auguſtino peti, tandem id ipſe nobis, quamquam invitus, concedit; ſed, ut erat acutus, ſtrophâ quadam hoc loco utitur, quâ
vix

vix ulla fingi poteſt urbanior, aut elegantior. Auguſtino enim, quem in hoc ſuo de *picturarum adoratoribus* judicio hallucinatum eſſe ſupponit, peccatum clementer condonat, hominis nondum ſatis in Chriſtianâ religione inſtituti novitatem & rudimenta excuſans, *quod hunc librum ſcripſerit in primordiis converſionis ſuæ ad fidem Catholicam*; & tamquam ex tripode pronuncians poſteà meliùs inſtructum ſententiam mutaſſe, quoſque ritus idololatriam ſapere initiò putaverat eos poſtea ipſum ab idololatriâ excuſaviſſe. Fateor magnam Bellarmino, magnam cæteris adverſariis ab Auguſtino, aliiſque Patribus gratiam deberi, quibus illi tam benignè ea ipſa condonant, quæ in nobis tam rigidè, tamque acerbè vindicanda exiſtimant. Nam quod nunc in Auguſtino tam clementer ferunt, atque excuſant, ob id ipſum adverſarii diro anathematis fulmine in nos quotidie ſæviunt; nempe quod picturarum adoratores ſuperſtitionis, atque imperitiæ arguamus. Verùm cùm hic non de jure, ſed de facto quæratur, eoque inſtituta ſit omnis hæc à nobis diſputatio, ut ſimpliciter inveſtigemus, nùm imagines adoraverit vetus Eccleſia, non verò meritone an ſecus adoraverit, vel non adoraverit; veniam dabit Bellarminus,

Bell. ubi ſupra. §. Dico tertio.

minus, si Augustino ipsis illis temporibus viventi fidem potiùs habendam censeamus, quam ipsi M C LX annis pòst nato. Nam si quæ tum erat Ecclesia Sanctorum imagines, quod volunt adversarii, palam adorabat; si hunc usum, tamquam ab Apostolis traditum, servabat; id profectò ignorare non potuit Augustinus; quod tamen si scivisset, nequaquam eum verisimile est, aut Ecclesiæ catholicæ communionem professurum fuisse, quippe qui tum (etiam fatente adversario) cultum hunc superstitiosum, & illicitum esse, atque idololatriam sapere, existimaret; aut rem totam subdolè ac vafrè dissimulaturum fuisse, & in privatos nescio quos, imperitos & superstitiosulos homunciones, falsò rejecturum. Ac ut paucis absolvam, picturas ab Eccesiâ adoratas, vel scivit Augustinus, vel nescivit. Si nescivit, neque id tum ab Ecclesia fiebat; quippe quod si publice ac palam (ut volunt adversarii) factum esset, nescire non poterat. Scivisse verò, quis affirmaverit, cum ipse neget, disertè illam picturarum adorationem quibusdam tantum imperitis, & solâ professione Christianis tribuens? Sed (inquit Bellarminus) neophytus erat, cùm ista scripsit Augustinus. Quasi verò Christianis neophytis

phytis mentiri fas sit; & in paucos imperitos per vafritiem conferre, quod à Christianis omnibus ex communi universalis Ecclesiæ sensu fieri probe sciant. Sed neque tùm Augustinus sacrarum, & Ecclesiasticarum rerum adeo ac isti fingunt imperitus fuit. Vir erat plenæ ac maturæ jam ætatis; quippe qui annum egressus esset tertium supra tricesimum. Annos non paucos de totâ hac Ecclesiæ causà deliberaverat: Ambrosii catecheses sedulò audiverat; Christianæ fidei abdita scrutatus, obscura ac difficilia rimatus fuerat; summos utrarumque partium viros, Catholicos inquam, & Manichæos, diligenter de singulis consulueratt; tandemque post hæc tam diuturna certamina Deo gloriam dederat, ejeratâque hæreseos perfidiâ ad Ecclesiam Catholicam sese aggregaverat; in omni doctrinâ Christianâ ita tritus, ac subactus, ut statim post conversionem libros ad defendendam hanc causam scriberet, quos inter isti sunt, de quibus nunc quæritur, adeò tersi, adeò fortes, & acuti, ut vix quicquam sit in tam multis sanctissimi viri operibus, quod iis jure anteponi queat. Quid autem de eo senserit illorum temporum Ecclesia, satis ipsa demonstravit, cùm presbyterii honore sta-

tim donatum, paulò poſt novo & inuſitato exemplo epiſcopum ordinavit, ante Valerii, cui ſucceſſurus erat, obitum. Quis crediderit talem, ac tantum virum, ejus Eccleſiæ, in quam tùm ingrediebatur, publicam, & univerſalem doctrinam ſuperſtitionis, imperitiæ, & erroris per ſummam contumeliam accuſaturum fuiſſe? Quis vero ipſam Eccleſiam, ſi id auſus eſſet Auguſtinus, laturam fuiſſe putaverit? quis non hominem ad retractandum errorem admonitionibus, atque cenſuris coacturam? quis denique tam malè de ſe merito, ſanctiſſimorum miniſteriorum apices, velut temeritatis mercedem, repenſuram fuiſſe? Atqui neque tum, neque umquam poſtea reprehenſum fuiſſe ab Eccleſiâ Auguſtinum, quod ita ſcripſiſſet, neque hunc ejus locum ullâ, vel cenſurâ, vel animadverſione notatum fuiſſe conſtat. Contrà verò certum eſt pauciſſimos exſtare, quorum opera majori favore, plauſu, atque admiratione apud Chriſtianos lecta, & celebrata fuerint. Quod verò videtur ſignificare Bellarminus Auguſtinum poſteà meliùs (ut loquitur) inſtructum ſententiam mutaſſe, id temerè & ſine ullâ probatione affirmatur, & ab omni veri ſpecie vehementer abhorret. Nam ſi ſententiam poſtea mutavit Auguſtinus, quid

quid ergo est, quod nihil ea de re nos monet priore Retractationum libro, quo istud de Ecclesiæ moribus opusculum disertè nominat, & quædam ex eo loca satis prolixè retractat, atque castigat? Sed neque eo loco, neque usquam alibi in tam multis, quæ etiam hodie exstant, operibus, suam hanc de picturarum adoratoribus sententiam retractasse, vel imaginum venerationi favisse deprehenditur. Contrà verò non pauca, quamquàm obiter & ex occasione, variis locis inspersit, quæ cum hoc ejus judicio planè consentiunt, ut videre est ex iis, quæ sunt in superioribus à nobis commemorata. Nil ergo prohibent adversariorum cavillationes, quo minùs id jam concludamus, quod initiò susceperamus probandum, Augustini temporibus picturarum adorationem à veris Catholicis pro errore, atque peccato fuisse habitam, & siqui nominis Christiani homines imagines tum adoraverunt, id non ex publicâ aliquâ, receptâque universalis Ecclesiæ aut lege, aut consuetudine fecisse, sed ex singulari superstitione, privatâque imperitiâ temerè usurpasse. *l. 1. Retr. c. 7.*

Caput VII.

Gliscit imaginum usus quinto sextoque sæculis. Errori duabus diversis rationibus occurrendum putant Serenus Massiliensis, & Gregorius Romanus Episcopi; ille quidem imagines è locis sacris amovendo; hic verò populum Christianum admonendo, ut ab earum adoratione caveat.

Sed neque infausta hæc picturarum primordia, neque Augustini judicium, neque Epiphanii auctoritas, neque alia hujus generis permulta unicuique per se obvia, homines deterrere potuerunt, quo minùs imaginum usus paulatim in omneis pænè Christianorum Ecclesias irreperet, sensimque confirmatus invalesceret, dùm optimi quique satis habent populum admonere eas, non ad venerationem, aut religiosum cultum, sed ad locorum ornatum, ad oculorum oblectationem, & rerum præteritarum memoriam, habendas esse. Nam in iis, quæ adulto jam quinto sæculo, & toto sexto labente scripta supersunt, crebra imaginum mentio occurrit, & quidem interdùm, (quamquàm rarius & seriùs) venerationis iis jam tum exhibitæ. Pauca è multis libabimus. Theodoretus anno circiter CCCCL. narrat de Symeone Stylitâ, *Ajunt* (inquit) *hunc virum in maxima Roma famosissimum fuisse, ut in omnibus erga-*

Theod. Hist. Asc. vita Sym. Syn. 7. Act. 4. p. 649.

steriorum (id est officinarum & tabernarum) *foribus, imagines ipsi breves erigerent, custodiam quamdam sibi ex hoc, & munimen acquirentes.* Sexto verò sæculo, gliscente in dies errore, eo tandem processit superstitio, ut in castra, & in medias acies deferrentur imagines, cœlo, ut credebatur, lapsæ. Sic enim narrat Theophylactus Simocatta, Philippicum Mauricii in Oriente imperantis generum, & legatum imaginem nescioquam minimè manu factam ferentē exercitum obivisse, lustrasse & sanctificasse; quo facto victores fuisse Romanos; ipsamque imaginem cum veneratione ad Symeonem Amidæ episcopum missam. Scribit etiam Priscum prolatâ eliphrephâ (sic enim appellat) imagine non manu factâ conatum mitigare, ac sedare exercitum tumultuantem. Idem libro quinto quamdam Beatæ Virginis imaginem memorat. Tum primùm nostris à Iudæis, Paganisque objici cœpta imaginum veneratio, inauditum prioribus sæculis crimen. Tradunt enim septimæ Synodi Patres, imperante Mauritio, id est anno æræ Christianæ circiter DXC. vixisse Leontium, Neapolitanum illum in Cypro episcopum, qui libro Apologiæ quinto Judæum inducit hæc Christianis exprobrantem. Ioannes verò ille

Theoph. Simoc. l. 2. apud Phot. cod. 65.

Ib. paulo post.

7. Syn. act. 5.

Ibid. ille Thessalonicensis, qui (ut est in Actis septimæ Synodi) Paganum faciebat eadem homini Christiano objicientem, multis etiam infra Mauricium annis floruit; quippe qui sextæ Synodi, anno Christi DCLXXXI habitæ, Actis subscripserit. Iisdem circiter temporibus vixisse *Ibid.* verisimile est illum Dialogistam, quem itidem testantur septimæ Synodi Patres in hoc quoque sudasse, ut contortum à Judæo idem telum depelleret. Neque dubito, quin ejusdem etiam sit fœturæ, quod Adrianus iisdem Hieronymi nescio cujus Hierosolymitani presbyteri nomine obtrudit, in hæc verba conceptum testimonium; *Sicut permisit Deus adorare omnem gentem manufacta, Iudæos autem voluit tabulas, quas dolavit Moyses, & duos Cherubim aureos; Sic & nobis Christianis donavit crucem, & bonarum operationum imagines pingere, & adorare, venerari, & demonstrare opus nostrum.* Hæc enim est, nova sanè & mirabilis (quis neget?) istorum hominum Theologia. Cùm malum sic in dies cresceret, ac serperet longiùs, pii haud dubiè gemebant; neque hanc Christiani nominis domi tam acerbam, foris tam invidiosam labem, sine summo animi dolore aut videbant, aut patiebantur. Sed dùm singuli meliora sperant; dùm tempus

Ib. Act. 2. ep. Adr. extr. addit. Gr.

tempus ipſum morbo per ſe mederi poſſe ſibi perſuadent; dùm verentur, ne ſi plæriſque invitis extortæ fuerint imagines, malum non tam ſanetur, quàm exacerbetur, dùmque ſe abunde officio functos putant, plebem admonendo de non adorandis picturis; error longè, latèque diſſeminatus altas in plurimorum paſſim Chriſtianorum animis radices egit. Cæterùm inter tam multos, vel ſuperſtitione victos, vel carnali prudentiâ torpentes, vir unus repertus eſt, qui divino zelo ſuccenſus publico errori contra ire, graſſantique per populos ſtragi obſiſtere non dubitavit. Is Serenus fuit, beatiſſimæ in Eccleſiâ memoriæ, Maſſilienſis in noſtris Galliis epiſcopus, qui cùm animo reputaret multò plus detrimenti, quàm utilitatis attuliſſe imagines, frangi eas, & ex omnibus ſuæ parœciæ Eccleſiis ejici juſſit; Ezechiæ prudentiam imitatus, qui ſerpentem æneum, quod eum Iſraëlitis ſcandalo eſſe animadverteret, everterat olim, & confregerat. Sed factum ſaluberrimum, cùm univerſi laudare, ac tamquam inſigne exemplum ſequi deberent, non modò plebs Maſſilienſis ægerrimè tulit, ſed plerique omnes, etiam epiſcopi, improbavêre. Gregorius Romanus, ex Pontificum ſolemni, ſæpeque ad amplificandam

plificandam ſedis dignitatem non inutili conſuetudine, cauſam hanc invadit, Serenum objurgat, quod fregerit imagines; rudioribus utiles, divinorumque codicum vicem iis eſſe obtendens, qui litteras neſciunt. *Et quidem zelum vos*, inquit, *nequid manu factum odorari poſſit, habuiſſe laudavimus; ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut ii, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas, & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & litterarum neſcii haberent, unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.* Sed cum Gregorius Serenum à ſuſceptâ ſententiâ dimovere non potuiſſet, octodecim poſt menſibus litteras rurſus ad eum ſcripſit, ejuſdem argumenti, quæ in eodem libro extant. Ab ipſo limine offenſum, & ſubiratum animum prodit; & quidem meritò, ſi res ex iſtorum ſententiâ ſpectetur, qui nullum eſſe putant gravius crimen, quàm tantæ ſedis majeſtatem aſpernari, ejuſve juſſa contemnere, vel etiam ſegniùs, atque cunctantiùs capeſſere: *Dic Frater*, inquit, *à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare,* *ne*

Greg. M.l.9. epiſt. Indict.2. ep.109.

Id.ib.ind.4. ep.9.

ne despectis aliis fratribus solum te sanctum, & esse crederes sapientem? Aliud enim est picturam adorare; aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere. Tum monet, quas turbas illud ejus facinus, in totâ Massiliensium Ecclesiâ excitasse dicatur; quod suos sic scandalizasse perhiberetur, ut maxima eorum pars ab ejus se communione suspenderet. Suadet, ut dispersos Ecclesiæ filios omni adnisu, omnique studio revocare festinet; doceatque se, quod imagines transisse in adorationem videret, idcirco commotum fuisse, ut eas frangi præciperet: picturas enim ad ædificationem imperiti populi factas fuisse, ut nescientes litteras ipsam historiam attendentes, discant quid actum sit. Gregorii hæc fuit de toto hoc negotio sententia. Saniora, & tutiora fuisse Sereni consilia eventus abundè comprobavit. Rationes verò, quæ quidem firmæ sint, nullas adducit Gregorius. Serenum rogat, à quo sacerdote simile quid unquam factum fuerit? Sed hæc probatio, & falsum supponit, & malè colligit. Quod enim tum in Galliis fecit Serenus, id ipsum ducentis ante Gregorii episcopatum annis in Palæstinâ, datâ planè simili occasione, fecerat Epiphanius, quemadmodum suprà demonstravimus. Sed

tametsi

tametsi neque Epiphanius, neque quisquam alius, id umquam fecisset, non eo tamen efficitur hujusmodi aliquid fieri nefas esse. Hoc enim si valet, temeritatis damnandus erit Ezechias, ante quem nemo serpentem æneum confregerat. Non ea est episcoporum, non aliorum, qui alicui hominum societati præsunt, conditio, ut iis nihil umquam facere, nihil audere liceat, cujus nullum extet exemplum. Eorum est interdum exempla posteris dare, non semper à majoribus data requirere. Stultus est, & flagitiosus ejus metus, qui cæteris peccantibus, officium sibi quoque ideo deserendum putat, ne alios despexisse, aut solus sapere voluisse videatur. Non est firmius, quod subjicit Gregorius, *vetustatem admisisse, ut in venerabilibus locis Sanctorum depingerentur historiæ,* nisi fortè *vetustum* appellet, quod CC. annis ante illud ævum institutum fuerat. Cùm igitur neque ipsius rei, neque antiquitatis ratio quicquam præscriberet, nihil aliud in hac quæstione spectandum veniebat, præter utriusque partis utilitates, & incommoda; Quod si fiat, quis non Sereni consilium Gregoriano antehabendum intelligit? Quod enim metuebat Gregorius, si tollerentur imagines, ignorantiæ periculum,

lum, longè erat levius idololatriæ malo, quò Serenus ex picturarum usu delapsam Massiliensium plebem cernebat; multòque proclivius erat rudiorum instructioni remotis picturis consulere, quàm retentis superstitioni mederi. Orta verò ex fractis imaginibus plebis perturbatio, nulla ratione cum iis scandalis comparanda est, quæ earumdem cultus intra, extraque Ecclesiam objiciebat. Illi quàm huic malo longè faciliùs occurrere poterat antistitum cum doctrinâ & pietate conjuncta auctoritas. Sed Gregorium, qui Sereno in causâ justissimâ laboranti favere, adesse, atque auxiliari debuerat, schisma,& iniquissimam imperitorum in Massiliensi parœciâ commotionem fovisse nimis clarum est; nimirùm ut colligendi gregis necessitas Serenum cogeret ejus sententiæ vel invitum cedere; quâ arte non rarò aliis tempestatibus usos ejusdem sedis præsules scimus. Vt ut sit, certum est Gregorium, non ipsi proprie errori, sed erroris duntaxat occasioni tum favisse; malique semina, non ipsum malum, defendenda suscepisse. Quamquam enim imagines retinendas esse pugnat, unde ipsa superstitio nata est, imaginum tamen cultum, atque adorationem constantissimè rejicit; easque servari

vult, non ut à fidelibus ullâ ratione colantur, ſed ut inſtruendis, atque docendis rudibus aliquem uſum præbeant. Sereni zelum in priori epiſtolâ laudat, qui ut aliquid manufactum adoraretur ferre non poterat; In altera itidem, *Et quidem,* inquit, *quia eas* (imagines) *adorari vetuiſſes, omnino laudavimus.* Paulò poſt ait, *non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodò mentes fuiſſe neſcientium collocatas.* Tùm ſuadens, ut disjectam & diſſipatam Eccleſię ſuę plebem colligat, *Convocandi ſunt*, inquit, *Eccleſiæ filii, eiſque Scripturæ ſacræ eſt teſtimoniis oſtendendum, quia omne manufactum adorare non liceat, quoniam ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et Serenum, quò factum apud ſuos purgaret hâc excuſatione uti vult, *quia tranſiſſe in adorationem vidiſſet, idcirco commotum fuiſſe, ut eas frangi præciperet.* Ex his, aliiſque ejus generis non paucis, quæ in utrâque epiſtolâ, maximè in poſteriore, diverſis locis ſparſa leguntur, palã eſt in hoc cum Sereno conſenſiſſe Gregorium, quod non eſſent adorandæ imagines; eoque ſententiam eam ſecutum eſſe, quæ cum decreto ſeptimæ illius Synodi (quæ Nicææ poſtea habita eſt, & ab Adriano, Romæ epiſcopo, confirmata) ex adverſo pugnat. Nam cùm Patres Nicæni anathema his decernant, *qui non*

Id. l. 9. ind. 4. ep. 109.

Syn. 7. Act. 1.

non docent diligenter cunctum Christi amatorem populum adorare venerabileis imagines, sacras, & adorandas omnium Sanctorum; Gregorius planè contra edicit *Ecclesiæ ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat.* Bellarminus hic pro more vanum superstitiosæ, quam vocat, adorationis spectrum suscitat, Gregoriique stilo objicit, ea vulnera excepturum, quæ alioqui Romanum imaginum cultum confossura erant: non aliter, quàm Apollo Homericus, qui ut Æneam suum ex acie, & discrimine subduceret, inane ejus simulacrum Græcorum telis obtulit. Ita planè hoc loco Cardinalis; *Dico*, inquit, *Gregorium solùm reprehendere cultum imaginum superstitiosum, id est, quo imagines coluntur ut Dii.* Tum ait, *aliquam venerationem deberi imagini ex sententia Gregorii:* id est (ut ego quidem interpretor) eam ipsam, quam Nicæa olim, quam nunc Roma imaginibus deferendam decrevere. Enimvero cur hanc sententiam nusquam expressit Gregorius, si verè in eâ fuit? Serenus imagines, quod eas adorari cerneret, ex parœciæ suæ Ecclesiis sustulit. Quod sustulerit, reprehendit Gregorius; quod adorari noluerit, laudat; accuratèque à se invicem secernit, quæ in istius & facto, & consilio vel probanda existimabat, vel vitupe-

Iliad. 5.

Bell. de imag. c. 16. §. Ad loca.

randa. Si quam igitur putasset imaginibus deberi adorationis speciem, siquem gradum; quis non videt id eum hoc loco, & quidem necessariò commemoraturum fuisse, cùm eas Serenus facto hoc suo apertissimè multaret, non *superstitiosa* modò *adoratione* (quam Bellarminus deserit, atque abjicit) sed *religioso* etiam (quem defendit atque admittit) *cultu?* Idem ille Sereni amor, qui Gregorium subegit adeò diligenter consilii ejus pietatem à facti temeritate distinguere; nonne etiam flagitabat, ut itidem definiret, & quidem accuratè, quid in imaginum cultu damnandum, ac repudiandum, quid commendandum, ac retinendum esset? Atque ut eum monet *aliud esse picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere;* nonne similiter monere debuerat, aliud esse imaginem, tamquam Deum, adorare, aliud eamdem analogicè colere? neque siquis apud eam prostrato corpore, accenso cereo, oblatoque thure, & aliis hujusmodi ritibus supplicet, ideo statim superstitiosæ adorationis reum esse? Quò verò atrocioribus verbis in Sereni facinus detonandum putavit, eò diligentiùs patefacere hic debuit omnia istius doctrinæ mysteria. Vt istum peccavisse demonstret,

L. 9. indict. 4. ep. 9.

ſtret, qui ex Eccleſiis ſuſtulerat imagines, nihil aliud in medium affert, niſi factam rudioribus injuriam, quos iſte ſcilicet fraudaverat rerum divinarum documentis longè utiliſſimis, in Maſſilienſi præſertim parœciâ, inter gentes ferè conſtitutâ, neceſſariis. Hæc omninò ſunt Gregorianæ contra Serenum cauſæ firmamenta; quæ ille urget unicè; in quibus immorandum, atque hærendum putavit. Tu verò Gregori, dum hæc ſic agis, quid cogitas? Cur tibi in tali causâ, neque Sanctorum cœlitum, neque fidelium ſuperſtitum contumelia in mentem venit? quos utroſque (ex tuorum quidem ſucceſſorum ſententiâ) hoc Sereni facinus graviſſimè vulnerabat? quô nimirum tum illorum gloria, tum horum pietas imminuebatur? Tu unam rudiorum urges jacturam. Tibinè verò ſanctorum, vel in cœlo triumphantium dignitas, vel in terrâ militantium religio uſque adeò vilis eſt, ut neutram vel leviſſimè in eâ causâ commemorandam cenſeas, quæ ad utriuſque injuriam manifeſtiſſimè pertinet? In primis verò operæpretium eſt audire, quàm bella ſit, ex Bellarmini hypotheſi, oratio, quâ Serenum Gregorius ad ſedandam plebem, uti vult; *Scripturæ ſacræ eſt teſtimoniis oſten-*

dendum (inquit) *quia omne manufactum adorare non liceat; ac deinde subjungendum est, picturas imaginum ad ædificationem imperiti populi fuisse factas, ut nescientes litteras ipsam historiam attendentes, discerent, quid actum sit; atque eis dicendum; Si hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus fieri, & haberi permitto*, &c. *Et siquis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare verò imagines omnibus modis devita.* Hic certè locus necessariò exigebat, ut adorationem illam, siqua est, licitam, ac legitimam commemoraret, ab eâque studiose removeret ac distingueret, quam ut illicitam, ac nefariam vetat. Siquis hujus temporis episcopus id in Romanâ Ecclesiâ auderet, quod olim in Massiliensi parœciâ fecit Serenus, obsecro eine ad eumdem modum scriberet Vrbanus Papa? Nihilne aliud in ejus facto reprehenderet, quàm quod rudiorum instructioni noceret? Non Sanctorum in primis gloriam in imaginibus violatam objiceret? non religionem Ecclesiæ, dejectis ejus instrumentis, afflictam, & imminutam exprobraret? Non hanc in primis Synodi Tridentinæ pervulgatissimam rationem adduceret, *bonorem, qui imaginibus exhibetur, referri ad prototypa, quæ illa repræsentant?* Non

Conc. Trid. Sess. 25.

quod

quod ibidem ſubjicitur, urgeret, *per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum nos adorare, & ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, venerari?* Non ex his poſtremò concluderet, imagines contemnere, & frangere, id verò nihil aliud eſſe, quàm cum Chriſto, & Sanctis bellum impium gerere, & in eorum nomen, & gloriam inſolenter graſſari, ipſoſque veluti de cœlo detrahere, ac deturbare? Atqui nihil iſtorum Gregorius; qui cùm acutior, & callidior fuerit, quàm ut rem tanti momenti per errorem, & imprudentiam in hac causâ omiſiſſe dici poſſit; quid reliquum eſt, niſi ut concludamus, minimè illum ſenſiſſe ullum imaginibus exhibendum religioſum cultum? Sed quid argumentis opus eſt? Ipſe in medium prodeat: ipſe animi ſui ſententiam eloquatur. Dic Gregori, de imaginum uſu quid ſentis? aut quamobrem eas putas à Chriſtianis admiſſas? *Picturæ*, inquit, *imaginum ad ædificationem imperiti populi fuerunt factæ, ut neſcientes litteras, ipſam hiſtoriam attendentes diſcerent quid actum ſit. Ad hanc inſtructionem imagines antiquitus factæ ſunt.* Tune verò nullum ad alium uſum inſtitutas cenſes? *Non ad odorandum,* inquit, *ſed ad inſtruendas SOLUMMODO mentes fuerunt neſcientium*

collocata, ſcilicet in Eccleſiis. Quid? Iis ergo, ne relativam quidem, & analogicam adorationem exhibere fas erit? (directam enim & abſolutam minimè ſanè urgemus.) *Si quis*, inquit, *imagines facere voluerit, minime prohibe; adorare vero imagines OMNIBVS MODIS devita.* Potuitne Gregorius Nicænam, & Romanam de hoc argumento ſententiam clarius, aut diſertius configere? aut iſtorum hominum cenſoriis decretis apertiùs oppedere, qui pronunciant *imagines etiam extra hiſtoriam eſſe utiles?* per ſeque & proprie colendas? & *qui dicunt imaginales formationes ſufficere in commemorationem tantum haberi, & non etiam ad ſalutationem, unum recipientes, alterum reprobantes, hos ſemipravos, partimque mendaces & partim veraces* ψευδαληθεῖς *demonſtrari?* Quo loco obſervandum eſt, quàm reverenter Gregorium habuerint, cujus qui ſequuntur ſententiam, eos tam honeſtis elogiis exornarunt.

Bell. de imag. c. 11. & c. 21.

Syn. 7. Act. 6. p. 811. d.

Cæterùm tam diſertis, tamque apertis Gregorii teſtimoniis objiciunt, quod idem ille alibi B. Virginis imaginem, atq; crucem ex quadam Judæorum Synagogâ, *qua dignum eſt veneratione tolli* jubet. Res autem tota ſic habet. Calaritanus quidem ex Iudæo Chriſtianus in ipſa feſtivitate

Greg. l. 7. ep. Ind. 2. ep. 5.

ſtivitate Paſchali, ſequenti die baptiſmatis ſui, gentilium ſuorum Synagogam, quæ Caralis erat, vi occupatam invaſerat; atque imaginem illic genitricis Dei, Dominique noſtri, & venerandam crucem, vel birrum album, quo de fonte ſurgens, indutus fuerat, poſuit. Gregorius hominis intemperiem reprehendit, ac civitatis epiſcopum Januarium monet, ut Judæis Synagoga reddatur, *ſublata exinde cum ea, qua dignum eſt veneratione, imagine atque cruce.* Ex his deferendum imaginibus cultum religioſum nullâ ratione colligunt adverſarii. Primùm enim nuſquam ait Gregorius *colendam* vel venerandam eſſe illam, de quâ memorat, B. Mariæ imaginem. Ait tantùm ex profano illo, & impio loco, in quem illata fuerat, tollendam *cum ea, qua dignum eſt, veneratione.* Definit qua ratione ex Judæorũ ſynagogâ eripienda eſſet; cultum, qui illi debeatur, conſtituit nullum. Nimirum hoc vult; non proſtrato humi corpore de geniculis, quod Romani jam faciunt, adorandam; ſed decenter ex eo, quo erat loco, clericorum manibus tollendam, & in Eccleſiam, ex quâ derepta fuerat, reportandam; eo geſtu, atque inceſſu, qui ſacrum eſſe, & Eccleſiaſticum, non profanum, aut domeſticum inſtrumentum

mentum doceat. Vt si Judæo hujus injuriæ auctori pro imagine codicem novi testamenti, aut sacrum calicem in eam synagogam inferre libuisset, iisdemque verbis Gregorius exinde eos tolli jussisset, *cum ea, qua dignum est, veneratione*, nemo opinor, concluderet vel novi testamenti codicibus, vel sacris calicibus adorationem analogicam deberi. Genevensis Ecclesia ministros evangelii disertè jubet *sacrum Cœnæ Dominicæ panem cum reverentia distribuere*. Atqui nemo est, qui nesciat, neque ab iis sacrum panem adorari, neque id fuisse illius Ecclesiæ consilium, ut adorandum his verbis significaret. Sed etiamsi ea, de qua est apud Gregorium, veneratio rerum ipsarum esset, quæ tolli jubentur; quærendum tamen superesset, ad crucemne pertineret illa veneratio, an ad imaginem; ad illam autem potius, quàm ad hanc pertinere, vel ex eo liqueret, quod solam crucem, non autem imaginem, *venerandam* vocat Gregorius. Jam verò perspicuum est crucem inter, & imaginem non parum discriminis statuisse veteres, crucique eam venerationem concessisse Carolum Magnum, quam imaginibus negat. Denique fac Gregorium, quod nequaquam dixit, disertissimè, totidemque verbis dixisse *deberi aliquam*

quam imaginibus venerationem, eo tamen nondum esset definitum, quænam ista sit veneratio, cultus ne sit religiosus, quod hodie Romani volunt, * an verò hujusmodi tantum reverentia, qualis rebus, personisque Ecclesiæ, cunctisque religionis instrumentis, putà sacerdotibus, calicibus, Scripturæ codicibus convenit. Nam ista, & alia ejusdem generis cùm *veneranda, & venerabilia* omnes appellent, nemo tamen *cultu religioso* prosequenda existimat. Valafridum quidem Strabonem, non modò Baronius, sed etiam ii, qui Sanctorum Patrum Bibliothecam ediderunt, * inter septimæ Synodi adversarios censent, unàque cum reliquis Galliæ, Britanniæ, & Germaniæ antistitibus sensisse existimant, imagines in Christianorum Ecclesiis, nisi ad præteritarum rerum memoriam, & ad rudiorum instructionem, esse non debere. Et tamen ille ipse *eas aliqua ratione venerandas* esse satis innuit, dùm ait *quosdam eas ultrà quàm satis est, venerari.* Neque verò istius, quam iis relinquit, venerationis nomine aliud intelligit Valafridus, (ut & res ipsa docet, & Baronius ultrò confitetur) quàm locis sacris non esse ejiciendas, quod Serenus olim in Provinciâ fecerat, quodque Iconomachi ipsis illis temporibus in Oriente

* *Bell. l. de Im. c. 12. 5. Argumentum.*

* *Præf. in Ion. Aurel. Bibl. Pp. T. 4. Part. 1*

Valafr. Strabo de reb. Eccl. c. 8. T. 10. Bibl. Pp.

Oriente cum maximè faciebant; neque ſpernendum, quem rudiorum inſtructioni præſtare poſſe videntur, uſum; quæ planè eſt Gregorii quoque ipſius ſententia. Itaque nihil adverſariorum cauſam juvaret hic ejus locus, etiamſi (quod non facit) diſertis, & conceptis verbis affirmaret *venerandam fuiſſe illam B. Virginis imaginem*, cùm ex iis, quæ diximus, ſatis appareat his verbis Gregorium, ſi eſſet iis uſus, ſignificaturum fuiſſe, haud decere illam imaginem in Judæorum ſynagogâ relinqui, ſed exinde in locum ſacrum referendam ut rudiorum inſtructioni, atque profectui uſum præbeat; quam ille unam imaginum in Eccleſiis habendarum cauſam agnoſcit. Sed alium prætereà ejuſdem ſcriptoris locum exſcribunt, quo Secundinum quemdam ſic alloquitur: *Scio quidem, quod imaginem Salvatoris noſtri non ideò petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus te imaginem videre conſideras. Et nos quidem, non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed in throno ſedentem recordamur; & dùm nobis ipſa pictura, quaſi Scriptura, ad memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione certificat, aut de paſſione demulcet.* Sed hæc noſtram

Greg. ep. l. 7. Indict. 2. ep. 53. extr.

nostram de Gregorii sententiâ opinionem, non modò non convellunt, verùm insuper confirmant. Quid enim? Annon clarissimè docet totus hic locus, non alium esse imaginum in religione usum, quàm ut iis erudiatur, & instruatur animus, earumque quas referunt rerum, memoriâ commotus incalescat? *picturamque quasi scripturam* esse, adeoque proponi ut doceat, non autem ut adoretur? Jam quod ait Secundinum *Salvatoris imaginem non ideò petere, ut quasi Deum colat*, eo quidem huic imagini negat delatum à Secundino fuisse eum, qui Deo optimo debetur, cultum; delatum autem fuisse aliquem religiosi cultûs gradum, id verò minimè adfirmat. Scribit alicubi Augustinus, *quæcumque adhibebantur religiosorum obsequia in martyrum locis ornamenta fuisse memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum, tamquam Deorum*. Siquis indè colligeret Ecclesiam martyribus olim sacrificia obtulisse, non quidem tamquam Diis, sed aliâ aliquâ ratione, putà tamquam Dei amicis, & ministris, nonne is malè & sophisticè colligeret? planèque contra Augustini mentem, qui disertè ibidem negat *se martyribus offerre sacrificia*? Idem omnino est adversariorum paralogismus, dùm ex eo, quod Gregorius negat imaginem,

Aug. de civit. D. l. 8. c. 27.

ginem, quasi Deum à Secundino cultam fuisse, concludunt cultam ergo ab eo fuisse aliâ aliquâ ratione. Atqui nuper Sereno præcipientem audiebamus, *ut imagines adorare omnibus modis devitet, easque monentem ad instruendas solummodò mentes nescientium collocatas fuisse*. Quam verò continuò instituit antithesin, ea satis ostendit nullum omnino huic imagini cultum à Secundino delatum fuisse. Nam si eam Secundinus cultu analogico (quod volunt adversarii) adorasset, Gregorius illis verbis, *imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas*, haud dubiè hæc aut alia consilia in alterâ antitheseos parte subjecisset, *sed ut analogicè adores, ut dulia afficias, ut tamquam Dei imaginem religiosè venereris*. Atqui nihil istorum Gregorius; hanc verò præcedenti negationi opponit affirmationem; hanc τῇ ἄρσει τὴν θέσιν, (ut Grammatici Græci loquuntur) *sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras*. Ex quibus constat, Secundinum hac imagine eo tantum animo usum esse, ut sibi in eam intuenti Christi recordatio subiret, minimè verò, ut ipsam adoraret, coleret, aut veneraretur. Idem est sequentium sensus, cum hoc modò discrimine, quod quæ in superioribus de Secundino dixerat,

rat, hîc de se eadem dicit. Tantùm observanda est harum vocum ambiguitas, *Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur*; quæ videntur grammaticè duobus modis construi posse; priori quidem, ut verbum *prosternimur* affirmativè sumatur, negativa verò particula *non* cum adverbio *quasi* conjungatur, hoc modo, *nos quidem ante illam prosternimur, non quasi ante divinitatem*; quo sensu si accipiatur hoc colon, significabit (fateor) Gregorium ante illam imaginem procumbere solitum, & speciem ejus, quem ei exhibebat, cultûs definiet, divinum fuisse negans; undè porrò consequetur ex Gregorii sententiâ fas esse ante Christi imaginem prosterni, modo non quasi ante divinitatem. Et sic quidem hæc verba interpretantur adversarii. Sed potest etiam aliter resolvi, & constitui hæc Gregorii oratio; nempe præpositâ verbo *prosternimur* negandi particulâ *non*, hoc modò, *& nos quidem ante illam non prosternimur, quasi ante divinitatem*; quam rationem si sequamur, simpliciter negabit Gregorius se ante illam Christi imaginem prosterni; quippe qui eum honorem nulli in religione, præterquam soli Deo, convenire existimet. Itaque cùm in hoc disputationis articulo, non interrogantis, sed respondentis partes

tes

tes tuenti liceat alterum ex duobus his Gregoriani loci ſenſibus eligere; ſi poſteriorum hunc priore repudiato retinere me dixero, adverſarii objectioni abundè ſatisfecero. Tamen ἐκ περιουσίας, & ad ſolutionis cumulum, addo hunc locum ſic interpretari, non modò licere, ſed etiam neceſſarium eſſe. Primùm enim ubi concilianda veniunt aliqua in ſpeciem pugnantia ejuſdem auctoris loca, æquum eſt ea, quæ obſcura ſunt, & ambigua, ex claris & certis interpretari, non contrà. Cùm igitur, & perſpicua diſertaque ſint, quæ à Gregorio ad Serenum ſcripta ſuprà memoravimus, & ambiguum, quod nunc ex ejus ad Secundinum epiſtolâ recitavimus, conſentaneum eſt hoc ex illis explicari, non illa, quò huic congruere poſſint, inverti, & contorqueri. Atqui in illis locis apertiſſimè ſtatuit Gregorius *picturas in Ecclesiis, non ad adorandum, ſed ad inſtruendas ſolummodò mentes neſcientium, collocatas fuiſſe, & adorare imagines omnibus modis devitandum.* Ergo ille alter ejuſdem ad Secundinum locus non priori, ſed poſteriori, quo expoſuimus, modo conſtituendus, atque interpretandus eſt; quia ſi priori ſumatur efficiet imagines, non ad inſtruendas ſolummodo neſcientium mentes, eſſe collocatas (quod vult Gregorius) ſed etiam

ut

ut adorentur, & aliquo ſaltem modo à fidelibus colantur. Prætereà ipſa legitimi ſermonis ratio exigit, ut ſic accipiatur locus. Nam quę conſequuntur in eadem periodo docent hîc à Gregorio inſtitutam eſſe oppoſitionem quamdam inter hæc duo verba, *ante illam* (nimirum imaginem) *proſternimur*; *illum* (Chriſtum) *adoramus*; quæ antitheſis nulla eſt, niſi negandi particulam verbo *proſternimur* præfigamus, hoc modo; *non ante imaginem quaſi ante divinitatem, proſternimur*; *ſed Chriſtum adoramus*. Sic quidem clarum eſſe, & conſentaneum ſenſum nemo non videt. Si verò hac conſtructione mutatâ, negandi particulam ad hoc complexum retuleris, *non quaſi ante divinitatem*, evertetur legitima periodi forma, inconditaque & barbarie plena efficietur. Nam ſi ea fuiſſet Gregorii mens, ad complendam hanc clauſulam erat omnino aliquid adjiciendum, quod opponeretur illi accuſativo, *ante divinitatem*. Quæ enim auris eſt adeò inerudita, quæ non deprehendat hunc ſenſuum ſic eloquendum fuiſſe, ut poſt hoc colon, *ante illam proſternimur, non quaſi ante divinitatem*, continuò hæc aut alia hujuſmodi adjicerentur, *ſed quaſi ante divinitatis ſymbolum, & monumentum?* Atqui nihil tale addidit Gregorius. Subjicit enim ſtatim

illa, quæ modo recitavimus, *ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed in throno ſedentem recordamur*. Itaque neceſſe eſt totum hunc locum eo ſenſu accipere, quo nos expoſuimus, non autem eo, quo volunt adverſarii. Quod ipſum poſtremò Synodi Pariſienſis auctoritate confirmatur. Hoc enim Gregorii dictum planè eadem, quâ nos, ratione interpretantur illius Synodi Patres, ut in extremo eorum libro videre eſt. Atque ita apparet, nihil eorum, quæ ab adverſariis objecta ſunt, quominus id de hoc argumento re verâ ſenſiſſe Gregorium putemus, quod ipſe in utrâque ad Serenum epiſtolâ teſtatum relinquit, nimirum neque frangendas, neque adorandas eſſe imagines, ſed in Eccleſiis ad rerum præteritarum memoriam, rudiorumque inſtructionem ſolummodò retinendas.



LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Christianorum de imaginibus octavo sæculo certamina; quas aboleri jubet habitum anno 754. Constantinopoli Concilium; adorari, Nicææ anno 787. coacta Synodus.

ATque hæc initia habuit imaginum inter Christianos adoratio, quas, ut irrepenti malo obviam iretur, Serenus quidem tollendas, Gregorius verò sic retinendas censuit, ut sedulò admoneretur populus eas ad instructionem tantùm, & memoriam utileis esse, neque ullo modo adorandas. Quarum sententiarum Gregoriana hæc tametsi (quod eventus longè funestissimus plus satis docuit) haud paulò periculosior esset, obtinuit tamen, diutissimèque mansit in nostris Galliis, ut posteà fusius exsequemur. Eam enim, præter illustre Gregorii nomen, sedisque Romanæ jam nimiam, præsertim in Occidente, auctoritatem, insuper commendabat falsus, quo fucata est, prudentiæ color; quod & picturarum usum, inco-

 lumi

lumi divini cultus puritate conſervare, & imaginum tum abrogationem, tum adorationem, contraria mala, evitare, ac velut inter oppoſitos ſcopulos rectum curſum tenere videretur. Quo factum, ut in eam homines nullo negotio conſenſerint, quod utriuſque partis votis, ac deſideriis quodammodo ſatisfaceret, dum illis quidem, quas exoptabant picturas concedit; his verò, qui eas exhorreſcebant, ſuperſtitionis metum, vetitâ imaginum adoratione, aut demit, aut certè minuit. Itaque hîc obtinuit, ut (quod in rebus humanis plerumque uſuvenire, magnaſque interdum calamitates, ac clades parere ſolet) extrema conſilia mediis poſthaberentur. Nam cùm illa ferè ardua ſint, multiſque diſcriminibus expoſita, hæc verò quâdam facilitatis ſpecie blandiantur, pauci reperiuntur eo ingenio, atque animo, qui his abjectis illa amplecti malint. Credibile eſt in Italiâ quoque, ac Romæ, ubi exorta fuerat, viguiſſe iſtam Gregorii ſententiam. Sed ſpretis Sereni fortibus, ac ut videtur, non fruſtrà futuris conſiliis, in medio veluti clivo deſtituti homines paulatim primò ſublapſi, mox, ut fit, peſſum iêre. Cæterùm, ut ſunt omnia in malum prona, quiddam ſecutis temporibus accidit,

quod

quod Romanorum animos ab illo, quod Gregorius definiverat, temperamento abripuit, atque in errorem egit. Nam centum plus minus annis post obitum Gregorii, Philippicus, qui Orientis imperium anno æræ Christianæ 711. rapuerat, cùm Monothelitarum hæresi, paulò ante in Concilio damnatæ, addictus esset, sex universalium Synodorum imagines Constantinopoli sustulit. Constantinus, qui Romæ eâ tempestate sedebat, factum indignè tulit; ac Patrum, qui Synodis interfuerant imagines in Romanâ Petri porticu pingendas curavit, ut illatam eorum memoriæ à Philippico injuriam vel ulcisceretur, vel obliteraret. Is casus, quamquam ab alienâ causâ exortus, imagines episcopo, cleroque Romano sic commendavit, ut hoc veluti pignore obstricti, numquam postea illarum patrocinium deseruerint, incalescenteque in dies animorum æstu tandem earum venerationem ac cultum in Occidente constituerint. Sed veritas, antequam istorum vi, atque artibus de gradu dejecta, ac oppressa cederet, magno conatu magna, & illustria certamina sustinuit, quorum memoria, adversariis frustra omni ope obnitentibus, rerumque gestarum famam mirâ fraude vel

Paul. Diac. Hist. l. 6. c. 34.

obſcurantibus, vel involventibus, & invertentibus, ad nos tamen ſummo Dei beneficio, pæne integra pervenit.

Primum igitur illud ſatis conſtat, cum imaginum cultus in Oriente paſſim invaluiſſet, palamque à multis, etiam eruditione atque authoritate præſtantibus viris, ut à Germano, Conſtantinopolitano epiſcopo, & à Joanne Damaſceno defenderetur, iiſque certaminibus in diverſa ſcinderetur Eccleſia, Leonem anno æræ Chriſtianæ DCCXVII. imperium adeptum eorum ſe ſe partibus addixiſſe, qui picturarum venerationem repudiabant; eaſque divino zelo ſuccenſum ex ædibus, lociſque ſacris ejectas comburi edicto anno Chriſti DCCXXX. ſeptimo Januarii die publicato, juſſiſſe, quique errori faverent epiſcopos variis pœnis coercuiſſe; quo tempore Germano abdicato Anaſtaſius in Conſtantinopolitano epiſcopatu ſuffectus eſt.

Patris exemplum ſequutus eſt Conſtantinus cognomento Copronymus, Leonis filius, qui ei anno Chriſti DCCXLI. die Junii XVIII. ſucceſſit. Is enim vertente anno æræ Chriſtianæ LIV. ſupra ſeptingenteſimum in urbem Regiam ex omnibus ditionis ſuæ provinciis ad CCCXXXVIII. epiſcopos convocavit de

tota

totâ hac controversiâ ex divinis oraculis liberè pronunciaturos. Synodus decimo Februarii die ad Augusti insequentis octavum sedit; quo spatio re mature deliberatâ tandem decretum fecerunt. Id etiamnum hodie extat integrum in Actis Concilii, quod aliquantò post Nicææ habitum fuit. Omnes ergo illi CCCXXXVIII. episcopi in hac Synodo, quam *septimam universalem* inscribunt, unâ voce concordique sententiâ definiunt imagines colere id vero nihil aliud esse, quam Paganorum superstitionem renovare; ac principio quidem Dominum Christum vel cum Nestorio dividere, vel cum Dioscoro & Eutyche miscere ac confundere, qui ejus imaginem pingunt; veram Christi imaginem, ab omnibus fidelibus celebrandam, & honorandam eam esse, quam ipse Dominus instituit, discipulisque commendavit, sanctissimam nimirum eucharistiam, typum & commemorationem evidentissimam; alterius generis quæ fingitur Christi imaginem eam neque ex traditione Christi, vel Apostolorum, vel Patrum esse habere; neque orationem sacram quâ ea sanctificetur, ut ex communi sancta fiat, sed manere eam communem, & inhonoratam, sicuti effecit eam pictor; Beatæ verò virginis,

Syn. 7. Act. 6.

Ibid. Tom. 3.

Ib. Tom. 4.

Ibid. ginis, Sanctorumque imagines & inutiles esse in Christiano cultu, & in ipsos illos Sanctos, quibus orto ab Ethnicis more consecrantur, contumeliosas. Tum varia Scripturarum loca adducunt, quibus suam hanc sententiam firment; hæc quidem ex Ioanne, Spiritus est Deus, & qui adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare. Deum nemo vidit unquam. Ex aliis verò libris illa, Neque vocem Dei audistis, neque speciem ejus vidistis; Non facies tibimet idolum, neque omnem similitudinem, quæcumque in cœlo sursum, & quæcumque in terrâ deorsum, eo quod in monte & medio ignis vocem verborum vos audivistis, & similitudinem non vidistis, sed vocem. Commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & coluerunt & servierunt creaturæ potius, quàm creatori. His

Ib. Tom. 5. multa antiquiorum Patrum testimonia adjiciunt, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi, Athanasii, Amphilochii, Theodoti Ancyrani, Eusebii Cæsariensis. Cum decernunt abjectam, & alienam, & abominabilem ex Christianorum Ecclesia esse omnem imaginem ex diversâ materiâ & coloribus effectam; siquis verò ausus fuerit con-

construere imaginem, vel adorare, aut statuere in Ecclesiâ, vel in privatâ domo, seu occultare, eum si quidem episcopus sit, aut presbyter, aut diaconus, deponi jubent; si verò monachus, aut laicus, anathematizari. Anathema iis in genere denunciant, qui per materiales colores in imaginibus humanâ formâ Christum Dominum circumscribere instituerint. Item Germano, Constantinopolitano, Georgio Cyprio episcopis & Mansur sive Damasceno, nobilissimis & avidissimis imaginum patronis, anathema dicunt. Hæc fuit Orientalis Ecclesiæ in Constantinopolitanâ Synodo de imaginibus definitio, imperante Copronymo, ejusque Filio Leone Porphyrogenito ad annum usque DCCLXXXIV. accuratissime in illis partibus observata.

Sed Romani in Occidente Episcopi diversam partem foventes totam illam Græcorum causam, atque sententiam acerrime exagitabant, cultumque imaginum omni ope ac nisu constituebant. Nam Gregorius Papa ejus nominis secundus jam anno illius sæculi XXVI. imagines, quas à Leone III. Orientis Imperatore summâ vi oppugnari cernebat, defendendas palam susceperat; nihil non molitus, quo dejectas & deturbatas

restitueret. Tantusque fuit optimi & sanctissimi Pontificis zelus, ut illum Monarcham, quo docilior fieret, post frustra intentatum censuræ & anathematis Apostolici mucronem, tandem etiam justo & legitimo Italiæ imperio spoliarit, *abactis, interceptisque Italorum annuis vectigalibus, quæ ad id tempus Principibus Constantinopolitanis pendebantur.* Quas verò ad Leonem scripsit duas epistolas eæ satis superque testantur non minus prodigiosam fuisse hominis sapientiam, quam admirabilem zelum. Narrat enim seriò religiosos homines, Christique amantes Dominum Iesum, prout viderant, initio depinxisse, spectandumque proposuisse, Iacobumque similiter, ac Stephanum, & martyres, hisque conspectis imaginibus homines deinceps in toto terrarum orbe, diaboli adorationes dereliquisse, hasque adorasse οὐ λατρευτικῶς ἀλλὰ σχετικῶς, *non latria, sed habitudine.* Affirmat Christum in terris degentem ad Abgarum Edessenorum regem, *manu sua scripsisse, & sacram gloriosamque faciem suam ad eum misisse.* Leonem jubet ad illam non manufactam imaginem mittere; ad quam ait *illic congregari & orare turbas Orientis populorum.* Monet, ipsum vel à puerulis parvulis illudi; quos, si eorum obeat scholas,

Præf. Syn. VII. ex Hist. misc. & aliis.

Greg. 2. ep. ad Leon. in ante-act. Conc. 7.

las,

las, seque profiteatur eversorem esse & persecutorem imaginum, confestim tabellas suas in ejus caput projecturos. Oziam, Iudæorum regem, verè Leonis fratrem fuisse jactat; qui serpentem æneum confregerit, magno scilicet & inexpiabili scelere. Ita summus Theologus, Oziam cum Ezechia imperitè confundit, idque facinus, quod Scripturæ inter præcipuas optimi Principis laudes celebrant, ipse atro calculo damnare non veretur. Quam verò stupendæ hujus sententiæ affert rationem, ea mira est, & portenti similis; *Illum siquidem*, inquit, *serpentem sanctificatus David unà cum arca sancta in templum invexit. Quid enim erat, nisi consecratum à Deo æramentum, propter eos, qui tum ægri erant, & à serpentibus læsi?* Postremò docet Occidentalium & Septentrionalium provinciarum reges Leonis laureata conculcasse, faciemque conscidisse, auditis quæ ille contra imagines auderet, Decapolimque incursionibus infestasse, ipsamque metropolim Ravennam occupasse. In sequenti ad eundem epistola vult imaginum in religione usum juris esse naturalis; non aliter hominum generi antiquitus & à principio traditum, ac panis vinique usum, & aliorum ad vitæ humanæ conservatio- *Id. ib. epist. 2.*
nem

nem pertinentium. Addit Pontifices olim imagines ad Concilia deferre solitos; nec ullum ex Christi amantibus & religiosis hominibus fuisse, qui iter peragens absque imaginibus peregrinationes obiret, utpote qui virtute præditi, atque apud Deum probi essent. Hæc sunt Gregorii præclara sanè enthymemata, quibus ille Leoni persuadere satagit imaginum adorationem. Qui eum excepit Gregorius III. non absimilibus offuciis principem illum aggressus est; Sed cum ejus animum his rationibus videret, non modo à susceptâ sententiâ minimè dimoveri, sed in ea magis magisque obfirmari, tam præfractâ contumaciâ offensus, coacto non contemnendo episcoporum numero, omnes qui imagines repudiabant, excommunicavit. Zacharias, Stephanus, & Paulus, qui Gregoriis successere, in eorum vestigiis hærentes, idem dogma, eademque consilia sectati sunt; neque vel litteras, vel preces, vel concilia, vel anathemata, vel ullam omnino rationem omiserunt, quâ imaginum adorationem in Græcia restituerent; frustra omnia experti, ad Leonis IV. mortem. Quo loco prætereundum non videtur, omnes istos Romæ episcopos, quos Iconoclastes diris anathematismis, tanquam

Anast. in Gregor. III.

Dei

Dei & Ecclesiæ infensissimos hostes, vexabant, eosdem illos iisdem temporibus *piissimos* appellasse; ut videre est in aliquot epistolarum à Gregorio, Zacharia, Stephano, & Paulo datarum suscriptionibus; in quibus *Leonem & Constantinum Augustos, piissimos, à Deo coronatos, magnos Imperatores* vocant.

Greg. 2. epist. 14. ad Bonif. Greg. 3. ep. 7. ad Bonif. Zach. ep. 1. & 2. ad Bon. &c. Sic etiam in Conc. Rom. sub Greg. 3. & sub Zacharia. init. in Trivil. Stephani 2. Dyon. monast. concesso; & in Priv. Pauli concesso monasterio Hilar. Galiat.

Quæ verò fuerit Gallicanæ, Germanicæ, Britannicæ, & aliarum quæ tum in Occidente erant Ecclesiarum de his Græciæ Italiæque dissidiis sententia, difficile est clarè perspicueque demonstrare. Nam produnt quidem illorum temporum Historici missos fuisse ab Orientis Imperatoribus legatos ad Pipinum tùm in Galliâ regnantem, quo jubente ac præsente Gentilliaci prope Lutetiam habitum esse Concilium anno ætæ Christianæ DCCLXVII. tredecim non amplius annis post Constantinopolitanę Synodi contra imagines decreta; testanturque in illa Gentilliacensi Synodo quæstionem *ventilatam inter Græcos & Romanos de Trinitate, & utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio: & de Sanctorum imaginibus, utrumne fingendæ, an pingendæ essent in Ecclesiis.* Sed à nullo veterum scriptorum disertè, quod ego quidem sciam, traditum est, quæ istius Synodi fuerit de imaginibus

Ado in Chron. A. 767.

ginibus definitio; ut temerarium videatur quidquam ea de re in alterutram partem pro certo ac explorato affirmare. Tantum moneo, quæ non multò post Francofordiæ, atque aliis locis ex Nicænæ secundæ Synodi occasione gesta fuerunt, satis superque ostendere ex Romanorum in hanc imaginum causam studio & Gallorum, & Germanorum Episcoporum sententiâ minimè præjudicandum esse, ut ex iis, quæ postea dicturi sumus, manifestum fiet. Nam Irene, Leonis IV. Imperatoris uxor, viro mortuo, ac impubere filio, rerum in Oriente potita, religionis in Græciâ statum tandem immutavit. Mulier enim impotens imagines, quibus oblectabatur impensiùs, Ecclesiis, unde ejectæ erant, reddere, earumque cultum constituere aggreditur: Ac ut erat callida, Tarasium quemdam, quamquam laicum, (quod genus ab hujusmodi dignitate Ecclesiæ canones summovent) tamen, quod idem de imaginibus sentiret, in Constantinopolitanam sedem evehit, tantoque beneficio obstrictum sibi conciliat. Tum Adrianum, Romæ episcopum, scriptis litteris de sua voluntate edoctum, sibi adjungit; & alia quæ usui futura erant, providet; tandemque Concilium iis,

quæ

quæ animo agitabat, exequendis Constantinopolim indicit. Eò legatos misit Adrianus Petrum S. Petri Archipresbyterum, alterum item Petrum S. Sabbæ Abbatem. Sed cùm subolfecisset populus Constantinopolitanus non aliud esse illius Synodi consilium, quam ut imaginum cultum restitueret, sic tumultuatus est, ut neque ab Irene sedari, neque ab iis, qui aderant episcopis, conventus haberi potuerit. Itaqne mutato consilio Synodus Nicæam translata est, principem Bithyniæ urbem, cujus populum continere, ac cohibere facilius erat quam Constantinopolitanum; Eo loco omnia ex Irenes libidine transacta. Nam qui convenerant CCCL episcopi omnem hanc causam uno, eoque non toto mense, confecerunt, Synodo quæ die Septembris vicesimo quarto cœpta erat, die proximi Octobris vicesimo tertio solutâ, anno Christi DCCLXXXVII. Habitam Constantinopoli ante annos XXXIII. imperante Copronymo Synodum confutatam abrogarunt; definieruntque Christi, Mariæque Virginis, Angelorum, & Sanctorum virorum imagines, tam de coloribus & tessellis, quàm ex aliâ congruente materiâ, proponendas in Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parie- *Syn. 7. Act. 7, in definit.*
tibus

tibus,ac tabulis, domibus, ac viis, ad honorariam iis adorationem tribuendam non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet, tribuendam; ita ut iſtis, ſicuti figuræ precioſæ ac vivificæ crucis, & ſanctis Euangeliis, & reliquis ſacris monumentis incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem exhibeatur; Anathema poſtremò in eos decernunt, quicumque auſi fuerint aliter ſapere, aut docere. Atque ita imagines in Oriente tantulo trium & triginta annorum ſpatio abrogatæ, & reſtitutæ ſunt.

Caput II.

Carolus Magnus in Occidente cultum imaginum, Nicænamque Synodum abrogat, ac de eo argumento quatuor illos libros conſcribit qui etiam hodie extant.

In noſtro verò Occidente, ſparsâ eorum quæ in Græciâ geſta erant famâ, acceptâque Nicæni Concilii pro imaginibus definitione, rem adeo indignè tulit Carolus, qui tum Franciæ Rex, mox Imperatoriâ dignitate potitus, *Magni* cognomen ex geſtorum magnitudine invenit, ut ſtricto cum *cohibentia ſacerdotum* ſtilo, luculentiſſimum volumen contra Nicænos

Car. M. lib. 1. de imag. Praf.

Nicænos tertio post eam Synodum anno absolverit; in quo & pleraque istorum dogmata ac dicta refellit; erroriſque ac non ferendæ impietatis insimulat. Iconoclastarum alterâ ex parte immodestiam castigat, quod ii satis non habuissent imaginum venerationem prohibere, sed ipsas insuper imagines disjectas, confractasque ex Ecclesiis sustulissent; quas Carolus ad ornatum retineri vult, tutoque usurpari posse putat, modo sine veneratione habeantur. Opus etiam hodie totum extat; in cujus limine principiò testatur Carolus se Propheticis, Euangelicis, & Apostolicis scripturis contentum, & sanctorum orthodoxorum Patrum institutis imbutum, sanctas universales sex Synodos suscipere; duas autem illas novissimas nuper in Græciâ habitas, alteram pro imaginibus, alteram contra imagines, repudiare. Sed illam tamen quam hanc multò acriùs atque acerbius insectatur. Ait enim *in istis quidem fuisse levitatem, in illis verò atrocitatem; in istis imperitiam, in illis nequitiam*; istos vinum sacri eloquii, quo uti debuerant, aquæ permixtione, insipidum effecisse; illos veneno acuisse; Quò etiam pertinet quod alibi pronunciat imagines *abdicatas quandam incautam levitatem adferre; adoratas*

Id. l. 4. c. 4.
Id. l. 4. c. 21.
Id. l. 4. c. 9.

verò culpam juvare. Hanc ergo Nicænorum Synodum aggreditur, omniaque ejus firmamenta, atque argumenta sigillatim excutit, ac confutat. Ac primò quidem monet imagines nove ac periculosè *ſanctas* dici, quibus ſanctitas neque à naturâ ineſt, neque ab arte, aut à canonicâ aliquâ conſervatione accedit.
Lib.1. cap.2.
Explicat quo ſenſu Abrahamus Hethi filios, Iethronem Moyſes, Nathan Davidem, adoraſſe in Scripturis dicantur; nimirum ſalutationis gratia; neque iſta niſi perperam & imperitè ad imaginum adorationem trahi poſſe; quas nuſquam legimus à ſanctis vel tenuiter adoratas.
Lib.1.c.9.& 22.
Cætera loca ſoluit, quibus iſti cultum imaginum aut conſtituere, aut ſaltem incruſtare conabantur; quale illud eſt quod è Geneſi adducebant, Erexit Iacob titulum Deo, itemque quod Iacob adoraverit ſummitatem virgæ Ioſeph; quod propitiatorium, & duos Cherubim aureos, & arcam teſtamenti præcipiente Domino Moyſes fecerit; quod Iſraëlitæ purpuram hyacinthinam in fimbriis, in extremis veſtimentis poſuerint ad memoriam & cuſtodiam præceptorum; quo loco ſapienter oſtendit non poſſe veras ſanctorum virtutes imaginibus & picturis materialibus effingi vel doceri;
Lib.1.c.10. c. 13. c.15.16. 19. 20. Lib.1.c.17. c.18.

doceri; quod ſerpens æneus in deſerto à Moyſe erectus fuerit; ubi Ezechiam regem laudat, quod ſerpentem iſtum confringere non dubitaverit, cùm eum videret à populo adorari; quod Ioſue duodecim lapides ſtatuerit in Dei memoriam; quæ iidem ex Pſalmis afferebant, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*; & Lib.1.c.21.
Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites ple- c.23.
bis; &, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, &* c.24. c.29.
locum habitationis gloriæ tuæ; &, *Sicut audi-* c.30.
vimus, ita & vidimus; &, *Exaltate Domi-* Lib.2.c.5.
num Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus; quoniam ſanctus eſt; item, *ado-* c.6.
rate in monte ſancto ejus. Neque ad iſtorum cauſam pertinere demonſtrat, vel quod Salomon dicitur in templo feciſ-
ſe boves & leones, vel quod in Canti- c.9.
co legitur, *Oſtende mihi faciem tuam, & au-* c.10.
ditam fac mihi vocem tuam, quoniam vox tua ſuavis eſt mihi, & facies tua ſpecioſa; vel apud
Eſaiam, *Erit altare Domini in terra Ægypti*; c.11.
vel denique apud Matthæum, *Nemo ac-* c.12.
cendit lucernam, & ponit eam ſub modio. Carolus hæc & alia Scripturæ loca examinat, fuſèque demonſtrat ea partim incautè & abſurdè, partim etiam impudenter ad hanc cauſam à Patribus Nicænis detorqueri; identidem teſtans quam illi
conſtituunt, imaginum *adorationem neque* Lib.2.c.5.

per Patriarchas, neque per Prophetas, neque per Apostolos, neque per Apostolicos viros uspiam
L.2.c.25. vide etiam l.1.c.30 *institutam esse*, totoque secundi libri vicesimo quinto capite probat, *nusquam ab Apostolis exemplis, aut verbis institutum* fuisse imagines adorare. Respondet etiam ad ea, quæ ex Patribus afferebantur, ex Sylvestro [a], Athanasio [b], Ambrosio [c], Augustino [d], Gregorio Nysseno [e], Ioanne Chrysostomo [f], Cyrillo Alexandrino [g], Eusebio [h], Concilio VI [i]. Epiphaniique discipulis [k]. Eas itidem rationes refellit, quibus hic error frustra à Nicænis fuscatur; quales sunt; primò quæ obtenditur imaginum utilitas ad revocandam rerum divinarum memoriam [l]; secundò qui in republicâ Principum statuis defertur honos [m]; tum picturarum cum suis exemplaribus unio hujusmodi, ut earum honor in primam formam transeat [n]; deinde ea vis quam olim habuisse dicitur Polemonis Philosophi visa effigies ad nescioquem adolescentem ab adulterii perpetratione coërcendum [o]; quinto quæ reliquiis sanctorum martyrum, & confessorum exhibetur reverentia [p]; sextò signa, seu miracula, quæ per imagines fieri perhibentur [q]; septimò, Epiphanii silentium, qui adorationem imaginum in eo, quem contexuit, hæresium catalogo minimè

a *L.2.c.13.*
b *Ib.c.14.*
c *c.15.*
d *Ib.c.16.*
e *Ib.c.17.*
f *Ib.c.19. &* *l.3.c.20.*
g *l.2.c.20.*
h *Ib.c.18.*
i *l.4.c.15.*
k *l.4.c.19.*
l *l.2.c.22.*
m *l.3.c.15. & 29.*
n *l.3.c.16. & l.4.c.2.*
o *Lib.3.c.21.*
p *Ib.c.24.*
q *Ib.c.25.*

minimè commemoravit [a]; tandemque quod traditur Christum ad Abgarum Edessæ regem imaginem suam misisse [b]. Quæ verò diversam sententiam astruunt argumenta, ea pro virili tuetur; qualia hæc sunt, quod Scripturæ nusquam imaginum cultum instituerint [c]; quod contrà disertissimè vetuerint, ne quidquam præter unum Deum colatur, aut adoretur [d]; quod istius imaginum adorationis nulla vel à sex universalibus Conciliis, vel à Patribus in fidei suæ expositionibus facta est mentio [e]; quod ea à Gregorio Magno disertè rejicitur [f]; quo loco recitata libro superiori ex eo testimonia habentur.

a *lib.4. c.25.*
b *Ib. c.10.*
c *l.2. c.25.*
d *Ib. c.21. & 24.*
e *lib.2. c.23.*
f *l.3. c.6.*

Ac ne quis cavillator hic obtrudat solennem latriæ & duliæ, cultusve absoluti, & relativi distinctionem, Carolus omnem omnino adimit imaginibus in religione cultum, non adorationem modò divinitati debitam, sed etiam *cultum* [g], *observationem* [h], *venerationem* [i], honoremque eum qui *collo inflexo*, vel *capite summisso exhibetur* [k], vel *thuris, & luminarium oblatione* constat [l]: quæ voces cultum quemvis religiosum, etiam latriâ inferiorem complectuntur, eumque adeo, quem hodie Roma imaginibus deferendum putat. Vult enim Tridentina

g *l.2. c.23. & l.3. c.18.*
h *l.2. c.27.*
i *Ib. c.30.*
k *Ib. c.1.*
l *Ib. c.11.*
Conc. Triden. sess.25. decreto de sacr. imag.

Synodus fideles imagines *venerari*, *oſculari, & coram iis caput aperire, ac procumbere.* Præterea negat Carolus eam imaginibus exhibendam, vel venerationem, quæ ſanctis vitâ functis, vel adorationem quæ viventibus ex caritatis & ſalutationis officio exhibetur; hoc eſt civilem ſalutationem, quo infra religioſum cultum immane quantum ſubſidit. *Si igitur Angeli,* (inquit) *ſive homines,* &c. *minimè adorandi ſunt, ſalva adoratione, quæ caritatis, & ſalutationis officio exhibetur; multò minus imagines, quæ rationis expertes ſunt, nec ſalutatione, nec adoratione dignæ, eo quod inſenſatæ ſint, adorandæ ſunt.*

Car. M. de Im. l. 2. c. 21. c. 24. & 25.

Huc accedit, quod Carolus ne ſacris quidem Eccleſiæ vaſis æquiparari imagines patitur, aut divinarum Scripturarum codicibus; Nicæniſque iraſcitur, qui eas res inter ſe comparaverant. At qui imaginibus hodie defertur honos longo intervallo ſuperat eum, qui vaſis voluminibuſque ſacris in Eccleſia habetur. Tum Gregorii de hoc argumento ſententiam laudat, ac ſequitur; quem ex ſuperioribus conſtat minimè detuliſſe imaginibus eam venerationem, quam Nicæni poſtea, Romanique doctores tribuendam cenſuerunt. Adhæc paſſim ipſe diſertiſſimis verbis teſtatur ſe imagines, neque frangere,

Lib. 2. c. 29. & 30.

L. 2. c. 23.

frangere, neque adorare; Sed *ſecundum antiquam*, inquit, *Patrum, & Eccleſiaſticam traditionem eas in Eccleſia in ornamento, & memoria rerum geſtarum, ſi libet, habeamus.* Id.l.2.c.31.
Si alibi; *In baſilicis Sanctorum imagines, non ad adorandum, ſed ad memoriam rerum geſtarum, & ad venuſtatem parietum habere permittimus.* Rurſum alibi etiam diſertiùs; l.3.c.16.
Eas, inquit, *in ornamentis Eccleſiæ habere permittentes, modis omnibus ſpernimus adorationem*; quod argumento eſt nullum imaginum in Eccleſiâ uſum à Carolo probatum fuiſſe, præterquam ad ornatum & memoriam. Idem indignatur Sanctorum martyrum, & confeſſorum reliquiis & veſtibus imagines à Nicænis in honore coæquari. Nullam ergo omnino religioſam venerationem imaginibus exhibuit; cum apud omnes in confeſſo ſit, eam quæ reliquiis defertur longè infra latriam eſſe. Pugnat imaginibus minime deberi eam venerationem, quæ Dei locis exhibetur; ſive eo nomine baſilicas intelligamus, in quibus Deus colitur, ſive animas juſtorum hominum in quibus Deus per Spiritum habitat. Jam qui vel ſacris ædibus, vel fidelibus hominibus exhibetur honos, eum infinito intervallo à latriæ cultu diſtare nemo neſcit. Neceſſe igitur eſt, ut hunc ſcripto-

l.4.c.4.

l.3.c.24.

Id.l.3.c.27.& l.4.c.3.& 12.

rem fateamur non latriæ modò cultum, ſed eum etiam venerationis gradum imaginibus negaſſe, qui ipſis hodie à Romanæ communionis hominibus defertur. Sed quid argumentis opus eſt? Nonne is ea quæ olim à Nicænis & Romanis *ante ſanctorum imagines concinnantur luminaria, & adolentur thymiamata* palam, & verbis quidem acerbiſſimis inſectatur; Nonne iis hoc nomine *vaſaniam rationabiliter ſubſannandam* exprobrat? Nonne, quem damnat, hujus venerationis ritum ſic deſcribit, ut eumdem eſſe cum eo appareat, qui ab adverſariis uſurpatur? Nam de duarum pulcrarum fœminarum imaginibus verba faciens, quarum una Mariæ ſit, altera Veneris, *Iſta*, inquit, *quia ſuperſcriptionem Dei genitricis habet, erigitur, honoratur, oſculatur*; quæ nemo non videt eadem illa eſſe, quæ hodie fiunt. Eodem pertinet quod ille ſcribit libro quarto, capite viceſimo primo. Refert enim eo loco Beatam virginem pingi ſolitam, *aſelli* geſtamine vectam, puerum in ulnis ferentem, Joſeph prævio in Ægyptum deſcendentem. Ex eâ autem picturâ argumentatur, ſi imago Virginis adoranda ſit, adorandam itidem eſſe animantis imaginem, quod nullo pacto earum in adorando diremptio fieri poſſit; *aut utriuſque*

L.4.c.3. — L.4.c.16. — Id.l.4.c.21.

utriusque adoratio, inquit, *est spernenda, aut utræque sunt adorandæ*; Ergo cum hoc sit absurdissimum, illud ponendum atque confitendum esse concludit. Jam quis non intelligit eâ ratiocinatione quamlibet imaginum adorationem, seu absolutam, seu relativam, seu latriam, seu duliam, omninò funditusque subverti, cum istorum cultuum nullus, quantumvis exiguus, animantis imagini conveniat? *Cum ergo*, inquit, *altera ab altera dirimi sine discidio nequeat, & utræque, ne forte animantis imago adoretur, adorari non debeant, restat ut utræque adorationis honore careant* (cujuslibet profecto ac quomodocumque dictæ atque acceptæ adorationis, quippe cujus nulla pars, nulla species, aut gradus animantis imagini debeatur) *& ornamentorum solummodo in basilicis, aut in quibuslibet locis loca teneant, & aspicientibus rerum gestarum memoriam præbeant.*

Nicænos gravissimè exagitat, quod apocryphas, & derisione dignas nænias in hac causâ plurimas passim adhibuerint. Illam vero peculiari capite castigat de quodam retruso fabulam, qui cum à fornicationis dæmone impugnaretur, eidemque petenti, ne B. Virginis imaginem adoraret, juravisset se nemini id proditurum, remque omnem postea ad Ab- L.3.c.30.

batem Theodorum retuliſſet, conſulens quid facto opus eſſet; hoc ab eo reſponſum tulerit, *Commodius tibi eſt omnia in civitate lupanaria ingredi, quam abnegare adorationem imaginis Domini, aut ejus ſanctæ genitricis.* Hæc ſane narratio etiamnum legitur in Actis Synodi Nicænæ, ad quam, & merito quidem, ſic exclamat Carolus noſter, *O incomparabilis abſurditas! ô exitiabile malum! ô væſania multis væſaniis præferenda!* Sed præter ipſum ſuperſtitionis errorem Nicænos inſuper inhumanitatis accuſat, quod qui imagines confregerant eos non dubitaſſent cum Judæis, Chriſti hoſtibus & interfectoribus comparare, & quæ in hos à Prophetis prædicta erant illis adnectere & accommodare. Tum in præcipitem & inſolentem iſtorum audaciam invehitur, *qui totius mundi Eccleſias, priuſquam more Eccleſiaſtico per epiſtolare eloquium conſulendo, ſive ſcrutando allocuti eſſent, præſumptivè ſive incautè anathematizare conarentur. Debuerant enim*, inquit, *ad circumjacentium provinciarum Eccleſias legationem ſciſcitativam facere, utrum imagines adorari, aut non adorari deberent.* Sed illud eorum anathema *dementiſſimum*, ac vaniſſimum eſſe teſtatur, furoriſque & temeritatis plenum, *quod illis potiùs*, inquit, *quàm nobis jacturam impertiat*; poſtremò *tolerabilius*

Ib. c. 31.

Conc. 7. Act. 4.

L. 1. c. 26.

L. 3. c. 11.

esse ab istis exsecrari, quàm cum illis res insensatus contra divinarum Scripturarum instituta adorare. His itaque aliisque de causis Nicænam hanc Synodum *longè & ultrà quàm dici potest longè ab illa distare* ait, quæ olim in eadem urbe contra Arii perfidiam habita fuerat; *Cum illa*, inquit, *Ecclesiam Catholicam ab errore reducat; ista è contrario in errorem inducat; illa à periculosissimo Arii naufragio eam depellat; ista eam in adorandarum imaginum naufragium coactam impellat; illa Filium esse Patri consubstantialem, & coæternum perdoceat; ista res insensatas adorare percenseat,* &c. *in illa exsecrentur eorũ blasphemiæ qui Filium coessentialem Patri, nec credunt, nec fatentur; in ista abominetur eorum puritas, qui spreta picturarum adoratione, soli Deo se servituros strenua mente, & devoto pectore profitentur.* Tandem concludit Nicænam hanc Synodum cum neque universalis fidei inconvulsam habeat puritatem, neque ei per universarum Ecclesiarum gesta constet authoritas, frustra ac iniustè *universalis* elogium sibi arrogare.

Id. l.4. c.13.

l.4. c.28.

Eandem quoque fuisse Britannicæ Ecclesiæ de Nicæna Synodo sententiam docent quæ ex Regis Offæ vitâ refert Rogerius de Hoveden his verbis; *Anno* DCCXCII. *Carolus Rex Francorum misit Synodalem librum ad Britanniam sibi à Constantinopoli*

Rog. de Hoved. Annal. part. I.

poli directum; in quo libro multa inconvenientia, & vera fidei contraria reperiebantur; maximè quod penè omnium Orientalium Doctorum, non minùs, quam CCC. *vel eò ampliùs episcoporum, unamima assertione confirmatum fuerit imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam ex authoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro ex persona episcoporum, ac Principum nostrorum, Regi Francorum attulit.* Eadem narrat Matthæus Westmonasteriensis ad annum Domini DCCXCIII. quæ etiam apud Simeonem Dunelmensem, & in historiâ Roffensi. & in Saxonico sermone, parte ultima haberi testatur. Henricus Spelmannus Tomo I. Conciliorum Britanniæ. Atque ita excepta in Occidente fuit Nicæna ista secunda Synodus, ejusque novitium de adorandis imaginibus dogma.

Caput III.

Asseritur librorum de imaginibus auctoritas, ostenditurque contra adversariorum cavillationes eos aut ab ipso Carolo, aut certè ejus jussu scriptos esse.

Sed Albini quidem opus intercidit. De Caroli verò libris qui extant, quam

verum

verum sit, quod ait qui primus eos publici juris fecit, *nauseam fuisse Eccio cituros, si illo superstite in publicum exsiliissent*, id inquam quam vere dictum fuerit satis superque ostendit cæterorum Romanæ scholæ Theologorum exemplum. Eos enim sic commovit hoc volumen, ubi primum prodiit, ut nullas non contumelias in eos evomant, quos ejus auctores esse falsò suspicantur. Furit præ cæteris Surius monachus ex eorum grege, quos Carthusianos vocant; cumque nemo alius occurreret, in quem collectam bilem effunderet, homo impotentis animi, ac oris maledicentissimi in nostros involat, quos pro consuetâ modestiâ *hæreticos* appellat; affirmans putidâ eorum fraude typis excusos hodie esse sub Caroli Magni nomine hos de imaginibus libros non absque insigni contumeliâ tam Sancti & Catholici Principis. Alius nescio quis ex Suarezio ait in aliquo conventiculo hæreticorum, & imperitorum hominum scriptum fuisse id volumen, item ab aliquo vel aliquibus hæreticis, idque mendaciis & imposturis plenum esse affirmat.

Sur. Annot. in Conc. Franc.

Ib. alia annot. in Conc. Franc.

Sed istos quidem mittamus, iracundos & rabiosos homines, eosque iræ obsequi, ac æstum animi in convitia displodere

dere ſinamus. Rem vero ipſam attentius totam introſpiciamus. Principiò igitur non fuiſſe à quoquam hujus memoriæ auctore, minimè vero omnium à noſtrarum partium aliquo conſcriptos hos, qui de imaginibus Caroli nomine circumferuntur, de imaginibus libros, tam clarum & perſpicuum eſt, ut id nemo, niſi quem cauſæ ſtudium planè excæcarit, in dubium vocare poſſit. Quid enim eſt in ſingulis hujus operis partibus, ſive res ipſas ſpectes, ſive orationis characterem, quod vel noſtrum ſæculum ſapiat, vel Carolinis temporibus non ad amuſſim congruat? Neminem ego in hac cauſâ judicem defugerim, qui modò ſit vel mediocriter in hoc litterarum genere verſatus. Ac in primâ quidem operis editione, fateor neque urbis, in quâ excuſum fuit, neque viri, qui id excudendum curavit, nomen aſcriptum fuiſſe. Sed nemo jam neſcit paulò curioſior Ioannem Tilium, Meldenſem epiſcopum fuiſſe, qui hoc volumen Lutetiæ publicavit anno ſuperioris ſæculi quadrageſimo nono, ex codice manu exarato vetuſtiſſimo deſcriptum, quem ipſe in Præfatione narrat *in templo quodam majore auguſtiſſimo, ac totius Galliæ antiquiſſimo repertum.* Nondũ fuerat à Tridentinâ Synodo prohibitum

tum ne quis liber in publicum exiret ſine auctoris, & loci, in quo excuſus eſſet, nomine. Quod igitur nondum latâ hac lege licuit, eo cur uſus tum fuerit Tilius, ut ſine ſuo & typographi nomine hoc opus publicaret, facile quivis conjicere poteſt. Nimirum in ejus Eccleſiæ communione vivebat, in qua periculoſum eſt quidquam in lucem edere, quod publicè receptis ſententiis vel leviter repugnet, ut quotidie experiuntur, ſi qui ſunt iſtarum partium, qui ſibi ſuâ libertate utendum putent. Jam verò quid cauſæ eſt, cur in exſcribendo, & publicando hoc opere Tilii fidem ſuſpectam habeamus, Pontificii epiſcopi, & quidem Romanæ ſedi addictiſſimi, nobiſque infeſtiſſimi, ut ex eâ præfatione conſtat, quam Luciferi Calaritani operibus, ipſius quoque curâ editis, præfixit? Huc alia accedunt tam multa, tamque manifeſta veritatis argumenta, ut vix ullum veterem librum extare putem, cujus certior ſit & exploratior auctoritas. Nam fuiſſe à Carolo Magno ſcriptos libros de imaginibus quatuor teſtatus eſt jam inde ab anno ſuperioris ſæculi XXIX. Ioannes Eccius, nobilis Lutheri adverſarius; quamquam quod ait, non obſcure arguat ab eo vel non fuiſſe lectos, vel certè malignè diſſimulatam

Ecc. Ench. loc. comm. art. 16, edit. 1529.

mulatam

mulatam Carolinæ ſententiæ partem. Bernardus item Lutzemburgus, ordinis Prædicatorii frater, & ſacrarum litterarum Coloniæ Profeſſor tradit, Carolum Magnum contra certos hæreticos opus ſcripſiſſe in quatuor libros partitum; idque haberi Romæ in Vaticanâ Bibliothecâ. Auguſtinus verò Steuchus Eugubinus, Papalis Bibliothecarius, docet fuiſſe hunc codicem *vetuſtiſſimum litteris Longobardicis ſcriptum in Bibliotheca Palatina* (id eſt Vaticana) præfatuſque *non credenti videndi factum iri poteſtatem*: libri primi caput ſextum recitat totum, omninò quale legitur in hujus operis editione Tillianâ. Sed quid ego in his immoror, cum certiſſima, antiquiſſimaque, & ab ipſius Caroli temporibus repetita duo habeamus hujus rei argumenta? Quorum prius illud eſt, quod Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, de Nicæna Græcorum (ut loquitur) Pſeudoſynodo, à Francofordienſi Concilio deſtructâ & abdicatâ, verba faciens, hæc more ſubjungit; *De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore* (nimirum Carolo) *Romam eſt per quoſdam epiſcopos miſſum; In cujus voluminis quarto libro hæc de Vniverſalis nomine ſcripta ſunt*. Atque hoc loco Hincmarus viceſimum

Bern. Lutzen. in Catal. Hær. I. c. 14.

Steuch. l. 2. num. 60. de Donat. Conſtant.

Hincm. l. contr. Hincm. Laud. c. 20.

mum octavum libri quarti caput (exceptis paucis verbis, quæ initio capitis habentur) deſcribit, planè idèm cum eo, quod à Tillio eodem numero exhibetur. Quid poteſt ad fidem hujus libri firmandam clarius, aut diſertius deſiderari? Sed præter Hicmarum, idem quoque confirmat Adrianus Papa, is ipſe ad quem hic liber à Carolo miſſus fuerat; teſtis omni exceptione major; qui ſcriptâ de hoc argumento prolixâ epiſtolâ Carolo reſpondit. Ea autem epiſtola, & ab Yvone in quartâ Decreti parte non ſemel citata eſt, & hodie extat in omnibus Conciliorum editionibus, Nicænæque Synodi Actis ſubjici ſolet. Adrianus ergo principiò teſtatus quanto cum amore Engilbertum à Carolo miſſum excepiſſet, aureque placabili & mente benignâ audiviſſet, ita pergit; *Inter quæ*, inquit, *edidit nobis capitulare* (ſic enim dicebatur eo ſæculo liber in capita diſtinctus) *adverſus Synodum quæ pro ſacrarum imaginum erectione in Nicæa acta eſt.* Tum *per unumquodque capitulum reſponſum reddere* aggreditur. Capita omnia percurrit, eorumque titulos iiſdem omnino verbis, quibus hodie in Tilliana editione leguntur, expreſſos refert; ſinguliſque pro virili reſpondet; tantum immutato, quo ea hodie digeſta

ſunt, ordine, partibus operis pro arbitrio & libidine magis, quam ex naturali rei ipſius ratione diſtributis, atque collocatis. Verbi gratia quæ Carolus in quintum libri tertii caput contulerat, ad ea Adrianus tertio epiſtolæ ſuæ capite reſpondet; & quæ ille in primo ſecundi libri capite diſputaverat, hic in epiſtolæ decimo quinto capite diſcutit; cæteraque conſimiliter ſumma legitimi ordinis perturbatione, invertit, ac miſcet. Ad hæc Adrianus ſive brevitatis ſtudio, ſive aliâ de causâ, prætermiſſis pleriſque omnibus diſputationis Carolinæ firmamentis, titulos tantum & ſola capitum breviaria attingit. Vtcumque ſit, ex hac epiſtolâ certiſſimè conſtat; primum quidem Romam à Carolo miſſum fuiſſe de imaginibus volumen (quod ait Hincmarus) tùm id volumen, ſive cupitulare fuiſſe adverſus Synodum pro imaginum erectione Nicææ habitam (id enim diſertè pronunciat Adrianus) ac denique id opus illud ipſum eſſe, quod ante annos nonaginta Caroli Magni nomine, à Ioanne Tilio, Meldenſi epiſcopo, publicatum eſt. Eat nunc Surius, & cum ſuæ farinæ hominibus clamet, hos libros Carolo falsò, nec abſque inſigni contumeliâ tam Sancti & Catholici Principis, affingi.

Bellarminus his aliisve ejusdem generis rationibus adductus fatetur *hos libros sine dubio scriptos esse tempore Caroli, & quidem in Concilio Francofordiensi, ejusque acta continere.* Sed quamquam hæc concedat, negare tamen non veretur (quod quidem miror) hos libros verè esse Caroli; pertenditque ab aliquo hæretico composi-tos fuisse, & à Carolo ad Ponficem missos, ut eis responderet. Primùm enim ipsum Caroli nomen præferunt quæcumque hactenus visa sunt hujus voluminis exemplaria; ac duo illa in primis manuscripta, ex quorum altero cætera propagata sunt, Vaticanum inquam, & Tilianum; cujus hunc fuisse titulum Tilius ipse prodidit, *In nomine Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi incipit opus illustrissimi, & excellentissimi, seu spectabilis viri, Caroli nutu Dei, Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas provincias Domino opitulante regentis, contra Synodum quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolide sive arroganter gesta est.* Quo jure id sibi sumit Bellarminus, ut rerum titulos immutet, hæreticique auctoris esse jubeat optimi, & Christianissimi Principis opus? Sed (dicet adversarius) qui hos libros refellit Adrianus, sic agit, ut videatur putasse ab alio quam à Carolo

De Imag. c. 14. §. Primò.

Id. ib. c. 15. §. Quod Caroli.

compoſitos fuiſſe; Carolum quidem eorum auctorem eſſe nuſquam memorat. Fateor; ſed quis non videt Adriani interfuiſſe, ſic agere, quo Carolum minus læderet? Addit Bellarminus ex hiſtoriis Græcorum, & Latinorum conſtare Carolum Iconomachum non fuiſſe. Quaſi verò Iconoclaſta ſit horum librorum ſcriptor, qui Iconomachorum ſententiam ſexcentis locis repudiat, rejicit, condemnat. Nihilo firmius eſt, quod tertio loco ſubjicit Bellarminus Jonam Aurelianenſem appellaſſe Carolum Auguſtum *virum piiſſimum ac ſanctæ memoriæ*; quo elogio non videtur ornaturus fuiſſe hujus operis auctorem. Quidni? Amabo enim, quid cauſæ erat, cur Ionas hominem eadem ſecum ſentientem laudare vereretur? Nam imagines, neque cum Iconomachis frangit librorum Carolinorum auctor, neque cum Nicænis adorat Jonas Aurelianenſis, quod Bellarminus fruſtra ſomniare videtur. Id ejus deliramentum ſatis refellit ipſa Ionæ diſputatio; quæ imaginum & adorationem, & everſionem æque exagitat, eaſque (planè ut Carolinus liber) ſervandas quidem, non tamen venerandas pertendit, quod adeo clarum eſt, ut à doctioribus quibuſque adverſariis concedatur, à Baronio,

Ib. §. ſecundo.

Ib. §. tertio. Ion. Aurel. l. 1. de imag.

nio, ab iis qui in Ionam præfantur Tomo quarto Bibliothecæ Patrum, à Ioanne Mariâ de Brasighellâ, sacri Palatii Magistro in Indice expurgatorio, à Possevino Iesuitâ in Apparatus Appendice, ab ipso postremò Bellarmino in alio de Ecclesiæ Scriptoribus opere. Ex quibus etiam liquet, quam inane sit, quod Bellarminus quarto loco objicit, Pipinum Caroli patrem, Græcorum Iconoclastarum errorem Imperatoris Græci præsentibus legatis in Consilio quodam Gentiliaci coacto confutasse. Quasi verò eum errorem defendat, aut confirmet Carolini operis auctor; ac non disertissimè & quidem pluribus locis, condemnet. Quamquam ne id quidem certum est, quod sumit adversarius Iconoclastas in Gentiliacensi Concilio damnatos, aut confutatos à Pipino fuisse. In ea Synodo actum quidem esse de imaginibus, constat; quid verò de eo argumento ibi definitum fuerit, dubium & incertum est; neque vel Rhegino, vel Æmilius, quos Bellarminus testes laudat, usquam tradunt, (quod iste iis parum verecundè affingit) *Pipinum Regem Græcorum errorem contra sacras imagines confutasse.* Illa verò, quam hic quinto loco affert, Caroli & Adriani amicitia, atque conjunctio, non video

Bell. de Imag. c. 15. §. quarto.

Ib. §. quinto.

cur Carolum magis à ſcribendo, quam à mittendo hoc volumine deterrere debuerit; ut cum ab eo miſſum concedat Bellarminus, nihil ſit cur ab eodem componi non potuiſſe contendat. Duo illi Scriptores fateor alter alterius ſententiam haud perfunctoriè impugnant; ſed ita tamen, ut mutuam ſibi inter ſe reverentiam præſtent; utque Carolus de Adriano, deque ejus ſede magnificè ubique, multâque cum laude loquitur; ſic Adrianus de Carolo, deque ejus majeſtate ac pietate præclarè ſemper & honorificè memorat; idque eas arguit incolumi amicitiâ de hoc argumento diſſenſiſſe, & quamquam diverſa dogmata tuentes in cæteris conjunctos manſiſſe; quod ſæpenumero inter ſapientiſſimos quoſque Principes uſu venire nemo neſcit. Hodie certè palam eſt nonnullos cum Romano Pontifice amicitiam colere, quibus tamen nondum ille perſuadere potuit, ut Tridentinum Concilium ſuſciperent. Bellarminus poſtremò à ſtylo, & dicendi genere argumentatur, *Certum eſt*, inquit, *Carolum hominem Græcè & Latinè peritum, prudentem, & ingenioſum fuiſſe; libri autem iſti hominis barbari, imperiti, levis, ac pene ſtulti eſſe videntur.* Sed non animadvertit Bellarminus ſe, dùm huic ſcriptori tam

Bell. ib. §. Denique.

im-

impotenter maledicit, Carolum quoque ipſum, totumque illud ſæculum eâdem contumeliâ involuere. Libros iſtos à Carolo compoſitos negat: certe ad Adrianum, amiciſſimum, & conjunctiſſimum hominem miſſos non negat; (id enim diſertè affirmat ipſe Adrianus) certè in Caroli & Ludovici ſucceſſoris aulâ ſervatos, celebratos, lectitatos non negat; (id enim ſupra ex Hincmaro, oculato teſte, didicimus.) Hæc Bellarminus concedit; prætereaque addit (quamquam hoc quidem falsò, & imperitè) hos libros *ſcriptos videri in Concilio Francofordienſi, & acta Synodi Francofordienſis continere.* Quæ cùm ita ſint, nonnè honorificè de iſtorum captu & judicio ſentit, qui vult Francofordienſes quidem Patres *hominem barbarum, imperitum, ac pene ſtultum* colligendis ſuæ Synodi actis potiſſimum delegiſſe? Carolum verò ejuſdem ſcriptum Romam uſque per miniſtrum fidiſſimum ad Pontificem miſiſſe? eumque fuiſſe Ludovici, qui Carolo ſucceſſit, totiuſque Aulæ ſtuporem, ut tam ineptum volumen ſervarint, ac foverint? ac Hincmari denique, Rhemenſis Archiepiſcopi, tam pingue ingenium, ut in legendis hujuſmodi nugis bonas horas malè perdere, & ex iis capita aliquot ſuis diſputatio-

Id. Ib. c. 14. §. Primo.

nibus tota inserere voluerit? Neque ipse Adrianus, ille ter maximus Pontifex, (si stat Bellarmini de hoc scriptore judicium) ab hujus sive imprudentiæ, sive stultitiæ crimine immunis erit; qui operam collocarit in tam misero scripto confutando; neque Carolum de se, deque totâ Ecclesiâ optimè meritum Principem, vel uno verbo monere dignatus sit de intolerabili librorum istorum stultitia, atque barbarie? Profectò hic necessario confitendum est, vel Carolum, & Adrianum, & Hincmarum, Patresque Francofordienses sensu omnes communi caruisse, vel (quod potius reor) Bellarmini judicium caussæ studio corruptum, atque occæcatum fuisse. Quod præter debitam tantis nominibus reverentiam res ipsa quoque si penitiùs consideretur, omninò suadere videbitur. Quisquis enim quatuor istos de imaginibus libros purâ ab affectibus, & studiis mente legerit, comperiet haud paulò meliores esse, quàm censet Bellarminus; ejusque potius bili, quam ipsorum merito imputanda, quæ iste se in iis vidisse putat vitia; eosque si cum aliis eorumdem temporum scriptis accuratè comparaverit, facile intelliget vel præstantissimis illius sæculi ingeniis, Caroloque adeo ipso, nequaquam

quaquam indignos esse. Illud quidem affirmare non dubitem, quantumvis rudes, atq; inconditi fingantur, meram elegantiam, meramque eruditionem eos esse præ Adriani epistolâ; cujus tanta est in singularum partium collocatione perturbatio, tanta in sensibus ignavia, tanta in probando imbecillitas, in refellendo imperitia, in argumentando oscitantia, in eloquendo rusticitas, in recitandis denique testimoniis infidelitas, ut si ex stilo, dicendique genere de istorum operum auctoribus judicandum sit, multò minus hæc epistola Pontifici tribuenda sit, quam illud volumen Regi. Equidem non ignoto quantum sit discriminis inter illius sæculi tenebras, & nostrorum temporum lucem; tamen si (quod confidentissimè pronunciat Bellarminus) Carolinus iste liber pro *barbari*, *imperiti*, *ac pene stulti hominis* scripto haberi debet, non video quo loco, ac numero censenda erunt ipsius Bellarmini opera, quæ plurimis paralogismis, aliisque non paucis hujusmodi generis vitiis ac nævis laborare nemo est adeo ejus studiosus, qui negare possit. Sed jam ea expendamus, quibus nititur tam atrox, tamque arrogans Bellarmini censura. Scriptor ille *Constantinopolim*, inquit, *urbem notissimam*, *in Bithynia esse dicit*,
 cum

cum nemo nesciat esse in Thracia, *nisi forte* (nam etiam facetus eo loco esse voluit Bellarminus) *quia frequentes ibi terræmotus fiunt, solum mutaverit*; in eâque urbe Concilium pro cultu imaginum celebratum asserit, cum tamen Nicææ celebratum nemo sit, qui nesciat, nisi qui nihil legit. Tum quædam de Eucharistiâ dicta Patribus Nicænis tribuit, quæ non ipsorum, sed adversariorum erant. Hæc omnino sunt, quæ iste Carolinorum librorum scriptori objicit; & propter quæ eum *barbarum*, *imperitum*, *levem ac pene stultum*, appellandum existimavit. Quasi homo, in ultimo Occidente natus atque educatus *sine barbarie*, *& stultitia* nescire nequeat in Thraciane an in Bithyniâ sita sit Constantinopolis; Byzantii ne, an Nicææ celebrata sit ab Irene coacta pro imaginibus Synodus. Si tantum est hoc crimen, quid plerisque Patribus, etiam laudatissimis fiet, qui sæpe non levius, nonnunquam etiam gravius peccant? *Barbarusne* & *imperitus* censendus erit vel Basilius, qui Rhenum in Pyrenæis oriri facit? vel Epiphanius, qui Gangis ostia in freto Gaditano collocat, schismaque Meletianum planè aliter narrat, quam rerum veritas poscebat? Apage tam rigidos censores. Ne ipse quidem Bellarminus, partam scribendi

Bell. de imag. c. 15. §. Deniq.

Basil. hom. 3. in Hexaem.

Epiph. in Anchor. in Panar. 69.

ſcribendi laboribus doctrinæ atque acuminis famam tuebitur, ſi hac ſeveritate cum eo agatur. Adriano quidem Papæ multo mitius fuit jecur, qui iſta, quæ jam tragicè exagitant purpurati ipſius nepotes, adeo contempſit, ut ne attingenda quidem, vel notanda putaverit. Meritò, ut mihi quidem videtur; quod hujus generis peccata, nihil aliud ſint, quam mentis non ſatis attentæ hallucinationes, vel infirmioris memoriæ lapſus, qui ſæpenumero etiam optimis eruditiſſimiſque ingeniis excidunt. Quod verò hic ſcriptor Nicænis Iconoclaſtarum de Euchariſtiâ orationem tribuit, in eo fateor, gravius peccavit, non ſic tamen, ut idcirco calumniæ accuſari, tamque inhumane excipi debuerit. Clamat enim ipſe ejus liber non integrum Synodi Nicæni codicem, ſed quædam tantum excerpta legiſſe eum, quæ præcipua Synodicorum actorum capita continerent; inter quæ fieri potuit, ut imprudens hunc de euchariſtia articulum conjecerit quiſquis eorum auctor fuerat; & per incogitantiam ea verba Nicænorum eſſe putaverit, quæ revera ſunt iconomachorum. Nam etiam in iis, quæ nunc Græcè Latineque extant illius Concilii Actis cum Iconomachorum definitione ita permixta eſt Nicæ-

norum

norum confutatio, ita-que conserta & continuata utrorumque oratio (nullo alio discrimine, quam quòd Iconoclastarum verba à Gregorio quodam recitantur, Nicænorum verò ab Epiphanio diacono) ut quamquam librorum typis excusorum distinctiones longè clariores hodie sint, quàm olim fuerunt manuscriptorum, tamen in iis discernendis facile etiam sit nunc labi, nisi quis magnâ cum attentione totam illam operis partem legat. Quis ergo non videt ingenio suo abuti Bellarminum, causæque studio indulgere, dùm sic invidiosè peccatum exaggerat, quod non ab ipso Carolinorum librorum scriptore, sed ab eo, undè Nicænæ Synodi excerpta habuerat, & eo quidem ipso imprudente admissum fuisse verisimilimum est? Dolum enim abfuisse, res ipsa satis indicat; quippe cùm ex iis verbis, quæ Nicænæ Synodo tribuit, nihil ipsius causæ accedat, nihil adversariorum decedat. Quod verò ultimo loco Bellarminus objicit Carolinum hunc librum primò prodiisse sine editoris, vel impressoris, vel loci, ubi impressus est, nomine; id inquam jam à nobis supra discussum fuit. Quasi verò hic partus ideo spurius, aut illegitimus censeri debeat, quod tamdiu hominum vel igno-

Bell. de imag. c. 15. §. Accedat.

rantiâ;

rantiâ, vel fraude occultatus latuerit, neque eâ pompâ, quæ tanti parentis fœtum decebat, in lucem editus ſit. Itaque cùm futiles ſint, & vanæ omnes iſtæ Bellarmini cavillatiunculæ, tandem aliquando concludamus quod Vaticanum, & Tilianum exemplar præfert, hoc de imaginibus opus vere Caroli eſſe, hoc eſt Caroli vel manu, vel certè juſſu atque auctoritate conſcriptum; eâdem fortaſſe ratione, quâ Eccleſiaſticorum inſtitutorum codices ejus, & Ludovici Filii auſpiciis, atque imperio confecti, hodieque, quod nemo neſcit; de ipſorum Principum nomine *Caroli, & Ludovici Capitularia* appellantur. Nam Carolum hos libros vel exaraſſe ipſum, vel dictaſſe, nolim equidem contendere vehementius; quod rem obſcuram, & vetuſtam difficile ſit certò atque indubiè explorare. Sed quid nos Bellarminum vitiligantem moramur, cùm ipſe Carolus diſertè ac palam ſuum eſſe hoc opus non fateatur modo, ſed etiam clamet, ac prædicet, contra quem nefas eſt quemquam audiri, vel admitti repugnantem? Librorum enim iſtorum auctor Caroli perſonam ubique gerit, neque aliter, quàm Carolus ipſe loquitur; In primâ ſtatim totius operis præfatione, *Quoniam*, inquit, *in* Eccle-

ſiæ

siæ sinu regni gubernacula Domino tribuente suscepimus, necesse est, ut in ejus defensione, & ob ejus exaltationem Christo auxiliante, toto annisu certemus. Mox; *quod opus*, inquit, *aggreßi sumus cum cohibentia sacerdotum in regno à Deo nobis concesso catholicis gregibus Prælatorum, non arrogantiæ supercilio, sed zelo Dei, & veritatis studio.* Tùm libri primi capite sexto Pipinum Regem *venerandæ memoriæ genitorem suum* appellat, *illustrißimum atque excellentißimum virum*; cujus,
L. 1. c. 6. suâque curâ effectum ait, ut Gallicanæ, aliæque Occidentis Ecclesiæ in psallendi ordine publicâque modulatione Roma-
L. 2. c. 3. næ copularentur. Meminit etiam alicubi Legatorum sive suis, sive patris temporibus in Orientem destinatorum. Quis ullum alium credat, præter ipsum Carolum, aut aliquem ex ejus ministris ipso volente ac jubente, hæc loquuturum fuisse? Quis impostorem adeò perditum extitisse ullum putet, qui venerando tanti tamque gloriosi Principis nomini, ac majestati tam proterve illudere non dubitaret? tamque insolens drama ipsi offerre auderet? qui ejus neque os sacrum vereretur? neque iram & indignationem extimesceret? Fingamus tamen (quod nequaquam est credibile) adeò vilem fuisse hujus Regis apud suos majestatem, ut reperiri

reperiri tum potuerit, qui ludos iſtos ei faceret: Quid? ipſumne etiam Carolum celeberrimæ ſapientiæ Principem, tam fungum fuiſſe putabimus, ut accepto libro craſſam impudentiſſimi impoſtoris fraudem non modo non ſenſerit, aut vindicarit, ſed etiam deoſculatus fuerit, barbarique nebulonis facinus ſinu, regalique purpurâ exceptum Romam uſque ad Pontificem Adrianum, & quidem per intimæ familiaritatis virum, Engilbertum, ſuum olim in Berthâ filiâ generum miſerit? Quod ſi Carolo tam facile fuit imponere, quî factum ut ne Adriano quidem ipſi quicquam de illâ, quæ fingitur, fraude ſuboluerit? Iſne vel obeſæ adeò naris fuit, ut quod octo poſt ſæculis animadvertit Bellarminus, id deprehendere non potuerit? vel tàm duri & inhumani cordis, ut Carolum admonere gravatus ſit, verba ipſi data eſſe ab *homine barbaro, imperito, pene ſtulto?* Quis non videt Bellarmino alterutrum neceſſariò incumbere, ut vel nobiſcum fateatur, Caroli vere eſſe hos libros, vel certè defendat nihil vel inter Principes Carolo, vel inter Pontifices Adriano obtuſius, atq; craſſius unquam fuiſſe? Abſit verò, ut quicquam hujuſmodi de viris tanti nominis aut loquamur, aut cogitemus. Diſpereant omnes Bel-

Bellarminus argutiæ, atque cavillationes, potiùs, quam ut tanti Regis nomini tam fœda inuratur macula. Neque dubito, quin ipse Bellarminus longè malit omnem sibi subtilitatis laudem perire, quàm carissimi Pontificis probro redemptam servari. Cùm ergo hos de imaginibus libros pro suis Carolus agnoverit; cum id nomen præferre passus sit; cum ad Papam Adrianum miserit; neque vel Adrianus vel quisquam alius litem iis de auctore intenderit; cum eos denique hoc titulo insignitos tota Ludovici, Caroli filii, & successoris aula foverit, doctissimique eorumdem temporum Præsules lectitarint, ut ex Hincmari Rhemensis Archiepiscopi exemplo didicimus; conclusum tandem esto illos Caroli, eo quem diximus sensu, ut dicuntur, sic etiam revera esse. Bellarminus quicquid contra pugnet, rem tamen ita habere sibi conscius, duo hic objectat, ut eorum auctoritas nobis in hac causâ inutilis fiat; quorum alterum est, *etiamsi constaret Carolum hunc librum scripsisse, nihil nos aliud habituros, quam testimonium unius hominis laici, & militis.* Sed ille hic oblitus videtur, quod suprâ tamquam verisimile posuerat, contineri hoc volumine acta Synodi Francofordiensis. Solus ne Carolus Synodo

Bell. de imag. c. 15. §. Quod si etiam.

Ib c. 14. §. Primò.

nodo illi interfuit? Qui eò convenerunt, trecentos episcopos pro nihilóne habet Bellarminus? Sed fac libros istos nullam fuisse Francofordiensis Synodi partem; eò tamen minimè fiet, ut non ii contineant de Gallicanæ, Germanicæque Ecclesiæ sententiâ insigne, atque omni exceptione majus testimonium. Quis enim Carolum, Principem eruditissimum, atque religiosissimum, vel scripturum, vel certè auctoritate suâ confirmaturum id opus fuisse putaverit, quod Ecclesiæ Catholicæ, in cujus ille communione tantâ cum gloriâ vivebat, sensum, atque fidem oppugnaret? Quis si fecisset, tot tantosque Præsules, quibuscum reverenter, atque amicissime quotidie versabatur, tantum ejus peccatum dissimulaturos, ac non reprehensuros fuisse crediderit? præsertim cùm Francofordiam paucos post annos convenissent magno numero, Nunciorumque, ut loquuntur, Apostolicorum præsentiâ munirentur? Quis denique sibi persuaserit Adrianum, si Carolum seorsim aliquid sentientem animadvertisset, non ipsum admoniturum fuisse, ut suorum antistitum sententiam unà cum cæteris Ecclesiæ membris amplecteretur? Palam enim est hos libros antequam Francofordiense

Concilium haberetur, jam extitisse; cùm eos constet triennio post Synodum Nicænam scriptos fuisse (quod est à nobis supra jam observatum) adeoque triennio vel etiam quadriennio antè Francofordiense Concilium; omninoque verisimile videtur Francofordiensibus Patribus oblatos, approbatos, Synodicisque actis insertos fuisse; Romam postremò ad Adrianum missos, ut ex eo disceret, quibus maxime rationibus adducti secundam illam Nicænam Synodum repudiandam existimassent. Continent igitur hi libri non, (quod ait Bellarminus insigni Caroli contumeliâ) *unius hominis laici, & militis testimonium*, sed communem omnium Galliæ, & Germaniæ Ecclesiarum vocem; quibus tanti Principis calamo tanquam efficacissimo ac potentissimo quodam organo uti placuit ad ea quæ de hoc fidei capite sentiebant majori cum dignitate, atque auctoritate pronuncianda. Alterum verò Bellarmini objectamentum est, qualiscumque tandem sit istorum de imaginibus librorum auctoritas, nihil nos tamen indè consequuturos; *quòd eorum auctor disertè oppugnet nostra fere omnia dogmata*; apertè docens ad Romanum Pontificem pertinere ultimum judicium de fidei controversiis, oran-

Car. l. de imag. Præf. Gesta præterea est fermè ante triennium & altera Synodus illis in partibus.

Bell. de Imag. c. 15. §. Sed esto

orandum esse pro defunctis, Sanctos invocandos, reliquias venerandas, &c. *Si ergo volunt*, inquit, *nos credere huic auctori, cùm docet Nicænam Synodum errasse, credant eidem ipsi, cùm asserit tam multa, quæ jam enumeravimus.* Tu verò Bellarmine, qui hæc quæ enumerasti, hujus scriptoris dogmata admittis, cur non pariter admittis, quod is de Nicænâ Synodo censuit, & quod alicubi de Eucharistiâ infantibus dandâ tradidit? Si qua per te valent istius testimonia; cæteris cur tu idem fidem abrogandam censes? Dices eo te discrimine habere illa hujus auctoris placita, quod Romana Ecclesia (cujus vox est summa atque unica tuæ fidei norma) illa quidem priora probaverit, hæc verò posteriora rejecerit. Ego verò itidem respondeo me ea, quæ de Nicæna Synodo ab hoc scriptore affirmantur, recipere; ista alia, quæ diversis locis inserit, repudiare; quod illa quidem rationi, & Scripturarum veritati (quæ una est religionis meæ regula) consentanea sint, hæc verò non item. Si verum amamus, fatendum est, adversarii, neque nos, neque vos sanè (quamquam interdum aliter ad fucum rudibus faciendum jactatis) vel hunc Caroli librum, vel alia antiquitatis monumenta pro fidei regula habere. Nos

Car. Mag. de imag. l. 2. c. 27

quidem in iis ſimpliciter, ac bona fide quærimus, quæ ſuperiorum ſæculorum fuerit de illis religionis capitibus ſententia, quæ hodie invitis ac repugnantibus ſummâ vi ab Eccleſiæ Romanæ hominibus obtruduntur; ut ſic liqueat, utrum verius ſit, idne, quod iſti imperitis perſuaſum cupiunt, eumdem jam inde ab initio fuiſſe Chriſtianiſmum, qui nunc apud eos eſt, an quod nos docemus, paulatim hominum vitio incruſtatam, corruptamque fuiſſe traditam ab Apoſtolis doctrinam, in eam aliunde admiſſis variis partim vanis & inanibus, partim etiam falſis, & pernicioſis opinionibus. Ac nunc quidem de imaginum, qui à Romanis urgetur, cultu diſquiro. Eſto ergo Carolinus liber nobis in cæteris inutilis, eſto etiam in multis adverſus; Non eo tamen efficitur, ut, quod nunc probandum ſuſcepi, non validiſſimè conficiat, nimirum novam tum temporis apud Chriſtianos fuiſſe opinionem, quam vos nunc de imaginum adoratione tuemini, ipſoſque illos, quibus ne vos quidem *Catholicorum* nomen negare audetis, eam tum, ſic ut nos hodie, oppugnaſſe; Carolum inquam, totumque una Germaniæ, ac Gallicanæ Eccleſiæ clerum. Hoc mihi in præſentiâ ſatis eſt. De aliis capitibus, in

quibus

quibus ſcriptorem iſtum nobis adverſari contenditis, aliàs fortaſſe, ſi Deus dederit, videro; ac de Euchariſtiâ abundè jam à noſtris hominibus, & aliàs ſæpè, & nuper à reverendis viris Falcario & Albertino præſtitum; qui Carolum hunc veſtræ non magis tranſubſtantioni quàm imaginum adorationi favere, ſatis, ni fallor, demonſtrarunt. Nunc quidem in ſuſceptâ de imaginibus causâ pedem figemus, quod nobis ad ea, de quibus diſputatur, aperienda, ac in clarâ luce ponenda, neceſſarium eſſe videatur, ut ſingula controverſiarum capita ſeorſim, ac ſuo quæque ordine, ac loco pertractentur, omniſque rerum confuſio, ac perturbatio, quoad fieri poteſt, ſedulò vitetur. Verum, ut eò noſtra redeat, unde deflexerat oratio, nihil eſt in omni hac Bellarmini adverſus Carolinos libros diſputatione in ſpeciem gravius, quàm quod objicit eorum authorem Francofordienſi Synodo impoſuiſſe, duoque inſignia mendacia de Nicænis Patribus, quo ipſis invidiam conflaret, per ſummam calumniam obtruſiſſe; Vnum quidem, quod ii Synodicum decretum ſine conſenſu Papæ Romani feciſſent; alterum verò, quod definiviſſent, imagines cultu latriæ adorandas eſſe. Ac ad prio- *Bell. de imag. c. 14. §. Neque obſtat.*

rem quidem criminationem quod attinet, fateor Adrianum legatos ad Synodum Nicænam misisse, & quicquid in ea de imaginibus decretum fuit, non modo admisisse, sed etiam scriptis ad Constantinum litteris, ut decerneretur, summa vi, atque contentione annisum esse; ideoque alicubi affirmasse Synodi, vt vocant, Parisiensis auctores, *ex hujus* Adrianicæ *epistolæ textu Imperatorem, & clerum, simulque & populum* Orientis *auctoritatem sumentes Synodum fecisse.* Quod verò addit adversarius hoc Carolini operis scriptorem negavisse, contrariumque affirmasse, id equidem, quod meminerim, nusquam apud eum legi. Memini quidem Hincmarum, quadraginta circiter annis post editum à Carolo hoc opus scripsisse, *Nicænam Synodum de imaginibus definivisse sine auctoritate Apostolicæ Sedis.* Sed si deliravit Hincmarus, justumne est ideo plecti Carolum, alienumque peccatum præter fas luere? Neque illud sane dissimulo Carolini operis auctorem de Romanâ Sede magno semper cum honore loqui, sexto adeo primi libri capite demonstrandum suscipere, *quod ea Ecclesia cæteris prælata fuerit*, quodque *pro causis fidei, cùm quæstio surgit, omnino sit consulenda.* Sed quod hæc ita scripserit, non ex eo efficitur affirmasse illum

Syn. Paris. p. 627.

Hincm. Rhe. contr. Hincm. Laud. c. 20.

illum ſine Papæ conſenſu decretam à Nicænis fuiſſe imaginum adorationem. Synodi Pariſienſis Patres (quod infra ſuo loco luculentius explicabitur) quamquam Romanam Sedem effuſiſſimè laudent, nihilo tamen ſecius pronunciant Adrianum imaginum cultui faviſſe, eumque authoritate ſuâ confirmaſſe; quod etiam indiſcretè ab eo factum liberè profitentur. Sed quid ego Parienſem Synodum loquor? Nonne is ipſe Carolinorum librorum ſcriptor, qui arguitur, quaſi ſubdolè atque calumniosè Francofordienſibus perſuaſerit in Nicæna Synodo nullas fuiſſe Pontificis Romani partes, nonne inquam ille ipſe ſcriptas à Conſtantino & Irene de hoc argumento ad Papam Adrianum litteras diſertè nominat? Nonne ejuſdem Adriani cum Taraſio, Conſtantinopolitano Patriarchâ, primario imaginum patrono, conjunctionem memorat, cujus in hoc ipſo opere verba interdum confutat? Nonne preſbyterum quemdam Joannem nomine graviſſimè objurgat, quod *is temerariè & adulatoriè in participatione* Adriani & Taraſii hunc è Pſalmographo verſiculum inflexo & detorto Sancti Spiritus ſenſu protuliſſet, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia & pax ſe complexæ ſunt?* *Car. Mag. de Imag. l. 2. c. 4.*

ſunt? Hæccine iſte commemoraturus erat ſi (quod ab adverſariis fingitur) hominibus perſuadere cupiviſſet Adrianum imaginum adorationem improbaſſe, eamque à Taraſio, & cæteris Nicænæ Synodi Patribus, Adriano vel invito, vel neſciente, conſtitutam fuiſſe? Scivit ergo hic ſcriptor Adrianum cum Nicænis conſenſiſſe, eorumque errorem approbaſſe; Id ipſum tamen (fateor) conſtantiſſime reticuit, neque uſpiam diſertè Adriano exprobravit, quin & eum ipſum ejuſque ſedem magno ubique cum honore memoravit, laudibuſque non paucis exornavit. Sed hujus rei ratio minime obſcura eſt. Nam cum hoc ſuum de imaginibus opus Adriano Papæ mittere, eumque ab errore ad veritatem leniter revocare, atque reducere vellet; quis non intelligit omnino hoc ab iſto exegiſſe prudentiæ rationes, ut ita cum Papâ ageret? ſatiſque ad eum corrigendum fuiſſe errorem, quo laborabat, in Græcis caſtigare, alienoque ei, ut quidam ait, nomine de ipſo fabulam narrare? Eodem ſpectat, quod hominem laudat, nimirum, ut ſic delinitus ſe ſe libentius Carolo daret; quod erraſſe eum diſſimulat, ut errorem, tamquam nihil ad ſe pertinentem, tantò facilius deſereret. Sæpe enim accidit, ut falſus quidam

&

& iniquus pudor homines in errore confirmet; dum eum ejerare vel ob id ipſum cunctantur, ne erraſſe videantur. Eadem arte Chalcedonenſis Concilii Patres ante CCCXLI. annos apud Leonem, unum ex Adriani majoribus, uſi erant; cùm de iis privilegiis, quæ Conſtantinopolitanæ ſedi, fruſtrà intercedentibus ejus legatis, decreverant, magnâ cum reverentiâ ad eum ſcriberent, & hanc iſtorum contradictionem callidâ, & admirabili quadam interpretatione ſic acciperent, quaſi eo animo à Leonis Legatis facta eſſet, non quo inſtitutus in Synodo Chalcedonenſi ordo turbaretur, vel everteretur, ſed ut eum Leo ipſe princeps in Eccleſiâ conſtitueret, neve alius quiſquam hanc ipſi pulcherrimi facti laudem præriperet. Sequutis mox temporibus Pariſienſes Patres Ludovico Caroli filio, auctores fuerunt, ut id quoque prudentiæ temperamentum in hac eadem de imaginibus causâ adhiberet; nimirum ut Papam Eugenium multis laudibus ornatum ſibi, quoad fieri poſſet, conciliaret; ſoloſque Græcos reprehenderet, ac objurgaret; *Credimus itaque* (inquiebant illi) *quod illos reprehendendo, illisque compatiendo, iſtos verò demulcendo, laudando, & præferendo, eorumque auctoritatem magnis laudum præconiis efferendo,* *Syn. Par. in ep. 1. ad Imp.*

 do,

do, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ condignam laudem deferendo, veritatem tamen ex testimoniis Sanctarum Scripturarum, & sententiis Sanctorum Patrum in medium proferendo, & veraciter, sobrieque exponendo, poterit sanctißima vestra devotio, sicut optat, utrisque consulere. Inde ne concluseris Patres istos Ludovico persuadere voluisse Romam à Græcorum errore immunem fuisse? Minimè vero. Ibidem enim paulò antè satis disertè significaverant, Adrianum in Nicænâ Synodo tantum ad constituendum illud de imaginum cultu dogma contulisse, ut ejus auctor existimari posset: & quo tempore hæc ipsa scribebant, ajunt *partim veritatis ignorantia, partim peßimæ consuetudinis usu, hujus superstitionis pestem illis in partibus* (Romam autem & Italiam intelligunt) *inolevisse.* Ergo neque ex eo, quod Carolus eadem arte, atque œconomiâ hac eadem in causâ usus videtur; consequens est, ut hominibus persuadere voluisse putetur, sine Adriani consensu factum fuisse Nicænum de adorandis imaginibus decretum.

Ibid.

Jam ad alterum hujus scriptoris crimen venio, quo veram Nicænorum de hoc argumento sententiam occultasse, contrariamque iis, ut invidiam conflaret, affinxisse dicitur. Hoc Bellarminus ut probet,

Bell. de Imag. c. 14. §. Quod autem.

probet, aliquot loca recitat ex Synodi Nicænæ Actis, in quibus illi Patres negant se imagines latriâ colere, quod ea soli Deo debeatur; Carolinum verò librum ait imaginibus planè cōtra iis tribuere, quod Sanctorum eum cultum deferant, quo adoratur sanctissima Trinitas; atque inde concludit eum quisquis fuerit, scriptorem atrocissimæ calumniæ manifestum esse; subjicitque minimè id mirum videri debere, cùm nunc Magdeburgenses, & Calvinus scribere audeant Romanæ communionis homines colere imagines divinis honoribus, plane ut Deos, quantumvis ii & in libris editis, & in ipso Concilio Tridentino, disertè clament contrarium. Atque hæc quidem Bellarminus. Ego verò respondeo Carolum bonâ fide ea in medium sincera, atque integra attulisse, quæ in excerptis ex Nicænâ Synodo ad se missis habebantur; neque tolerabilem esse istorum audaciam, qui longè optimo Principi, tot jam sæculis in Domino quiescenti, nunc demum tantum, tamque immane crimen impingere non verentur. Ipse qui extat liber ejus innocentiam satis superque demonstrat. Nicæni non semel negaverant, se imagines, ut Deum, adorare. Sane; sed neque id dissimulavit ipse scriptor; aperteque

Ibid. §. Neque mirum.

teque & ſine fuco commemoravit hac eos diſtinctione uti ſolere; *Errorem*, inquit, *illi videntur plebibus ingerere palliatum. Ajunt enim, Non adoramus imagines, ut Deum, nec illis divini ſervitii cultum impendimus; ſed dùm illas aſpicimus, & adoramus, illò mentis noſtræ acumen defigimus, ubi eos, quorum illæ ſunt, eſſe non ignoramus.* Idem alibi de iiſdem verba faciens; *Ajunt enim; Benedixit Iacob Pharaonem, ſed non ut Deum benedixit. Adoramus nos imagines, ſed non ut Deum adoramus.* Nicæni iidem quem imaginibus tribuunt cultum, eum *condecentem honorem, & amplectibilem adorationem* vocant; quo à cultu uni Deo debito ſecernant. Neque hoc item tacuit Carolini voluminis auctor, qui hæc Euthymii Sardenſis epiſcopi in eâ Synodo verba recitat; *Ex toto corde ſuſcipio venerandas imagines cum condecenti honore, & amplectibili adoratione.* Iidem Patres ad tuendum ſuum dogma *adorandi* vocabulum accuratè interpretantur, quod ex etymi ratione nihil aliud eſſe volunt, quàm oſculari, aut amplecti. Neque hoc Carolini operis ſcriptor prætermiſit; ſed diſertè commemoratum refellit libri quarti capite viceſimo tertio. Iidem imaginem ab eo quod refert exemplari diſtinxerant, ut ex hujus dignitate illius honorem & cultum con-

Car. M. de Im. l. 3. c. 17.

Id. l. 1. c. 14.

Id. l. 3. c. 18.

constituerent. Hoc quoque referendum ac refutandum putavit idem scriptor. *Nam etsi à doctis quibusque*, inquit, *vitari possit, quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non quod sint, sed quid innuant venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his præter id, quod vident, venerantur & adorant.* Id. l. 3. c. 16.
Iidem denique Patres, ut ostenderent sui nequaquam fuisse consilii, ut debitus Deo cultus imaginibus exhiberetur, eum honorem commemoraverunt, quem rebus vasisque sacris, templis, reliquiis, cruci &c. passim tribuebat Ecclesia. Hæc ipsa quoque scriptor iste, uti supra demonstratum est, accuratè confutat, prolixeque disputat ne eum quidem imaginibus convenire honorem, quem hujusmodi rebus tribuere solebant. Hæc Nicænorum mysteria qui tam candidè, tamque ingenuè promit omnia, qui nihil eorum, quibus isti errorem suum fucari, aut incrustari posse putant, dissimulavit, aut prætermisit; quo jure malæ fidei accusant adversarii, quasi istis scelerata vafritie aliud affinxerit, quàm quod re verâ senserunt? Sed urget Bellarminus; ab hoc scriptore introduci Constantinum Constantiæ Cypri episcopum, in Nicænâ Synodo plane aliena *Bell. de imag. c. 14. §. His duobus.*
ab

ab ejus ſententiâ cenſentem. His enim verbis uſum fuiſſe Conſtantinum iſtum à Carolo refertur; *Suſcipio & amplector honorabiles, ſanctas, & venerandas imagines ſecundum ſervitium adorationis, quod conſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Enimverò ſi errori, quod ſolet, accidit, ut pugnantia loqueretur; ſi tot inter epiſcopos unus repertus eſt, qui longiùs quàm cæteri progreſſus id ipſum ſimpliciter ac bonâ fide confeſſus eſt, quod alios pudor diſſimulare, ac negare ſubigebat; cur id taceret Carolus? cur tam ſtultè adverſariis faveret, ut quod in eorum oratione duriſſimum, atque abſurdiſſimum inveniebat, id ipſe quaſi minime dictum præteriret? Nam ut hoc ſcriptoris hujus commentum eſſe credamus, qui verba illa, cum ea minime extarent in iis quæ habebat Concilii Nicæni excerptis, ipſe pro libidine finxerit, Conſtantinoque per meram calumniam tribuerit; ut ſic inquam ſentiamus, neque Caroli Magni nomen (cujus verum & genuinum eſſe hunc fœtum ſupra demonſtravimus) neque ipſius operis contextus, atque ſeries ſinunt. Sed neque credibile eſt, ab ipſo excerptorum auctore commiſſam fuiſſe hanc fraudem. Primum enim & ex rei ipſius circumſtantiis, & ex Hincmari, quod

Car. l. 3. c. 17.

quod infra afferemus, teſtimonio, omninò veriſimile videtur, quæ Carolus habuit Nicænæ Synodi ſive acta, ſive excerpta, ea Româ allata fuiſſe, qua in urbe, non eſt quod ſuſpicemur, quicquam in fraudem imaginum fictum fuiſſe. Præterea ex his, quæ ſunt à nobis proximè diſputata, manifeſtum eſt auctorem iſtorum excerptorum, quicumque tandem fuerit, ea optimâ fide retuliſſe, quibus Nicæni Patres imaginum cultum à Dei adoratione, atque ſervitio diſtinxerant. Profecto qui hæc non tacet, eum neque illa finxiſſe veriſimile eſt; qui ſi finxiſſet numquam iſta commemoraturus, aut in lucem prolaturus fuiſſe videtur, cum iis quæ finxiſſet, palam pugnantia. Tum ſi hæc Conſtantino à Carolinis libris falsò afficta fuiſſent, Adrianus Papa in reſponſione haud dubiè de calumniâ adeo horrendâ Carolum monuiſſet, & vel hoc argumento docuiſſet, quàm inſana, quamque ſcelerata eſſet eorum, qui Nicænæ Synodo adverſabantur, audacia atque improbitas. Atqui ille nihil hujuſmodi ad hunc locum reponit; ſed deſcripto titulo, qui in opere Carolino capiti decimoſeptimo libri ſecundi præfixus etiam hodie legitur, ubi ea habentur Conſtantini verba, quæ nuper recitavimus,

mus, hæc tantum responsionis vice subjicit; *Ex prava revertentes hæresi totis nisibus eorum tentaverunt Sanctæ catholicæ, & Apostolicæ in ipsorum confeßione satisfacere Ecclesiæ, & ideo talem adorationem confeßi sunt, pro sacris imaginibus credere, qualis in definitione Synodi constituta est inter cætera*; quo loco illam ipsam affert Nicænæ Synodi definitionem, quam supra exhibuimus. Atque hæc quidem est Adriani responsio, quæ (si bene ejus mentem capio) hoc significare videtur, istos episcopos, qui Iconoclastarum errorem ejerabant ut omnem ex audientium animis suspicionem abstergerent, cultum, quem imaginibus tribuendum putabant, efficacibus atque emphaticis verbis expressisse; sed ita tamen, ut eorum sententia sit ex ipsius, cui intererant, Synodi definitione interpretanda; neque adeo illam Constantini episcopi orationem, quantumvis duram, atque horridam, fraudi esse debere Concilio, cujus clara est & indubitata sententia infra latriam esse eum honorem, qui imaginibus defertur. Sed sive hic, sive alius sit Adrianæ responsionis sensus (neque enim causa est, cur de eo laboremus, aut contendamus vehementius) eam certè quæ Constantino à Carolo tribuitur orationem, cum neque mendacii, neque calumniæ

Adr. resp. ad Car. c. 9.

calumniæ accuset, satis superque verè ei tributam esse confitetur. Denique ipsa rerum, de quibus agitur, natura repugnat; ne vel à Carolo, vel ab iis, undè excerpta Nicænæ Synodi habuerat, admissam credamus tam crassam, tamque immanem fraudem, quæ, cum factum esset recens, nullo negotio detegi, atque revinci poterat. Neque Bellarminum, ut ei assentiamur, quicquam juvat, quod hic obtrudit Magdeburgensium, & Calvini exemplum. Nam quos hic comparat, ii si res ex ipsius sententiâ æstimetur, plurimùm inter se differunt, cum Calvinum & Magdeburgenses pro hæreticis habeat, Carolum verò, hujus libri verum parentem, in Sanctorum numero censeat, atque invocet, aut certe invocantes ferat. Huc accedit, rerum etiam, quam personarum majus discrimen. Nam verum quidem est Calvinum, & Protestantes scribere divinos honores imaginibus à Romanæ Communionis hominibus exhiberi; Sed falsissimum est quemquam eorum orationem alicui adversariorum de hoc argumento tribuisse, quæ ab eo nunquam esset habita. Hoc quidem si facerent à mendacio (fateor) excusari non possent. Illud verò, quod ajunt, *adversarios Sanctorum imagines divinis honoribus*

colere calumniâ vacat. Nam dùm ſic loquuntur, honores, qui imaginibus ab iſtis exhibentur, *divinos* eſſe, ſignificant, non ipſorum qui illos exhibent, confeſſione, ſed in ſeſe, & re ipſa, quicquid iſti de eorum naturâ, veroque elogio vel ſentiant, vel loquantur. Itaque ſi, quos adverſarii imaginibus exhibent honores, ii re verâ divini non ſunt, noſtri quidem homines, qui *divinos* eſſe ajunt, erraverint, falſi fuerint, & decepti, qui quod non eſt, id eſſe putaverint; mentiti, & calumniati minimè profectò fuerint, qui quod ſentiebant, id ſincerè & bona fide loquuti ſint. At in Caroli negotio res planè contra habet. Is enim non ex proprio ſenſu loquens ait Nicænos imaginibus latriæ cultum exhibere; ſed Conſtantinum unum ex iſtis inducit ipſum diſertiſſimis verbis affirmantem, quam defert imaginibus adorationem, eandem cum illâ eſſe, quam ſanctiſſimæ Trinitati emittebat; quæ (ſi quidem nihil iſte Conſtantinus dixit hujuſmodi) calumnia eſt uſque adeo immanis, ac prodigioſa, ut vix ſit credibile eam ulli homini vel communi ſenſu prædito in mentem unquam veniſſe, nedum Carolo Magno. Hæc igitur dixiſſe in Nicæna Synodo Conſtantinum affirmanti Carolo, potius quam negat

ganti Bellarmino, ipsius pace, credere nobis liceat. Duo sunt tantum quæ contra objici posse video; atque hoc quidem prius quod in iis quæ hodie extant Synodi VII. Actis nusquam comparent illa Constantini à Carolo allata verba; sed hæc cum illis ex adverso pugnantia. *Suscipio & amplector sanctas & venerandas imagines*, καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ Syn. 7. Act. 3.
ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω, *& adorationem, quæ fit secundum latriam tantummodo supersubstantiali, & vivificæ Trinitati emitto*; pro quibus verbis videri possit exemplar, quo usus est Carolinorum excerptorum auctor, hæc habuisse κατὰ λατρείαν προσκυνήσεως ἣν τῇ ὁμοουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω, *secundum servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificæ Trinitati emitto.* Sed hæc lectionis diversitas minimè efficit, ut à Constantino habita non fuerit oratio, quam ei Carolus tribuit; cùm ista Nicænæ Synodi acta multipliciter immutata, atque corrupta fuerint, ut ex eâ varietate apparet, quæ etiam hodie in ejus exemplaribus cernitur. Nam Actione secunda, in Adriani ad Constantinum epistolâ, plurima habet Anastasii versio de Romanæ sedis auctoritate, deque *Universalis* titulo, magnifica, quæ neque in Græco contextu, ne-

que in Latinâ veteri versione leguntur. Sic ejusdem Adriani ad Tarasium epistola planè alia est apud Anastasium, quam quæ in utraque illâ editione legitur. Actione verò quintâ *Episcopi universalis* elogium, quo Tarasius in Græco, Latinoque veteri exemplari insignitur, deest apud Anastasium. Si hæc, aliaque ejusdem generis hujus Concilii Actis aut adjecta, aut detracta fuerunt; quidni etiam illa à Carolo recitata Constantini verba, quod non viderentur cum aliorum ejusdem Synodi Patrum subtilioribus & callidioribus sententiis cohærere, immutata & emollita fuerint? Anastasii in Sedem, atque imagines Romanas studium satis superque notum est. Vtcumque sit, cum hujus dicti fides inter Carolum, qui id affirmat, & hodiernos Concilii codices, qui negant, dubia & ambigua pendeat, nulla causa videtur, cur tanti Principis testimonio eorum exemplarium auctoritatem anteferamus, quæ tam multas præferunt corruptionis notas. Sed aliud etiam est, quod objicitur; nimirum cæteros Nicænæ Synodi Patres tàm accuratè, tamque perspicuè eam, quam imaginibus decernunt adorationem à debito Trinitati cultu distinguere, ut non videatur verisimile, vel Constantinum,

vel

vel quemquam alium in eodem Concilio verba ista pronunciasse, quæ cum istis tam manifeste, tamque adversâ fronte pugnant. Sed in promptu est responsio. Primùm enim qui errorem aliquem defendendum susceperunt, iis raro inter se convenit. Quanta est inter ipsos adversarios de hoc eodem argumento opinionum diversitas? Alii negant omnino adorandam imaginem; ipsum tantum coram imagine exemplar adorari volunt. Qui verò ipsam etiam imaginem venerantur, rursum alii inferiore quodam cultu prosequendam putant, alii, & quidem nobilissimi, eumdem omnino honorem imagini & exemplari tribuunt. Atque his quidem nulla religio est affirmare, ac defendere Domini Christi imaginem latriâ adorandam esse. Jacobus certè Nanclantus, Clodiensis in Italiâ episcopus, fatendum esse ait *fideles in Ecclesia adorare imaginem sine quo voluerit scrupulo, quin & eo illam venerari cultu, quo & prototypum ejus; propter quod si illud*, inquit, *habet adorari latria, & illa habet adorari latria*; quæ profectò oratio omnino, si sensum spectes, eadem est cum illâ Constantini Cyprii sententiâ, quàm Bellarminus concoquere non potest. Si inter Romanæ communionis homines hæc

Iac. Nancl. ant. in ep. ad Rom. c. 1.

opinionum, atque orationis diverſitas locum habet, cur non eadem inter Nicænos Patres habere potuerit? ac ſi ea, quominus illi ejuſdem religionis, atque fidei cenſeantur, minimè efficit; cur prohibebit hujus Conſtantini ſingularis, & à cæteris diſcrepans oratio, quominus Nicænorum verus ac germanus frater habeatur, quorum ſententiam non tam evertit, quam extendit, atque amplificat, & quæ ex eâ conſequuntur, ſimpliciter, ac rotundè explicat? Nam in iis ſanè, quæ hodie extant, Concilii Nicæni actis, disertè ponit Joannes, Sedis Antiochenæ legatus, unam eamdemque eſſe imaginis, & exemplaris adorationem; undè illud porrò conſequi videtur, ut eodem, quo ſanctiſſima Trinitas adoratur, latriæ cultu adorandæ ſint ipſius ſaltem Trinitatis, Chriſtique Domini imagines; *Hic Pater* (inquit, de Baſilio loquens) *oſtendit non duas adorationes, ſed unam eſſe, & imaginis, & principalis* τȣ̃ ἀρχετύπȣ *cujus imago eſt.* Præterea utut dura ſit illa ſupra recitata Conſtantini ſententia, non tamen uſque adeò recedit à cæterorum ſenſu, ut non facilè poſſit recentes Romanæ Scholæ diſtinctiones, atque limitationes capere, iiſque emolliri, & ad communem Nicænorum mentem inflecti.

Syn. Nic. 2. Act. 4. p. 649.

cti. Neque aliæ quærendæ ſunt, quàm quas ipſe nobis Bellarminus & quidem in hac ipsâ diſputatione ſuppeditavit. Is enim quamquam neget ſecundum rei veritatem dici poſſe *adorari latria imagines*, tamen *per accidens vel improprie* id dici poſſe concedit. Quid ni ergo Conſtantinus duriorem illam ſuam elocutionem ſic purget, atque mitiget, ut quæ dixit ea ſe, non *per ſe ac proprie*, ſed *per accidens & improprie*, intellexiſſe cauſſetur? Fateor Bellarminum id ipſum, quod dici poſſe non negat, vetare tamen ne dicatur, præſertim in concione ad populum. Sed is indignè ferre non debet, quod latæ tam multis poſt ſæculis à ſe legi minus paruerit Conſtantinus; præſertim cùm hanc orationem, non apud populum, cujus iſte ſcandalum præcipuè veretur, ſed apud epiſcopos in mediâ Synodo haberet. Atque ex his ſatis, niſi fallor, apparet nihil omnino cauſæ eſſe, cur Nicænæ Synodi, de imaginum cultu ſententiam, à Carolo diſſimulatam, vel ad invidiam aliter, quam dicebat, acceptam & explicatam fuiſſe putemus. Sed contra pugnat Bellarminus, allato alio quodam teſtimonio quod ait in librorum Carolinorum præfatione haberi atque affirmari, Græcorum Synodum ſtatuiſſe, *ut qui imaginibus*

Bell. de Imag. l. 2. c. 22. §. Sexto.

Bell. ib. c. 14. §. His duobus.

 ginibus

ginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Ad hæc ego primum reſpondeo locum iſtum ad præſentem libri Carolini cauſam minimè pertinere. Verba enim hæc ſunt non Caroli in præfatione libri de imaginibus (quod Bellarminus videtur exiſtimaſſe) ſed Francofordienſis Synodi, quod poſtea fuſiùs demonſtrabimus. Itaque ſiquid calumniosè ea Nicænis affingunt, tota hujus criminis invidia non in Carolum, qui hæc nuſquam ſcribit, ſed in Patres Francofordienſes conferenda eſt, apud quos capite Synodi ſecundo iſta à Bellarmino recitata leguntur. Præterea ſecundo loco reſpondeo, iſtis verbis ſimpliciter ac bonâ fide explicatum eſſe, quænam eſſet Francofordienſium de Nicænæ Synodi dogmate ſententia, non autem quæ Nicænorum ipſorum de ſua definitione oratio. Decreverant Nicæni religioſum cultum imaginibus exhibendum; ſalutationis & adorationis honorem deferendum, incenſa & lumina offerenda, aliaque ejuſdem generis. Hoc quidem apud utroſque, Nicænos inquam & Francofordienſes, pariter in confeſſo eſt. Cæterum nova inde inter eos controverſia exſurgit; nimirum utrum iſte cultus, quem modo

modo descripsimus, quemque à Nicænis constat imaginibus decretum fuisse, idem sit, nec ne cum eo cultu, qui Deo exhibetur. Eumdem esse, negant Nicæni; ajunt Francofordienses; quod tùm ex supra descriptis eorum verbis patet, tùm ex Caroli testimonio (qui in eâdem proculdubio erat cum iis sententiâ.) Is enim disertè testatur nullum alium se religionis cultum agnoscere præter eum, qui Deo summo defertur; *Non mediocris error est*, inquit, *cùm aliud adoratur religionis cultu, quàm is, qui dixit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Itaque cùm Francofordienses Patres hic ex animi sui sententiâ, suo loco ac nomine verba faciant, nulla causa est cur insimuletur calumniæ hæc eorum oratio, quâ à Nicænis constitutum ajunt, *ut imaginibus Sanctorum ita ut deificæ Trinitati, servitium aut adoratio impenderetur.* Ipsi enim ita sentiebant, cultum à Nicænis imaginibus decretum ejusdem omnino generis esse cum eo, qui Trinitati defertur; quamquam Nicæni aliter præ se ferrent. Hanc eorum fuisse mentem satis arguunt vel ipsa hæc quibus utuntur verba, *imaginibus Sanctorum ita ut deificæ Trinitati, servitium aut adorationem impendere*; Hæc enim, ut cuivis manifestum est, minimè significant, *credere aut*

Car. M. l. 1. de Imag. c. 2.

profiteri imagines Deos esse, vel sanctissimæ Trinitatis personas, sed *cultum, qui Trinitati exhiberi solet, eum imaginibus deferre.* Jam procumbere, caput aperire, manus in obsecrantis morem obtendere, incensa & lumina offerre, preces coram fundere, & cætera hujusmodi, nonne ad eum cultum pertinent, qui Deo exhiberi solet? Ergo cum Nicæna Synodus eos, qui hæc imaginibus deferre nolunt, anathemate feriendos putaverit, clarum est eam (ex Francofordiensium quidem Patrum sententiâ) reverâ excommunicasse, qui imaginibus servitium ita ut Trinitati non impenderent. Atque hæc Francofordiensium Patrum de Nicænis oratio planè cum Protestantium quorumdam de hodiernâ Romæ Ecclesiâ sermone convenit, qui scribere & affirmare non dubitant, divinos eam honores imaginibus tribuere. Neque enim qui sic loquuntur, hoc volunt, Romam ipsam profiteri vel concedere divinos esse quos imaginibus largitur honores; Ab eo verò tantum absunt, ut ipsi ultro testentur hoc strenuè negare illarum partium Doctores; contraque pugnare, easque rationes, atque exceptiones in medium proferant, excutiant, atque confutent, quibus illi hanc caussam tueri solent, nitique, ut probent

probent divinum nequaquam esse, quem imaginibus exhibent cultum. Quis ergo tandem est ejus quâ isti utuntur orationis sensus? Hic nimirum, quos Roma imaginibus exhibet honores, eos utut ipsa reclamet, ac reluctetur, re verâ tamen divinos esse, atque hujusmodi, qui uni Deo deferendi sint. Hac enim in caussâ duo sunt, quæ quæruntur; prius quidem, an res ipsa sit; nimirum an Romanæ communionis homines, ea loca religiosè invisant, in quibus habentur consecratæ imagines, an ante eas procumbant, ac supplicent, & donaria offerant, lumina accendant, thura adoleant. Tum quid & quale hoc ipsum sit; cultusne religiosus, an alterius generis, adoratio ne latriæ an secus. Ac de priori quidem nulla est inter partes controversia; neque enim negant Romani se ista, quæ modò commemoravimus, & facere solere, & facienda putare. De posteriore verò omnis est, quæ inter eos versatur lis, atque dissensio; cultum istum, quem imaginibus tribui constat, divinum esse, atque hujusmodi, qui Deo soli in religione debeatur, hinc quidem affirmantibus Protestantibus, inde verò negantibus adversariis. Vtrisque igitur in hac disputatione concedendum est, ut ex animi sui

sen-

ſententiâ loquantur ; cultumque illum, de cujus genere ac definitione inter ſe diſſentiunt, ex ſuo quiſque, non autem ex oppoſitæ partis ſenſu, atque arbitrio indigitent. Vndè conſequitur vanam, & iniquam eſſe, quam Bellarminus Calvino, ac Magdeburgenſibus ſcribit ſycophantiæ dicam, quod dixerint imagines ab adverſariis divinis honoribus planè ut Deos, coli; nec juſtius adeo, aut verius eſſe, quod Francofordienſibus itidem impingit calumniæ in Nicænos crimen; præſertim ſi, quod iſte velle debet, eadem in hoc argumento libertate verſati ſunt Nicænæ Synodi Patres, quam hodie in Romanis ſcholis obtinere cernimus; in quibus conſtat Magiſtros extitiſſe neque ignobiles, neque gregarios, qui Dei cruciſque imaginibus latriæ adorationem tribuendam eſſe palam (ut eſt à nobis in ſuperioribus obſervatum) contendere non dubitarint.

CAPUT IV.

Secundi in Nicæa Concilii de imaginibus definitio anno 794. à Synodo Francofordiensi abrogatur; Explicatur ejus Synodi decretum & ab adversariorum cavillationibus vindicatur.

SED cum hactenus Carolini operis auctoritatem abundè asseruerimus, jam ad ipsum Francofordiensium Patrum decretum veniamus. Carolus enim quarto post confectum illud volumen anno, numerosissimam Synodum Francofordiæ ad Mœnum habuit; convocatis ex Galliâ, Britanniâ, Germaniâ, atque Italiâ ccc minimùm Episcopis, qui damnatâ in primis Elipandi Toletani, ac Felicis Vrgelitani episcoporum, aliorumque aliquot Hispanorum hæresi, de imaginibus postmodùm egerunt, & quod in earum gratiam Græci præsules in Nicæâ nuper ab Irene coacti decreverant, id gravissimis verbis notatum hunc in modum abrogaverunt. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes* Syn. Franc. Can. 2.

nuentes

nuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt. Atque hoc quidem fuit Synodi Francofordienſis de novâ Nicænorum definitione judicium; quod Carolini operis ſupra recitatis ſententiis ad amuſſim congruit. Hîc verò magna eſt adverſariorum trepidatio, atque æſtuatio, quod eam Synodum, quæ apud ipſos ſeptimæ univerſalis numero, ac nomine cenſetur, cujuſque decreta, veluti totidem fidei canones ſummo in honore habentur, eam longè nobiliſſimi, atque ampliſſimi conventûs voce adeò exſertè rejici, ac damnari vident. Sed hominibus ſua per fas, nefaſque ad ultimum tueri, ac tenere certis nequaquam in hoc diſputationis articulo deeſt ſolennis ubique audacia, frontiſque durities. Cæterùm (quod eorum ſemper fatum eſt, qui verum oppugnant) inter ſe diſcordes in diverſiſſimas ſententias abeunt. Is enim (de quo à nobis ſuprà memoratum eſt) Alanus Copus negat Synodum illam ab Irene, & Taraſio Nicææ ad reſtituendum imaginum cultum habitam, illam inquam negat à Francofordienſibus Patribus damnatam fuiſſe. Confirmatam imo ab iis pertendit homo immanis confidentiæ; neque aliam in iſto Concilio rejectam fuiſſe Synodum, quam quæ ab Icono-

Al. Cop. Dial. 4. c. 18. & 19. Dial. 5. c. 12. & 13.

Iconoclastis anno Christi DCCLIV. Constantinopoli tribus & triginta ante Nicænam annis ad evertendas imagines celebrata fuerat. Alanum sequitur Gregorius de Valentiâ. Bellarminus verò, & Baronius, cùm paulò impudentiorem esse animadverterent hanc respondendi rationem, meritòque vererentur nè adeò projecta audacia in desperatæ causæ argumentum ab adversariis raperetur, ad aliam technam sibi confugiendum esse putarunt. Concedunt enim isti, quod apertius est, quàm ut negari queat, *in Synodo Francofordiensi verè reprobatam fuisse Nicænam secundam Synodum, sed per errorem,* & ut loquuntur, *materialiter* id factum contendunt; cùm boni Patres à malevolis hominibus, maximè autem ab auctore librorum Carolinorum, ut vult Bellarminus, decepti crederent in Synodo Nicænâ definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriæ, idque decretum à Græcis sine consensu Papæ Romani factum fuisse; Non esse mirandum, quod his duobus mendaciis pro veritate habitis, Nicænam Synodum, tamquam profanam, & illegitimam reprobaverint; longeque aliter facturos fuisse, si quæ verè fuerit Nicænorum sententia, intellexissent; nimirum imaginibus relativum

Greg. de Val. de idol. l. 2. c. 7.

Bell. de Imag. c. 14. § Neque obstat.

tivum

tivum tantùm & honorarium cultum esse tribuendum, cùm ipsi quoque idem re verâ sentirent. Perronius eamdem quoque stropham in hac causâ adhibet, suorumque hominum commentum, vel certè conjecturam, in historiam commutans, seriò nobis narrat *execrabili Iconoclastarum artificio, atque calumnia conficta, & in Occidente disseminata fuisse Nicanæ Synodi excerpta*; remque non aliter adfirmat, quàm si eam vel ipse præsens inspexisset, vel à gravi aliquo & idoneo illius memoriæ teste accepisset. Gabriel verò Vasques, & Franciscus Suares Jesuitæ, Biniusque Coloniensis Canonicus, qui Concilia nuperrimè edidit, repudiato hoc figmento, quòd absurdum, atque incredibile videretur, Alani responsionem præferunt, & monstrum à duobus Cardinalibus confossum, atque profligatum, suscitare, ac in vitam postliminiò revocare moliuntur. Neque enim isti satis habent diversas, & à se invicem discrepantes sententias sequi, sed, quo majorem, credo, à nobis ineant gratiam alii aliorum placita haud segniter evertunt; quo in conflictu sic se gerunt, ut justus quidem ac fœlix sit singulorum in alienis oppugnandis, ac diruendis labor; inanis verò omnium in suis constituendis atque defendendis

Du Perr. Refut. p. 170.

dendis conatus. Nos eorum certamina ſpectabimus, neque ſic tamen feriabimur, ut non etiam ipſi conſeramus manus, ſi quando hanc à nobis operam vel mendacii confutatio, vel veritatis confirmatio poſtulabit. Bellarminus in aciem princeps prodit, qui Alani reſponſionem refellere aggreditur, hæc civiliter ſane, & urbanè præfatus, *Hanc ſententiam*, inquit, *optarem eſſe veram, ſed tamen ſuſpicor eſſe falſam.* Tùm tribus argumentis probat Synodum de imaginibus in Concilio Francofordienſi damnatam, eam verè eſſe Nicænam. Primò quidem, quod libri Carolini ſine dubio tempore Caroli, & quidem (ut videri ait) in Synodo Francofordienſi ſcripti, verè Nicænam Synodum refutent. Secundò quod auctores antiqui omnes in hoc conveniant, quod in Concilio Francofordienſi ſit reprobata VII. Synodus, quæ adorandas imagines decreverat. Ac de libris quidem Carolinis, à quibus primum argumentum ducit Bellarminus, ſuprà abundè dictum puto. Alterius verò argumenti confirmatio exigit, ut veteres aliquot ſcriptores hoc loco excitemus de Francofordienſi Synodo teſtimonium dicturos. Quorum primus eſto auctor vitæ Caroli Magni à Clar. viro P. Pithoeo publicatus. Is,

Bell. de Imag. c. 14. §. Multi autem.

quo loco de Concilio Francofordiensi memorat, disertissime affirmat in eo rejectam fuisse Græcorum pro imaginibus Synodum. Nam præfatus Carolum Pascha Francofordiæ egisse, *Et ibi*, inquit, *congregata est Synodus magna episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum in præsentia ejus. Ibi fuerunt missi Domini Apostolici Adriani Theophylactus, & Stephanus episcopi, & ibi tertiò damnaverunt hæresim Fælicianam; quam damnationem per auctoritatem sanctorum Patrum in libro conscripserunt, quem librũ omnes sacerdotes propriis manibus subscribendo confirmarunt. Ibi obiit Fastrada Regina, & ad S. Albanum sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant pro imaginibus, rejecta est à Pontificibus.* Id ipsum ad ann. DCCXCIV. iisdem pænè verbis testantur Annales Francorum ab anno Christi DCCIV. ad DCCCLXXXIII. continuati; *Synodus habita in Franconofurt, in qua hæresis Fæliciana coram episcopis Germaniarum, & Galliarum, Italorumq; præsente magno Principe Carolo, & missis Adriani Apostolici Theophylacto, & Stephano episcopis, tertiò damnata est, & rata stipulatione damnatio roborata. Fastrada Regina moritur, & Moguntiæ apud Sanctum Albanum honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imagibus habita, & falsò septima vocata, ab episcopis damnatur.* Adhelmus Benedictinus

Vita Car. M.

Ann. Franc. ad an. 794.

ctinus de Synodo Francorfordiensi eadem in Annalibus loquutus, *Synodus etiam,* inquit, *quæ paucos ante annos Constantinopoli sub Helena, & Constantino Filio ejus congregata, & ab ipsis non tantùm septima, verùm etiam universalis est appellata, ut nec septima, nec universalis diceretur, haberetúrque, quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est.* Eadem in Annalibus, & Chronicis ad annum DCCXCIV. produnt Strabus, Fuldensis Monachus, Rhegino Prumiensis, Vrspergensis Abbas, & Hermannus Contractus. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, , quem quinquagesimo, aut circiter post Francofordiensem Synodum anno floruisse constat, in epistolâ ad Hincmarum nepotem, *Septima,* inquit, *apud Græcos vocata universalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas; quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolicæ Sedis non longè ante nostra tempora Constantinopoli est à quam plurimis episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vndè tempore Karoli Magni Imperatoris, jußione Apostolicæ sedis generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore celebrata, & secundum Scripturarum tramitem traditionemq; majorum, ipsa græcorũ pseudosynodus destructa,*

Adhel. Bened. ad an. 794.

Hincm. opusc. 55. cap. cap. 20

& penitus abdicata : de cujus destructione non modicum volumen , quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam episcopos missum , in cujus voluminis quarto libro hæc de Vniversalis nomine scripta sunt. Quo loco describit Hincmarus ex opere Carolino libri quarti caput XXVIII. omninò quale hodie extat in codicibus editis. Vndè manifestum est, quæ Francofordiæ damnata est Synodus, eam ipsam esse, quam Carolus in his libris exagitat, & refellit, hoc est (quod omnes confitentur) Nicænam illam secundam , quæ cultum imaginum constituit. Ado Viennensis,qui non amplius quàm quinquaginta annis post Francofordiensis Synodi tempora vixisse perhibetur, postquàm in Chronico pauca de eâ dixit, deque Fælicis Vrgelitani condemnatione,hæc subjicit: *Sed pseudosynodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus,abdicata penitùs.* Idem etiam produnt Chronicum Missiacense, desinens in annum Domini DCCCVIII. Annales Cœnobii Bertiniani, qui desinunt in annum Domini DCCCLXXXII. & Metenses, cœnobii Sancti Arnulfi, qui in annum DCCCCIII. Quibus addendi sunt Francorum annales manuscripti Tilii ab anno Domini DCCVIII. ad DCCCVIII.

Ado Chron. ætate 6. ad an. Christ. 794.

VIII. Annales item Francorum ex manuſcripto Petavii ab anno DCCLXIX. ad DCCCVI. Annales Francorum ex manuſcripto Loiſelli ab anno Domini DCCXLI. ad annum DCCCXIV. Annales Poëtæ Saxonici libro quarto ad annum Domini DCCXCIV. Annales Eginhardi; Caroli vita ab Ademaro, Sancti Eparchii monacho, ſcripta, ac poſtremò Aimoinus, libro quarto, capite LXXXV. & Aventinus. Atque hi teſtes, qui ſunt omnes XX. quique plerique temporibus Carolino ſæculo proximis vixerunt, unâ voce ita de Synodo Francofordienſi affirmant. Jam vide quæſo, quæ ſit eorum hominum frons, qui tam claro, tam idoneo, tam ab omni parte confirmato teſtimonio reclamare non verentur, ac præter omnium veterum fidem contendere Nicænum Concilium à Francofordienſi confirmatum fuiſſe; Vide an non meritò tàm impudentem audaciam exhorruerint Bellarminus, ac Baronius Cardinales. Sed pugnant illi tamen, tantamque auctoritatem levibus argumentis labefactare conantur. In primis verò objiciunt, quod ex iſtis ſcriptoribus nonnulli, ut Adhelmus, ut Vrſpergenſis Abbas, ut Aimoinus, ut ipſe etiam Hincmarus, ajunt

quod rejectum est à Francofordiensibus Concilium, id Constantinopoli habitum fuisse. Sed hæc objectio nihili est. Nam primò fieri potest, ut auctores isti *Constantinopolim*, pro Orientalis imperii provinciis, quarum Constantinopolis erat caput, usurpaverint, ac si dixissent istam Synodum in Oriente fuisse celebratam, ut solent sæpè Romæ, Babylonis, aliarumque principum civitatum nomina sumi pro totis imperiis, quæ iis subjecta sunt. Atque hæc est clariss. viri, ac venerandi in Christo fratris Davidis Blondelli, quem honoris causâ nomino, de his scriptorum istorum locis sententia. Bellarminus verò aliter respondet, conceditque per errorem *Constantinopolim* ab iis pro *Nicæa* nominatam; sed ita tamen, ut eam ipsam Synodum, quæ Nicææ habita est, in animo habuerint; vultque erroris illius fontem fuisse Carolini operis Scriptorem, qui cùm vel lapsu memoriæ, vel ex imperitiâ Synodum hanc Constantinopoli habitam fuisse scripsisset, indè in cæteros manasse errorem. Quibus adjici potest eò procliviorem hîc fuisse lapsum, quod ea Synodus Constantinopolim primò indicta fuisset, undè mox Nicæam ob militum, & populi tumultum, ex occasione translata est. Ac de Carolo quidem

Bell. de Imag. c. 14. §. Neque obstat.

dem ambigi non poteſt, quin is Nicænam Synodum intellexerit, cùm ei, de quâ loquitur, Synodo cultum imaginum tribuat; cùm Nicænorum Patrum nomina, & ſententias paſſim toto opere referat, ac confutet; cùm alibi diſertè, nec ſemel teſtetur, quam oppugnat Synodum Nicææ in Bythiniâ fuiſſe habitam, & ex eâ occaſione illam ſatis prolixam, de quâ ſupra memoravimus, comparationem inſtituat Nicæni hujus poſterioris Concilii cum priore, in quo Arius olim damnatus fuerat. Quemadmodum igitur quod is ſcriptor, quam refellit Synodum Conſtantinopoli celebratam fuiſſe per incogitantiam dixit, id minimè prohibet, quo minùs eum omnes ſignificaſſe confiteantur Synodum illam, quæ vulgò VII. univerſalis dicitur, quæque imaginum cultum conſtituit; ita ſanè neque cæterorum, qui itidem peccaverunt, error nos commovere debet, quin ipſos de eadem illâ Synodo, nimirùm Nicænâ, intellexiſſe ſentiamus. Hanc enim ſuam verè fuiſſe mentem, ipſi ſatis, ſuperque clamant. Nam Vrſpergenſis Abbas, Adhelmus, & Aimoinus, itidemque Eginhardus, Poëta Saxonicus, & Pariſienſis Synodus dicunt id, de quo loquuntur, Concilium ſub Conſtantino, & Irene

Car. M. l. 4. de de Imag. c. 13.

celebratum fuisse; quod Nicænæ soli, nequaquam verò Constantinopolitanę Iconoclastarum Synodo convenit. Hincmarus similiter eam, de quâ verba facit Synodum Caroli Magni tempore celebratam fuisse significat, & à Papâ Romano in Franciam directam; quæ in Nicænam quidem Synodum optimè conveniunt, quam regni Carolini anno XXVI. habitam fuisse constat; minimè verò in Constantinopolitanam, quæ regnante Pipino celebrata fuerat, annis tredecim antequàm Carolus regnare cœpisset. Prætereà quod tradit Hincmarus illam à Francofordiensibus abdicatam Synodum à Carolo magno eo ipso volumine, quod etiam nunc extat, confutatam quoque fuisse; id inquam, dubitare nos non sinit, quin illis verbis Nicænam intellexerit. Denique scriptores isti pænè omnes affirmant eam, quæ Francofordiæ reprobata est, Synodum cultum imaginum decrevisse; id verò de nullâ aliâ, præterquàm de Nicænâ, dici potest; minimè verò omnium de Constantinopolitanâ, quæ imperante Copronymo imagines non modo adorandas non censuit, sed frangendas atque abolendas esse decrevit. Quid ad hæc adversarii? Eorum verò neque studium usquam est, quàm hoc loco,
impo-

impotentius, neque major aut iniquior pervicacia. Nam fronte perfrictâ audent in omnes istos scriptores cornua obvertere; & alii quidem pertendere minimè eos vel sensisse, vel scripsisse, quæ modò summo consensu loquentes, testantesque audivimus; alii verò scripsisse quidem, sed falso, vel hallucinatos, vel alienâ fraude deceptos, atque circumventos. Priores igitur illi quæcumque laudavimus veterum testimonia ea vel perperam intellecta, vel corrupta & vitiata, vel denique ficta & commentitia esse contendunt. Inter ea, quæ malè ac præter auctorum mentem accipi à nobis ajunt, Adonis Viennensis locum hunc recensent, *Pseudosynodus, quam septimam Græci appellant pro adorandis imaginibus abdicata penitus.* Ajunt enim illa vocabula *pro adorandis imaginibus* non esse conjungenda cum præcedentibus; sed cum subsequentibus interposito commate hoc modo, *Pseudosynodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus*; ut sensus sit penitus abdicatam esse in defensionem adorationis imaginum. Sed quod isti prædicant hujus responsionis acumen, id verò crassum, & obtusum est, atque hujusmodi quod neque cum Latinæ linguæ usu, neque cum

T.6. Conc. Annot. in Concil. Francof.

historiæ veritate consistere potest. Vbi enim umquam vel apud ipsum Adonem, vel apud ullum alium Latinum scriptorem hujusmodi phrasim legerunt, *abdicata est penitus pro adorandis imaginibus*, hoc sensu, *eo animo atque consilio abdicata est, ut adorarentur imagines?* Quis verò est usque adeò hujus causæ studio occæcatus, qui non intelligat illa Adonis nuper recitata verba, vel omnino cassa, & inania esse, vel hoc quod diximus significare, nempè penitus abdicatam fuisse eam Synodum, quæ à Græcis pro imaginum adoratione habita erat? Et Reginonem quidem, Adonis propemodum æqualem, hoc sensu ejus verba cepisse ipsi fatentur adversarii, eoque volunt in errorem inductum hæc, quæ apud ipsum leguntur, scripsisse, *Pseudosynodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus rejecta est.* Quasi vero credibile sit homines novitios septingentis post illam ætatem annis natos, adhæc notissimi in hanc causam studii, meliùs Adonis mentem percepisse, quàm Reginonem iisdem cum illo temporibus viventem? vel quasi Regino, quæ de Synodo pro adorandis imaginibus à Græcis quidem factâ, à Francofordiensibus verò abdicatâ scripsit, ea non aliunde, quam ab uno Adone habere potuerit?

rit? quasi postremò non multò sit probabilius hæc Reginonem ab illo Francicorum Annalium scriptore accepisse, quem ipse sequuturum se profitetur, quemque unum ex Caroli Magni consiliariis fuisse ait. Hi verò Annales qui sint, difficile est certò & indubitatò affirmare. Illud quidem certè constat quęcumque de hoc negotio sunt à Reginone prodita, ea totidem verbis haberi in illâ Caroli Magni vitâ, quam Clariss. Pithoeus publici juris fecit; ex quâ qui suprà à nobis allatus est locus omninò idem est cum hoc Reginonis testimonio, si unam & alteram voculam exceperis. Sed quæ Adonis verbis affertur vis, ea non modò Grammaticæ leges, verùm etiam multò magis historicorum fidem quatit, atq; subvertit. Nam (quod nos posteà fusè demonstrabimus) testantur plerique illorum temporum scriptores Gallis nostris non benè cum Romanis de imaginum causâ convenisse; usque adeò ut Anastasius, Papæ Bibliothecarius, an. æræ Christianæ DCCCLXXX. (hoc est post Francofordiensem Synodum pænè nonagesimo) de eorum à cæteris in hoc capite dissensione conqueratur. Si verò (quod ponit adversariorum interpretamentum) decreta, atque confirmata erat in Francofordiensi Concilio

Concilio imaginum adoratio; profectò nulla causa fuit, cur Gallis succenseret Anastasius. Et siqui fuissent imaginibus infensi, iis haud dubiè Francofordiensis Synodi auctoritatem objecisset, quam summo apud istos loco fuisse constat. Postremò fac neque Grammaticæ, neque historiæ rationes cum mirâ hac adversariorum glossâ pugnare; adeoque Adonis verba merâ ambignitate laborare, quis non videt eorum sensum, non ex præjudiciis nostris, sed ex vetustorum scriptorum testimoniis petendum fore, qui Adonis ævo vixerunt, quosque multò quàm nos meliùs ac certiùs scivisse constat, quæ tùm apud Francofordiam à Patribus gesta sunt? Atqui non modò Regino, sed & eorum annalium auctor, quos suprà laudavimus, disertissimè testatur, quæ Francofordiæ damnata est, Græcorum pseudosynodum *pro adorandis imaginibus habitam fuisse.* Itaque superest, ut ex consueto linguæ Latinæ usu, ex historiæ, ex scriptorum illius ævi fide, atque auctoritate concludamus Adonis locum, ut nos interpretamur, ita esse accipiendum, hoc nimirum sensu, *eam pseudosynodum, quam pro adorandis imaginibus habitam, septimam Græci appellant, penitùs fuisse abdicatam*; non autem, quod isti præter omnem rationem

nem pertendunt, idcircò fuiſſe abdicatam, ut defenderetur atque conſtitueretur imaginum adoratio. Cætera verò loca, quæ diſertiora ſunt, quàm ut aliò detorqueri poſſint, vel vitiata, vel planè ficta, & ſuppoſita eſſe reſpondent. In hoc numero cenſent illum Adhelmi locum, qui pronunciat quæ eſt damnata Francofordiæ Synodus, eam *ſub Irene, & Conſtantino filio celebratam fuiſſe.* Ait enim Copus hæc verba ab aliquo Iconomacho infulta fuiſſe hujus auctoris teſtimonio; idemque apud Reginonem pro eo, quod in omnibus exemplaribus invenitur, *Pſeudoſynodus Græcorum quam pro adorandis imaginibus fecerant*, legendum pertendit, *Synodus quam pro non adorandis imaginibus fecerant*; fingens particulam *non* vel incuriâ, vel malitiâ librariorum fuiſſe ſublatam. Sed dum ſic agunt adverſarii, nonnè palàm Deo, hominibuſque illudunt? Jubent nos veterum monimenta adire, ut indè diſcamus, quæ illorum fuerit de religione ſententia. Codices ipſi ex ſuis bibliothecis promunt; in quibus octingentis, nongentiſve retrò annis aſſervati delituerant. Paremus; libros conſulimus. Mox ſiquis, quæ iſtic legimus, ea tamquam vera, & idonea de illis, quæ tùm vel agebantur, vel credebantur teſtimonia,

monia, habere, atque citare voluerit; tum illi ipsi, qui libros tradiderunt, qui veterum fidem indè petendam monuerunt, mutatis repentè animis clamant, *Cave feceris. Vitiati sunt isti codices; innumeris mendis scatent.* Moxque arreptâ virgulâ censoriâ veterum libros pro libidine dispungunt, tota in iis cola delent, orationem affirmantem in negantem commutant; denique invertendi, fingendi, ac refingendi non antè finem faciunt, quàm nihil superesse cernant, quod cum Romanæ Ecclesiæ placitis vel leviter pugnet. Fidem vestram, adversarii. Quibus tandem documentis utemini ad tuendam eam, quam suscepistis, de religione sententiam? Obscuræ sunt Dei scripturæ: vitiatæ sunt Patrum litteræ. Vobis omnia tenebræ. Si librorum id est fatum, ut quid ii affirment, quid negent, ne tùm quidem constare possit, cùm omnia viginti auctorum, tum manu, tum typis descripta exemplaria, rem unam, eandemque pariter testantur; quid in omni hoc genere fixum, certumque habituri deinceps sumus? Quod si id juris sumitis, ut in iis locis, quibus urgeri, & oppugnari vestram de religione sententiam intelligitis, aliquot voces impunè vobis liceat inducere, insertisque negandi particulis

ticulis totam orationem in ſenſum planè contrarium invertere, & alia hujuſcemodi præter omnium codicum fidem, nullã aliâ ratione audere, quàm quod vobis id expedit; cur non eadem quoque veſtris adverſariis concedetur licentia, ſiquando id exigat cauſæ, quam agunt, uſus, atque ratio? Hoc verò ſi utriſque jus, faſque eſt (quod veſtrum illud exemplum neceſſariò conficit) quid facimus? quid fruſtrà tempus in ſcrutandis veterum monimentis terimus, cùm in iis, hac quidem viâ atque methodo conſtitutâ, nemo non ſit facilè privatam, ac ſingularem ſuam opinionem inventurus? in ipſo etiam Athanaſio hæreſim ſuam Arianus? Et hanc ſanè cavillationem Bellarminus, fateor, hoc loco explodit, *Dicere*, inquit, *hos omneis mentiri, vel libros eorum eſſe corruptos, ut Copus dicit, videtur mihi paulò durius*; quamquam & ipſe alibi, quod ſuprà notavimus, æquè ac Copus illiberaliter, atque inverecundè nobiſcum agit, ubi objectum Epiphanianæ cujuſdam ad Joannem epiſtolæ locum totum reſecandum pertendit, tamquam iſti epiſtolæ alienâ manu aſſutum. Idem quoque eorum eſt, qui Concilia Coloniæ ediderunt, de hac Copi reſponſione judicium, *Difficilis eſt* (inquiunt) *cùm id probari non poſſit*. Quod verò

Bell. de imag. 14. §. Secundo, quia.

Annot. in Conc. Franc. p. 187. F.

verò isti ad Hincmari testimonium respondent, id cæterorum omnium, quæ hactenus audivimus, impudentiam, atque absurditatem facile superat. Negant enim præfractè id Hincmari esse, *quia nec liber ille Hincmari, unde sumptum dicitur, extat; neque ad nos* (inquiunt) *pervenit, nisi ex relatione Illyrici hæretici, cui nullam fidem adhibemus, neque scimus undè fragmentum illud decerpserit*. O immanem vel impudentiam, vel certè imperitiam! Atqui jam anni sunt propemodum triginta, à quo in publicâ hominum luce versatur ille Hincmari liber, Lutetiæ Parisiorum cum Regis Christianissimi privilegio, typis Sebastiani Cramoisii, ex manuscripto codice amplis. viri Jacobi Augusti Thuani excusus, & ab optimo, atque integerrimo Cordesio, Lemovicensi Canonico editus; cujus viri eruditio, fides, atque humanitas omnibus fere litterarum studiosis abundè perspecta est. Sed & Baronium nemo est, qui nesciat huncipsum, de quo quæritur, Hincmari locum in Annalibus adduxisse totum, & quidem quadam clausulâ vel maximè ad hanc causam pertinente auctiorem, quàm qui in Cordesianâ editione legitur. Quæ cùm ita sint, quæ ista est impudentia, hujus testimonii fidem sollicitare, idque quasi

Ibid. B.C.

ab

ab Illyrico confictum, & suppositum vellicare? Sed & rationes afferunt novi de Periclis scholâ rhetores, quibus sensuum nostrorum fidem expugnent, ne, quem locum in Hincmaro legimus, eum Hincmari esse credamus, *Sunt enim* (inquiunt) *in illis verbis multa falsa, & inter se pugnantia, vel parùm probabilia. Primùm, quod asserit in quadam VII. Synodo Græcorum, quosdam dixisse imagines esse confringendas, alios verò esse adorandas. nam hoc non in una Synodo, sed in diversis accidit. Deinde quod ait Synodum Nicænam sine auctoritate Papæ fuisse habitam, & Romam missam. Rursus quod ait Romanum Papam illam Synodum Nicænam ad se missam in Franciam direxisse, ut ibi examinaretur, vel corrigeretur. Denique quod ibi dicitur de volumine contra Nicænam Synodum edito, & ab Imperatore Romam misso per quosdam episcopos.* Verùm hoc unum jam quæritur, an hic, qui allatus est, locus Hincmari sit, nec ne. Eum Hincmaro tribuit Baronius; Eum Thuaneus codex in ipso Hincmari opere exhibet, nec non ex eodem codice descripta Cordesianæ editionis exemplaria. Quid aliis argumentis in re clarâ opus est? An verò falsa sint, quæ illic velut gesta narrantur, id aliò pertinet. Hoc quidem scio, de istis multò certiùs, atque justiùs Hincmaro, Rhe-

mensi Archiepiscopo, illis temporibus proximo, credi, quàm sexcentis Biniis, & Suaresiis, quàmque universis Jesuitici ordinis sodalibus; hominibus novis, octavo demùm sæculo post istorum, de quibus quæritur, memoriam exortis. Sed videamus tamen qualia tandem ista sint, quæ huic Hincmari loco objiciuntur. Is, inquiunt, confundit duas Synodos. Itane verò? Atqui nihil hîc apud eum aliud lego, nisi *Græcorum quosdam imagines confringendas, quosdam autem adorandas dixisse.* Hæc autem verissima esse ex duarum illarum Synodorum actis patet; quarum altera, quæ Constantinopoli habita est, imagines confringendas decernit; altera, quæ Nicææ, adorandas. Quod subjicit Hincmarus *neutram partem sano intellectu diffinivisse*, id non ad rei gestæ veritatem, sed ad ipsius de re judicium pertinet. Cæterùm diversas istas, atque inter se pugnantes de imaginibus sententias in unâ, eademque Synodo vel agitatas, vel decretas & constitutas fuisse (quod sanè vehementer absurdum esset) id verò neque hîc, neque usquam alibi affirmat Hincmarus. Synodum Nicænam in Franciam à Papâ Romano missam ait. Fateor; neque in eo quid absurdi sit, video. Missam, *ut examinaretur, vel corrigeretur*

geretur (quod ſanè cum Romano faſtu non bene conveniret) neque ait, neque ſignificat Hincmarus; totumque id, quantumcumque eſt, ab iſtorum officinâ eſt. Nulla enim cauſa eſt, cur Hincmarus innuere voluiſſe credatur Acta Nicænæ Synodi in Franciam à Papâ miſſa fuiſſe, ut corrigerentur potiùs, quàm ut reciperentur, atque publicarentur. Denique neque illud capio, cur quod ait Hincmarus, *non modicum volumen ab Imperatore Romam eſſe per quoſdam epiſcopos miſſum*, cur id inquam cum eo pugnare cenſendum ſit, *quod Adrianus refert Carolum miſiſſe ad ſe librum per Engilbertum Abbatem.* Videntur potiùs iſta ſibi inter ſe vim, lucemque mutuò affundere. Nam neque negat Hincmarus Engilberti, ex intimâ Principis amicitiâ miniſtri comites fuiſſe iſtos de quibus memorat epiſcopos; neque adfirmat Adrianus, ſolum ſine illis epiſcopis ad ſe veniſſe Engilbertum. Tùm verò ſi homini obiter, & aliud agendo rem narranti per imprudentiam nomen *epiſcoporum* pro *Abbatis* vocabulo excidiſſe concederemus; non id ſanè videtur adeo grave crimen, ut in Hincmarum cadere non potuerit. Idemque dictum velim de eo, quod ſcribit, *ſine auctoritate Apoſtolicæ* (ut loquitur) *Sedis* illam in Græciâ Sy-

nodum habitam fuisse, quâ in parte seu lapsu memoriæ, seu incogitantiâ scriptorem hunc largiter peccasse non nego. Atque ita hactenùs defendimus xx. illa testimonia, quæ sunt à nobis in hac causâ adducta, eaque demonstravimus neque conficta, neque vitiata, neque in alienum sensum detorta esse; quô adeò efficitur, Græcorum Synodum Francofordiæ à Carolino Concilio condemnatam, ipsissimam illam esse, quæ paulò ante Nicææ pro adoratione imaginum celebrata fuerat. Neque adversarios quicquam juvat, quod Platina, Blondus, Sabellicus, ac Paulus Æmilius dicunt reprobatam fuisse Synodum de tollendis imaginibus. Primùm enim omnes isti (quod est à Bellarmino optimè observatum) recentiores sunt, nullo pacto, quod ad testimonii pondus, atque auctoritatem pertinet, cum xx. istis supra à nobis in hac causâ laudatis scriptoribus comparandi; quorum pars major intra centesimum à Francofordiensi Synodo annum vixêre. Deindè (ut idem quoque Bellarminus verè ac prudenter respondet) *quod isti dicunt non pugnat cum antiquorum historicorum dictis. Nam in Synodo Francofordiensi duæ Synodi reprobatæ fuerunt, nimirum Constantinopolitana contra imagines, &*

Bell. de imag. c. 14 §. Neque obstat ultimo.

Nicæna

Nicænâ pro imaginibus, ut patet ex libris Carolinis, & ex Hincmaro. Patres enim Francofordienſes imagines ſervandas putaverunt, contrà quàm cenſuerant Conſtantinopolitani; neque tamen adorandas, contrà quàm decreverant Nicæni. Itaque mirandum non eſt, quod recentiores iſti ſcriptores, in Romanâ Eccleſiâ nati, atque educati, cùm hæc duo Synodi Francofordienſis judicia fuiſſe apud veteres reperirent, alterum quidem, quod ſui ſæculi, ſuæque Eccleſiæ moribus, atque inſtitutis congruebat, commemorandum exiſtimaverint; alterum, quod cum iiſdem pugnabat, tacuerint. Sed neque poſtremò diſertiſſimæ xx. teſtium, & quidem idoneorum affirmationi opponi debet vel Jonæ Aurelianenſis, vel Valafridi Strabonis ſilentium; quorum neuter meminit damnatæ à Patribus Francofordienſibus Synodi Nicænæ. Nam, ut hoc priori loco dicam, non omnes omnia tradunt, aut commemorant; abiitque jam in vulgare apud omnes proverbium, non eſſe ab auctoritate, niſi affirmativè argumentandum. Tùm quorſum Jonas Francofordienſem Nicænæ Synodi condemnationem commemoraſſet, quæ nihil ad eam cauſam facit, quam contra Claudium Taurinenſem

 agebat?

agebat? Erat enim iste Claudius Iconoclasta. Eadem sanè ratione, ac multò etiam probabiliùs, atque efficaciùs confici posset Francofordiæ minimè reprobatam fuisse Constantinopolitanam Synodum; quòd hujus rei (quæ ad illam causam plurimùm pertinebat) nullam Jonas mentionem fecerit. Nemo tamen est, qui contra veterum scriptorum fidem ideò negandum putet, Iconoclastarum Synodum à Francofordiensibus fuisse repudiatam. Valafridus verò Strabò rem ipsam illustrare, ac explicare satis habuit, omissis, quæ adferri poterant, auctorum ac Synodorum testimoniis, & quæ sub Ludovico Pio gesta in Galliâ erant, obiter tantum, summâque brevitate perstrinxit. Cæterùm neutram Græcorum Synodum vel Jonæ, vel Straboni placuisse constat. Ambo enim (quod posteà diligentiùs explicabitur) imagines sic retinendas censuerunt, ut minimè adorandas putent; quod magno argumento est, vel id ita à Francofordiensi Synodo decretum, vel certè nihil ab eâ contrâ definitum fuisse. Neque enim fit verisimile tales viros quicquam de fide sensisse, quod cum iis pugnaret, quæ ab Occidentali in quâ florebant, Ecclesiâ, amplissimo, atque frequentissimo conventu paulò

lò ante constituta fuissent. Vasques Jesuita, qui Nicænam Synodum à Francofordiensi damnatam negat, tot argumentis victus, concedit quidem Hincmarum, omnesque illos, quos suprà memoravimus, veteres scriptores, id affirmasse; sed id, quod ii affirmant, falsum esse contendit; vultque omnes falsâ Pseudocaroli relatione deceptos hoc mendacium litteris mandasse, & ad posteros propagasse. Sed hæc Vasquis responsio tàm absurda est, tàmque ab omni veri specie abhorrens, ut Suares itidem Iesuita, & cum eo Binius eam acerbè ex sibi latam, multisque argumentis confutatam exploserint. Quis enim unius Jesuitæ, hominis nudiustertiùs nati, testimonio tantùm tribuendum putet, ut solâ ejus fide, atque affirmatione contentus, credat tàm multos, tàmque graves viros, pænè omneis ante septem sæcula mortuos tàm crassum, tàmque illiberale mendacium uno consensu tradidisse, atque disseminasse, eâ præsertim de re, quæ vel ipsorum memoriâ, vel paulò ante in celeberrimo, longeque illustrissimo consessu gesta erat, eoque præsente Principe, quo majorem à Constantino neminem noster Occidens viderat? Si, quod cum cæteris vult Vasques, Francofordiæ pri-

Vasq. de ador. l. 1. disp. 7. c. 7.

Suar. T. 1. disp. 54. Sect. 3. Bin. Ann. in Cens. Franc.

mùm probata, indèque ab omnibus passim Ecclesiis recepta fuit secunda illa Nicæna Synodus, quî factum, ut ii auctores Carolinum opus, in quo, si istis creditur, narrationem reperiebant tàm absonam, tàmque à suâ fide, & ab omnium Ecclesiarum usu alienam, non excusserint, atque examinaverint diligentiùs? non ampliùs inquirendum putaverint? non majores natu interrogaverint, à quibus nullo negotio rem totam doceri poterant, quòd ad eorum ævum Francofordiensis Synodi memoria recens, ac pænè adhuc viva in hominum animis, sermonibusque permansisset? Quid multis opus? Auctores isti, quod produnt damnatam à Francofordiensibus Synodum Nicęnam, id vel ex uno Caroli libro hauserant, vel ab aliis acceperant. Si ab aliis, frustrà laborat Vasques, ut quam conflare studet huic narrationi invidiam, eam in unum Carolinum opus conferat. Sin ab eo uno acceperant (quod ipsum tamen ab omni veri specie procul est) frustrà Vasques, frustrà Vasquis sodales hujus operis fidem, atque auctoritatem convellere conantur. Neque enim nudâ istorum affirmatione persuaderi nobis potest, ut quem librum à plurimis, gravissimisque viris, iisque eo sæculo viventibus, quod

&

& veri fontibus proximum erat, & à studiis hodiernarum partium procul aberat, lectitatum atque receptum ipsi confitentur, cum nos velut falsum, ac mendaciis plenum repudiemus. Si veteres illi fidem Carolino operi habendam putarunt, non video, cur nos Iesuitarum auctoritas deterrere debeat, quominus antiquum exemplum sequuti fidem ipsi quoque huic operi habeamus. Atque ita eò tandem evadunt præclaræ illæ Vasquis artes, ut quod ipse evertere studet, id ipsum confirmet, contrà que haud segniter evertat, quod in primis confirmatum cupit. Sanè, etiam seposito testium, quos nuper audivimus, consensu, vel unus ille Caroli liber, quem Vasques, cæterique ex eodem grege adeò contemptim, atque contumeliosè habent, abundè suffecerit ad id, quod contendimus, probandum; nimirùm secundam Nicænam Synodum verè fuisse in Francofordiensi Concilio damnatam, cùm nihil omninò afferatur, ut est à nobis in superioribus fusè demonstratum, quod illius operis auctoritatem labefactet. Ac tametsi Bellarminus minimè librum istum eo, quo decebat, loco atque numero censeat, non existimavit tamen indignum, cujus testimonio hanc ipsam causam confirmaret,
 quem-

quemadmodum paulò antè memoravimus. Sed quid opus est contra frigidas Copi, ac Vasquis cavillatiunculas argumentis, ac testimoniis docere, quod quale fuerit Synodi Francofordiensis de hâc causâ judicium? Extat etiam nunc ipsum illud decretum à Ioanne Tilio Meldensi episcopo, ab iis item, qui Alcuini opera ediderunt, ab ipso postremò Sirmundo publicatum, ex quo supra à nobis descriptum fuit. In eo disertè habetur *allatam in medium quæstionem fuisse de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus fecerant.* Tùm extremus Canon, *Qui suprà*, inquit, *sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Quo tandem nomine eorum audacia donanda est, qui in tantâ rerum luce persuadere nobis cupiunt à Francofordiensibus Patribus confirmatam, atque approbatam fuisse eam Synodum, quæ Nicææ ad constituendam imaginum adorationem à Græcis habita erat? qui tàm immane mendacium non modò tuentur, atque propugnant, sed etiam in publicis, maximèque authenticis Conciliorum editionibus ostentant, eoque Francofordiensis Synodi titulum ornare, atque insignire non dubitant?

Hanc

Hanc enim isti Concilio inscriptionem præfixerunt: *Concilium Francofordiense provinciale approbatum, quo* CCC *circiter episcopi Elipandum & Fælicem, eorumque hæresim quæ Fæliciana nominatur, condemnarunt, ACTAQVE CONCILII NICÆNI II. IN CAVSA IMAGINVM CONFIRMARVNT*; plane ac siquis Nicænæ Synodi prioris acta hoc titulo ederet, *Concilium Nicænum I. universale, quo* CCCXVIII. *Episcopi Arii dogma contra Filii homoousion confirmarunt.* O tempora! ô mores! Proh Dei, atque hominem fidem! Sed Jacobus Sirmundus Iesuita, vir istius ordinis longè doctissimus, atque modestissimus, tàm fortiter, tàmque ingenuè palàm nuper veritatem confessus est, ut omnis de hac causâ inter nos concertatio supervacanea deinceps futura videatur. Is enim in altero Gallicanarum, quas edidit, Synodorum Tomo, Francofordiensis Concilii Canones sex, & quinquaginta exhibuit, quorum secundus is ipse est, quem suprà descripsimus. Operi admonitionem ad Lectorem præfixit, quâ & Carolinos de imaginibus libros IV. & hos ipsos Francofordienses Canones veros, & legitimos esse agnoscit, iisque Nicænam Synodum secundam peti confitetur. Viri eruditissimi verba adscribere operæ pre-

T. 6. Conc. edit. Lutet. apud Morel. a. 1636

Sirm. T. 2. Conc. Gall. Eccl. p. 191. admonit. ad Lect.

tium videtur; *Nunc verò*, inquit, *& Synodi* (Francofordienſem intelligit) *canones, libroſque Caroli pro legitimis omnes ferè agnoſcunt, & de Synodo Nicæna quæſtionem fuiſſe, quod ex libris ipſis patet, ſimiliter conſentiunt. Ac de libris ſanè Caroli, ut Hincmarum omittam, qui hos à ſe lectos teſtatur, inficiari nemo poteſt, niſi qui Hadriani Papæ ad eoſdem libros reſponſioni, ſeu confutationi, quæ in omnium manibus verſatur, fidem detractam velit. De Canonibus verò, qui ſequuntur, quin ii quoque veri, ſincerique ſint, nobis certè propter antiquiſſimi codicis auctoritatem ambigere non licet, ut de multis ejus ſæculi ſcriptoribus nihil dicam, qui dùm ſeptimam Synodum à Francofordienſi rejectam tradunt, ſecundum hunc canonem, de quo agimus, tacitè ſignificant.*

Atque ita ſatis, ni fallor, demonſtratum eſt eam, quæ à Francofordienſibus damnata eſt, Synodum verè Nicænam fuiſſe, quæ paucis ante annis imaginum cultum in Oriente conſtituerat; quæ etiam eſt Bellarmini, Baronii, Perronii Cardinalium ſententia. Jam videamus, quid hi objiciant, quo tanti, tàmque venerandi Concilii auctoritatem elevent; in quo & ccc. epiſcopi ex omnibus Occidentis provinciis delecti convenerant, & Carolus ipſe aderat, Galliarum æternum decus, imperii inſtaurator, & (quod

omnibus

omnibus titulis potius est) Christianismi columen, infidelitatis atque hæreseos flagellum; cui Papa Hadrianus per Theophylactum, & Stephanum episcopos præerat, Româ ad hunc cœtum convocandum missos; in quo denique hæresis Elipandi, & Felicis, Nestorianismi propago, obtrita & profligata est, tam fœliciter, ut ejus de hoc quidem capite decretum vel ipsa Roma pro verâ ac legitimâ Ecclesiæ definitione semper habuerit. Quid possunt adversarii in tàm illustrem, tamque eminentem auctoritatem afferre, cui nihil omninò eorum defuisse videtur, quibus fit, (ex istorum quidem sententia) ut sit hujusmodi conventuum infallibile, atque ἀναμάρτητον judicium? Respondent, quod jam suprà attigimus, omneis illos optimos, & sanctissimos Patres, de Fœlicis quidem negotio verè, atque ἀναμαρτήτως decrevisse; de Nicænis autem falsò & perperam *per errorem, & materialiter*, cum Nicænorum factum decepti ignorarent, jus ipsum tenerent. *Nam* (inquit Bellarminus) *auctor librorum Carolinorum imposuit Synodo, duoque mendacia illi obtrusit. Unum mendacium fuit, in Synodo Nicæna definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriæ: alterum, decretum illud factum à Græcis sine consensu Papæ Romani.*

Bell. de Imag. c. 14. §. Neque obstat.

ni. His duobus mendaciis pro veritate habitis, Synodus Francofordiensis reprobavit, & merito, Nicænam Synodum tamquam profanam, & illegitimam. Hæc est istorum defensio, quorum omnis deinceps labor in eo consumitur, ut duo ista, quæ commemorarunt, tùm falsa fuisse probent, tum etiam Patribus Francofordiensibus propinata, atque persuasa. Nos quidem Caroli fidem à tàm immani crimine suprà jam abundè vindicavimus; idque unum ad refellendam, & evertendam totam hanc responsionem sufficit, quæ non alio, quàm putri hoc, & inani fundamento nititur. Nunc verò illud etiam superioribus adjicio, si (quod nequaquam verum, aut credibile est) duo illa vel maximè scripsisset auctor Carolini operis, non tamen eo effectum iri, ut probabile sit Francofordienses, quod verè fuisset Nicæni Concilii de hâc causâ decretum, ignorasse. Id verò commentum tam crassum, & absurdum est, tamque κακόῤῥαφον, & ab omni veri specie, & à singulis rei circumstantiis alienum, ut illorum, qui id defendunt, neque purpura, neque eruditio, aut subtilitas, aut fama, vel ipsos earumdem partium homines deterrere potuerit, quominùs palam obloquerentur. Ii certè, qui Concilia Coloniæ ediderunt,

derunt, totum hoc figmentum adeò non probarunt, ut scribere non sint veriti *id nulla ratione esse credibile*, & eam quæ illud sequitur, sententiam, præfati *se*, *quamquam prope invitos, rationibus ab ipsa abduci*, masculè oppugnent, patresque purpuratos liberrimâ disputatione verberent; indignati, credo, quod ab iis vicissim pulsatam viderent, quam ipsi tuentur, responsionem. Et in hac quidem parte merito à suis Cardinalibus dissentiunt. Quis enim est adeò ineptè credulus, qui sibi, quod isti fingunt, persuaderi patiatur? in trecentis Præsulibus, qui ad maxima Ecclesiæ negotia toto Occidente lecti, atque missi fuerant, neminem fuisse, qui sciret, quid in Nicænâ nuper Synodo decretum, ac definitum esset? Nondum totum septennium effluxerat, à quo illa, de quâ quæritur Synodus, in mediâ Græciâ tanto hominum concursu, tantoq; plausu habita fuerat, ut nihil ad summam celebritatem deesset. Nam & ii aderant, quorum longè maxima erat in orbe Christiano auctoritas, Constantinus Augustus, Irene Augusti mater, Adriani Pontificis legati; ad hæc CCCL. episcopi; & is rei exitus fuerat, ut nihil potuerit in Christianâ republicâ majus, aut illustrius geri. Nempe, si adversariis credimus, gra-

Annot. in Conc. Francof.

vissimo atque acerbissimo jugo liberata erat omnis Orientis Ecclesia; tæterrima Iconoclastarum hæresis, quæ jam annos xxxiii. crudelissimè grassabatur, fœlicissimè profligata, veritasque veluti postliminiò in lucem revocata fuerat. Tàm lætæ, tàmque magnificæ rei nuncius quâ celeritate in omneis Christiani orbis oras, atque angulos ferri, ac penetrare debuit? Quanto cum animorum ardore, & à Græcis sparsam, & à cæteris Christianis haustam, atque acceptam fuisse par est tàm optati eventus famam? Et in hoc tamen tanto, tàmque universali hominum concursu, aliorum quidem narrantium, aliorum verò auscultantium, omnium præ animi gaudio gestientium, atque exsultantium, tàm bardi, tamque hebetes, ac stupidi fuisse finguntur, non Galli modo nostri, sed & omnes Occidentales Christiani, ut ex cunctis eorum episcopis ne unus quidem repertus sit, qui certò ac verè didicisset, quid in Græciâ gestum esset. Sed esto sanè; Locorum longinquitas, maximisque spatiis à se invicem divisa populorum commercia effecerint, ut hæc nostros homines fama menses aliquot latuerit. Quis crediderit totis sex annis nihil veri, nihil certi ad eos perlatum esse? Pace istorum liceat elo-

qui;

qui; Et majores nostros pro fungis, & stipitibus habet, qui tantum iis stuporem tribuunt, & nos pro pueris, ac fatuis, quibus tàm ineptam, tàmque insulsam fabulam narrare non dubitant. Fingamus tamen, quod isti affirmant, neminem ex Occidentis episcopis quicquam certi à Græcis Catholicis accepisse, idque vel illorum stupore, vel horum socordiâ, atque negligentiâ contigisse; quis tamen concesserit Adrianum, illum, ut jactant, Christianorum omnium, maximè Occidentalium parentem, tàm duro, atque immiti fuisse in liberos suos animo, ut dulcissimum tantæ rei nuncium iis inviderit? ac ne Carolum quidem, hominem (quod nuper Bellarminus prædicabat) conjunctissimum, tanti gaudii participem fecerit? Id verò, nisi mentis inops, communisque sensûs expers, quis credat? Quâ in causâ eo impensiùs Bellarmino succenseo, quòd majores nostros, nequid desit contumeliæ, deceptos vult non à vafro aliquo, aut versuto artifice, sed *ab homine barbaro, imperito, levi, ac pæne stulto.* His enim elogiis alibi exornat ipsum illum Carolini operis scriptorem, quem nunc contendit Francofordiensi Synodo imposuisse. Hujus tàm gravis, tàmque præclari testis voce, atque auctori-

Bell. de Imag. c. 15. §. Denique certum est.

tate impulsus vult tùm Carolum, tùm ccc. qui aderant, episcopos id de totâ Orientis Ecclesiâ sibi persuasisse, quod ne de ipsis quidem hæreticis, vel de quoquam, qui fidem Christi profiteatur, existimandum putat Binius; nimirum Ecclesiam illam publicè, ac palàm frequentissima Synodo errorem eum definivisse, qui tàm crassus, atque immanis est, ut vix in Gentileis ipsos cadat. Quid enim de Nicænis Francofordienses sensisse putat Bellarminus? Nùm eos fortasse Christi, Sanctorumque imaginibus analogicum latriæ, duliæque cultum decrevisse? Nùm simpliciter definivisse, ut aliquæ imagines latriâ colerentur? Si illud prius putaret, neminem accusaret calumniæ; Eam enim verè fuisse existimat, non Nicænorum modò, sed ipsorum etiam Francofordiensium sententiam. Si hoc posterius censeret, ne sic quidem scriberet Francofordienses meritò Nicænam Synodum ita sentientes, tamquam profanam reprobaturos fuisse, cùm nondum ab Ecclesiâ Romanâ excommunicati fuerint, vel Thomas, vel Bonaventura, vel Marsilius, aut Cajetanus, aliique non pauci, quos ipse Bellarminus tradit Christi, crucisque imaginem cultu latriæ adorandam putasse. Quid ergo tandem illud est, quod vult

Annot. in Con. Francof.

Bell. de Imag. c. 20. § Secunda opinio.

vult Bellarminus de Nicænâ definitione ſenſiſſe Francofordienſes Patres? Ille verò eos contendit ita de Nicænis exiſtimaſſe, ut ipſos putaverint imagines, tamquam totidem Deos, adorandas, eoque nomine ipſo illo cultu, qui Trinitati debetur, directè, proprièque proſequendas decreviſſe. Nonne, ſi huic creditur, mira fuit tum Caroli, tùm illorum Antiſtitum caritas, qui tàm immanem tàmque prodigioſam inſaniam toti Orientalium Eccleſiæ tribuerint? Nonne eximium acumen, qui tàm horrendam, tamque iniquam calumniam ſibi perſuaderi paſſi ſint *unius hominis, & quidem barbari, imperiti, levis, ac pæne ſtulti* auctoritate, atque teſtimonio? qui, quod unus Ieſuita annis poſt rem geſtam octingentis deprehendere potuit, id univerſi cùm res pænè adhuc præſens & ob oculos eſſet, animadvertere nequiverint? nimirùm vanum fuiſſe & ineptum eum, qui ipſis imponebat, teſtem? Nonnè poſtremò admirabilem facit adverſarius iſtorum Patrum ſapientiam, ac gravitatem, nonne digniſſimam, quæ in orbis, atque Eccleſię tribunali ſederet, quos fingit vnius nebulonis vocem ſic tranſverſos egiſſe; ut nullâ accuratiori diſputatione, nullâ de re tanti momenti adhibitâ percontatione Con-

 cilium

cilium amplissimum, id est cccl. episcopos, & omneis, quorum nomine convenerant, Orientis Christianos, turpissimi ac pænè portentosi criminis confestim nihil cunctati damnaverint? Quod si hæc Bellarmini, Baroniique cavillatio in solos Galliæ, Germaniæque episcopos contumeliosa esset, eam equidem minùs mirarer. Illud verò planè stupendum videtur, quod homines dignitatis Pontificiæ studiosissimi, ne Adriani quidem legatis parcendum putaverunt; quos hoc suo figmento velut in totidem truncos, mutasque ac surdas effigies commutant. Hi enim (si habenda est istis fides) nefariam, ac pestilentem calumniam sanctissimo, reverendissimoque cœtui propinari, pronisque omnium auribus hauriri stupentes, atque attoniti spectarunt; impostorem impunè grassari passi sunt; non eum ad pœnam depoposcerunt; non sycophantiæ, non mendacii accusarunt, vel saltem insimularunt; non, quod communis omnium Christianorum caritas, suique inprimis res Pontificis exigebat, de verâ Nicæni Concilii sententiâ eam, cui præerant, Synodum admonuerunt. Hoc enim eos fecisse quidem, sed frustrà, monentiumque voces & Carolum, & Patres aspernatos esse, quis credat? cùm & hinc arctis-

arctissima esset tùm Regis cum Pontifice, tùm Gallicanæ Ecclesiæ cum Romanâ conjunctio, & illinc summus sycophantæ stupor, summaque levitas, atque imperitia? Siquo in errore versati essent Francofordienses Patres, dubitandum non est, quin Theophylactus & Stephanus eum pro virili suâ depulsuri fuerint, & veriora omnia edocturi; neque id si præstitissent, credibile est Patres in errore mansuros fuisse, vel certè, quod in Nicænam Synodum paraverant decretum promulgaturos. Atqui neque ii sententiam, quam animis præceperant, mutarunt; neque suum de Nicænâ Synodo abdicandâ decretum vel omiserunt, vel aliquo temperamento molliverunt; sed (quod Bellarminus, Baroniusque & Perronius ultrò concedunt) illius Synodi de imaginum cultu definitionem exsertissimè damnarunt. Pariter itaque confitendum est, neque præsentes Papæ Legatos preceptæ eorum de Nicænâ definitione opinioni contrà ivisse; undè porrò consequitur verè eos, non falsò, de re totâ existimasse, edoctos vel Græcorum, vel Hadriani, vel etiam (quod probabilius est) utrorumque litteris. Sed quid ego argumentis scrutor, benè, an secùs de Synodi Nicænæ Actis edocti fuerint Fran-

cofordienses Patres, undèque rerum illic gestarum cognitionem accepissent? Nonnè id nobis veteres disertè, ac sine ambagibus tradunt? Nonne Hincmarus, Rhemensis Archiepiscopus, ante annos septingentos scripsit Græcorum Synodum à Romano Pontifice in Franciam directam esse? eamque fuisse causam, cur Caroli tempore, jussione sedis Apostolicæ celebrata fuerit Francofordiæ generalis Synodus? Quâ fide jam nobis obtruditur insulsum de deceptis Francofordiensibus commentum? Quo pudore finguntur in errorem eos induxisse, vel Carolini libri, vel illa Iconoclastarum excerpta, quæ nemo vel veterum, vel recentiorum memoravit, quæque universum hominum genus hactenus ignoraverat, donec Perroniano cerebro, talium monstrorum feracissimo, ea tandem nostrâ memoriâ somniare libuit? Ait Hincmarus Carolum, Gallicanæque Ecclesiæ antistites ab Hadriano, Romano Pontifice, Synodum Græcorum accepisse, id est vel omnia Synodi acta, vel, (quod potiùs reor) actorum excerpta, summaque tantùm capita. Contendunt novitii Cardinales eos deceptos fuisse. Id si verum est, necessariò ergò fateri debent Adrianum fraudis auctorem fuisse; Adrianum

Hincm.c.20. op.55.capitum

nostris

nostris hominibus imposuisse, ac persuasisse divinum imaginibus cultum, & quidem sine suo consensu à Nicænis Patribus decretum esse. Quod si, ut est, sic esse videtur absurdissimum, atque incredibile, & ab ipsâ veri specie, & ab adversariorum multò magis opinione alienum, quid restat, nisi ut isti nobiscum, & verò cum non paucis suorum confiteantur Francofordienses nequaquam deceptos fuisse, sed tùm Græcorum, tùm (quod ab Hincmaro proditum est) ipsius Adriani litteris edoctos probè scivisse veram Nicæni Concilii de imaginibus definitionem? Equidem invitus facio, quod in configendo tàm absurdo, tamque incredibili commento immoror diutiùs. Sed pergendum est tamen, quando id etiam ipsis Bellarminis, & Perroniis, hoc est illustrissimis & florentissimis illarum partium ingeniis, arripere libuit. Fingamus igitur, quod isti volunt, nostris majoribus, neque id obtigisse, ut vera ac sincera Nicænæ Synodi acta nancisceren-tur, neque tantum ingenii fuisse, ut crassum barbari ac imperiti sycophantę mendacium detegere, ac repudiare possent. Fingamus Adriani legatos ita cæcos fuisse, ut tantam imposturam præsentes minimè animadverterint, ita hebetes, ut

quid ex eâ consequuturum esset non intellexerint; ita denique mutos, ut fraudem coarguere, ac revincere (cùm id vel uno verbo fieri facile posset) nequiverint; Illud certè non puto negaturos adversarios, Carolum, & qui cum eo sentiebant, Galliæ ac Germaniæ antistites illo, quem ipsis affingunt, mentis errore tandem liberatos fuisse, postquam Adriani scriptam ad regem de hoc argumento epistolam acceperunt, in quâ is fusè ac disertè docet Nicænam Synodum, neque se vel invito, vel ignato celebratam esse, neque divinum imaginibus cultum decrevisse. Nam si quæ Nicænorum fuit de hoc negotio sententia, eam in Ecclesiâ jam indè ab incunabulis haustam & acceptam ipsi quoque animo retinebant; si non secus ac Nicæni, imagines ipsi quoque colendas, adorandas que censebant, neque aliam ob causam in istorum Synodum, ac definitionem exarserunt, quàm quod per summum mentis errorem planè aliam fuisse eam putaverant, quàm quæ reverâ fuit; si hæc inquam ita se habuerunt, clarum est, ubi depulsâ erroris nebulâ, solutâque illâ ut sic dicam, fascinatione, sanatis oculis lucem aspexerunt, debuisse eos evigilare, ac resipiscere, anathema

thema quod in fratrum immerentium capita imprudentes contorserant revocare, atque rescindere; barbarum sycophantam, cujus scelere, atque impietate in tantum flagitium impulsi erant, exsecrari, ejusque libros comburere, palamq; ac publicè de hominis fraude testari, omneisque Occidentis episcopos, tùm præsentes, tùm in posterum futuros monere, ut ab impuro calumniatore sibi caverent. Iam verò constat nihil horum omnium ab istis factum. Allatam Adriani Papæ epistolam nulla in Carolo, nulla in cæteris, qui Francofordiæ Synodum habuerant, nulla denique in cisalpinis Ecclesiis animorum conversio, aut commutatio secuta est. Post id temporis non refixum, non temperatum, non ullatenùs immutatum est Francofordiense decretum; non combusti, non suppressi, non damnati, qui Caroli nomine scripti erant, quatuor contra Nicænam Synodum libri. Quin imo eadem iis mansit apud homines gratia, idemque honos. Constat enim eos insecutis temporibus etiam in aulâ regiâ servatos, lectitatosque, & in pretio æque fuisse ac antea. Id *volumen* (inquit Hincmarus, nobilissimus illius sæculi scriptor, Rhemensis apud nos Archiepiscopus) *in palatio adolescentulus*

legi; tantique id opus ipſe facit, ut totum ex eo caput, quod ſuprà monuimus, deſcribere non ſit gravatus. Quæ iſta malùm eſt tàm inſolens, tàmque inaudita rerum omnium perturbatio, ut Adriani Pontificis (cujus tùm apud omneis Occidentis epiſcopos, tùm inprimis apud Carolum regem ſumma fuiſſe prædicatur auctoritas) neque lumina, neque fulmina, neque monita, neque comminationes, hominis idiotæ librum iis vel excutere, vel de manibus extorquere valuerint? Tùm (quod Bellarmini, cæterorumque commentum planè evertit) ſatis conſtat neque Adriani, neque aliorum, qui cum eo ſentiebant, vel admonitione, vel objurgatione, vel denique auctoritate deterreri potuiſſe Galliæ, Germaniæque antiſtites, quo minus in ſuſceptâ ſententiâ perſeverarent, Nicænamque Synodum, ac definitum ab eâ imaginum cultum conſtantiſſimè repudiarent. Si, quod volunt adverſarii nulla apud eos opera requirebatur alia, niſi ut de verâ Nicænæ Synodi ſententiâ docerentur; adeòne vel inhumani, vel rudes & imperiti fuerunt, qui tùm Romæ ſederunt Pontifices, ut id præſtare vel noluerint, vel nequiverint? Atqui hanc operam contendunt maturè ab

Adriano

Adriano iis navatam fuisse, monitumque Carolum Regem, Nicænos imaginibus non latriam, sed religiosam tantùm venerationem & quidem se conscio, atque consentiente decrevisse. Cùm itaque constet, nostros homines, etiam post istam Romani Pontificis commonefactionem nihilosecius Nicænum decretum contempsisse, atque repudiasse, necessariò efficitur eos, non *per errorem, & materialiter*, ut loquitur Bellarminus, sed scientes, prudentesque, ex certo veroque animi consilio Nicænam illam Synodum apud Francofordiam reprobasse, atque condemnavisse.

CAPUT V.

Francofordiensis Synodi decretum in Gallia, Germaniaque Ecclesiis valuisse, servatumque esse, probatur primùm quidem Agobardi, Ionæ, Dungali, & Valafridi testimoniis.

IAM verò Occidentalis Ecclesiæ præsules, etiam post illa tempora, defensam in Carolinis libris sententiam tenuisse, omnemque omninò imaginum venerationem constanter repudiasse tàm est manifestum, ut Baronius, & ii, qui Patrum Bibliothecam ediderunt, nobilissimos illius memoriæ scriptores in eâ fuisse opinione,

opinione, quamquàm inviti, atque indignantes fateantur. Quam in rem nolo hîc adhibere ejus, quem suprà ex Hincmaro descripsimus, loci clausulam quamdam, quæ sic habet: *Auctoritate hujus* (Francofordiensis) *Synodi nonnihil repressa est imaginum veneratio. Sed tamen Adrianus, & alii Pontifices in sua opinione perseverarunt, & mortuo Carolo suarum pupparum cultum vehementiùs promoverunt.* Hęc enim, quamquàm Hincmari nomine ab ipso Baronio allata, & sugillata, velut inconsultè ac temerè dicta, ego tamen Hincmari verè esse non arbitror. Nam cùm manuscriptum illius, ex quo afferuntur, operis codicem vetustissimum diligenter inspicerem, planè ea illic desiderari animadverti, neque quicquam aliud reperiri præter ea, quæ sunt à Clariss. viro Cordesio optimâ fide in Hincmari editione repræsentata. Et sanè si verum amamus, fatendum est istà minimè cohærere cum illius loci, cui sunt perperam assuta, vel consilio, vel partibus. Itaque re accuratiùs perpensâ eò tandem deveni, ut ambigendum non putem, quin ista sint Magdeburgensium Centuriatorum verba, qui post descriptum, quem suprà memoravimus, Hincmari locum, hæc ipsi insuper monent, de suo, non de au-

Bar. ad A. Ch. 794. Sect. 63.

ctoris,

ctoris, quem laudant, penu; quæ tùm Baronius, tùm ex noſtris hominibus non pauci, continuâ ac nuſquam interruptâ orationis ſerie decepti perperam pro veris, ac genuinis Hincmari verbis imprudentes habuêre. Sed alia non deſunt vera, atque indubitata teſtimonia, quibus id clariſſimè evincamus, quod jam probare inſtituimus. Nam id inprimis ex Agobardo apparet, Lugdunenſi Archiepiſcopo, viro inter ſuæ ætatis doctos, & illuſtreis homines non poſtremo, quem conſtat regnante quidem Carolo natum, Ludovico verò Caroli filio imperante mortuum eſſe, non autem ſub Ludovici filiis, quod is opinatus eſt, qui ejus opera, ſæpiùs deinceps excuſa, primus anno Chriſti MDCV. in lucem edidit Papirius Maſſonus. Agobardus igitur non modò Nicænæ Synodi ſententiam repudiavit, ſed librum inſuper, qui nunc etiam extat, conſcripſit, in quo de toto hoc argumento diſputavit, eoque interdum progreditur, ut ad Iconoclaſtas, quos vocant, proximè accedere videatur. Nam à decalogo exorſus, recitatiſque verbis, quibus vetatur, ne ullam ſimilitudinem faciamus, *Non de ſolis*, inquit, *ſimilitudinibus alienorum Deorum intelligitur dictum, ſed & de cœleſtibus creaturis, aut quæ in* *Agob. de pict. & imag.*

in honore creatoris humanus sensus potuit excogitare. Mox ex Deuteronomio descripto insigni loco, quo Moyses Israëlitas admonet nullam formam ab iis visam, cùm Deum in Oreb loquentem audiverunt, hæc subjicit; *In quibus verbis*, inquit, *summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda, & colenda nec in honore Dei; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur?* Quam sententiam variis rationibus, Scripturæque ac Patrum, in primis Augustini, testimoniis confirmat; multisque exsecutus, *quantum visibilia noceant ad invisibilia capienda, & quantum amor corporearum rerum, etiam bonarum, ad spiritalia contemplanda*, tandem concludit, *hominem fidelem, ut proficiat, ab exterioribus introrsum trahendum esse, non ab interioribus exteriùs projiciendum, ut deficiat. Transire enim*, inquit, *debet de carne ad animam, de corpore ad spiritum, de visibilibus ad invisibilia, de mundo ad Deum. Et iste dicitur profectus si ad meliora quis transeat, non ad deteriora. Melius verò esse animum, deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem*, notum ex Augustino esse ait. *Multò autem*, inquit, *his deteriora esse, quæ humana, & carnalis præsumptio fingit, etiam stulti consentiunt. In quo*

Deut. 4. 12. 15

Agob. ibid.

Ib. multò post.

Ib. aliquantò post.

Ibid. mox.

genere istæ quoque inveniuntur, quas sanctas appellant imagines; non solùm sacrilegi ex eo, quod divinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes sanctitatem eis, quæ sine anima sunt, imaginibus tribuendo. Nec hoc solùm, sed sanctificationem quoque quam per verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis quæ numquam loquuta sunt simulacris dementer concedendo. Tùm postquàm ex Scripturis, & Patribus probavit religiosum cultum nulli præterquam Deo deberi, sic disputat; *Cùm omnium,* inquit, *una sententia sit cultum religionis soli Deo deberi, quid superest fidelibus, nisi ut purgatis ab omni figmentorum profana servitute animis, totis viribus decertemus, quatenus veraciter illud, quod scriptum est, dicere valeamus? Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima; malorum amatores sunt, qui spem in talibus habent, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.* Ac ut omnem imaginum patronis erroris colorem, atque excusationem eripiat, *Dicet*, inquit, *forsitan aliquis non se putare imagini, quam adorat, aliquid inesse divinum, sed tantummodò pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare; Cui facilè respondetur, quia si*

Ib. paulò post.

Ib. continuò. p. 237.

si imago, quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi erogant honores, sicut multis jam suprà testimoniis est ostensum. Quo loco ex Ecclesiasticâ historiâ memorat, destructis apud Alexandriam delubris ac simulacris idolorum,

Ib. paulò post. *crucis vexillum ubique pictum fuisse, non aliquam vultus humani similitudinem. Si enim,* inquit, *Sanctorum imagines hi, qui dæmonum cultum reliquerant, venerari juberentur, puto quod videretur eis non tam idola reliquisse,*

Ib. continuò. *quam simulacra mutasse.* Quod verò pertinet ad imagines Apostolorum, & ipsius Domini, respondet *ob amorem potius & recordationem, quàm ob religionis honorem, aut aliquam venerationem more gentilium ab antiquis expressas fuisse*; idque ex Eusebii supra allato à nobis loco firmat, in quo narratio de Paneadensi Christi statua habetur. Tum ex gestis Sylvestri Papæ refert

Ib. paulò post. *Constantinum Imperatorem, necdum fonte vitæ renatum, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli vultus, ostensis à prædicto Papa tabulis, in quibus utriusque Apostoli effigies antiquitus ad memoriam expressa servabatur, sicut visione nocturna sibi ostensi fuerant, cognovisse & illico*

p. 241. *adorasse*; *Sed,* inquit, *numquid hac auctoritate Constantini adorare Sancti alicujus imaginem debemus? cùm idem Imperator magis*

hoc

hoc ex consuetudine idololatriæ pestifera fecerit, quam ex consideratione verissimæ rationis, quam necdum ipse cognoverat? Mox paucis interjectis non obscure eorum sententiam probat, qui ab adversariis *Iconoclastæ* appellantur, *Si serpentem æneum*, inquit, *quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tamquam idolum colere cœpit, Ezechias religiosus Rex cum magna pietatis laude contrivit; multò religiosiùs Sanctorum imagines (ipsis quoque Sanctis faventibus, qui ob sui honorem cum divinæ religionis contemptu eas adorari more idolorum indignantissimè ferunt) omni genere conterendæ, & usque ad pulverem sunt eradendæ, præsertim cùm non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit.* Tum ex Augustino demonstrat vel ipsos Paganos agnovisse, *quod Deus castiùs absque simulacris veneretur*; multisque aliis contra imaginum cultum observatis, *Nemo se fallat*, inquit, *nemo se seducat; nemo se circumveniat: Quicumque aliquam picturam vel fusilem, sive ductilem adorat statuam, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus, & callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris Sanctorum rursus idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur, ut avertat nos ab spiritalibus, ad carnalia verò demergat; ac per omnia simus digni ab Apo-*

Pag. 343.

Ibid.

Ib. post multa p. 252.

stolo audire, O insensati, quis vos fascinavit, & sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Ipse enim Satanas, sicut dicit idem Apostolus, transfigurat se in Angelum lucis. Tùm paulò post; *Aspiciamus,* inquit, *picturam quasi picturam vita, sensu, & ratione carentem. Pascatur hac visione oculus; Deum verò veneretur animus.* Mox: *Habuerunt namque & antiqui sanctorum imagines vel pictas, vel sculptas (sic etiam superiùs est ostensum) sed causa historiæ, ad recordandum, non ad colendum; ut verbi gratia, gesta synodalia, ubi pingebantur catholica * veritate fulti, & victores; hæretici autem pravi dogmatis mendaciis detectis convicti, & expulsi ob recordationem firmitatis catholicæ fidei, juxta morem bellorum tùm externorum, cùm civilium ad memoriam rei gestæ, sicut & in multis locis videmus. Sed nullus antiquorum Catholicorum umquam eas colendas, vel adorandas fortè existimavit.* Adhæc supra allatum Eliberitanæ Synodi decretum laudat, *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere*; cujus clausulam sic legit, *nec* (non autem, ut nos nunc habemus, *ne*) *quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Tùm de sui sæculi hominibus conqueritur, qui veterum terminos prætergressi, *super ejusmodi figmenta missas* celebrarent. *Necdum enim,* inquit, *error emerserat, quo nunc de carbonibus,*

Ib. p. 253.

Ibid.

* catholici.

Ib. paulò post.

Ib. paulò post. p. 254.

bus, minioque, vel sinopide figurata effigies, sanctæ imagines vocarentur, & adorandæ prædicarentur. Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non imagines Sanctorum adorare, sed Sanctos. Clamat enim Deus Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Sed hæc quidem ex Agobardo satis. Totus enim ejus libellus nobis esset à capite ad calcem describendus, si quæcumque habet huc pertinentia adferre vellemus. Iisdem verò temporibus Claudius quidam Hispanus ortu, sed in aulâ Ludovici Imperatoris educatus vixit, qui eum, *ut Italicæ plebi, (quæ magna ex parte à sanctorum Euangelistarum sensibus procul aberat,) sacræ doctrinæ consultum ferret, Taurinensi præsulem subrogari fecit Ecclesiæ*, ut ait Jonas in præfatione operis, quod in eum scripsit. Iste ergo Claudius idem planè de hoc argumento, quod Agobardus, sensit. Nam cùm Taurinensem plebem picturarum cultui superstitiosissimè addictam esse animadverteret, ut tanto malo mederetur, eam rationem sequutus est, quam Serenus Massiliensis ante ducentos annos, & recentiori memoria Constantinopolitana in Oriente Synodus probaverant, sublatis ex omnibus Ecclesiis parœciæ suæ imaginibus. Theodemiro Abbati, hoc ejus institu-

Ion. Aurel. præf. in libr. 1. Bibliot. SS. Pp. T. 4. p. 1. pag. 536.

tum reprehendenti liberrime respondit, scripto etiam in hoc argumentum libello; ex quo Ludovicus, cum is ad se delatus esset, excerpta quædam ad Jonam, Aurelianensem episcopum misit. Jonas excerpta examinavit, tresque libros in Claudium scripsit, qui etiam nunc extant; ac Francofordiensis Synodi decretum, Gregoriique, & Caroli sententiam sequens, damnat ille quidem Claudii facinus, velut intemperantiæ, ac audaciæ plenum; cæterùm ubique cum eo consentit nullatenus adorandas esse imagines, quas in Ecclesiis non alium ad usum servari atque abhiberi vult, quàm ad sacrarum ædium ornamentum, ad rudiorum oblectationem, & instructionem, rerumque præteritarum memoriam. Fatetur enim *superstitiosam* esse & perniciosam *imaginum adorationem*; notat *nonnullos Orientalium sceleratissimo isti mancipatos esse errori*; item nonnullos Italicarum (nam de iis loquitur) partium plurimùm eo laborare. Nostros verò Gallos, Germanosque eâ labe infectos esse negat. *Qui quæso te sunt isti*, inquit, *qui agnos pictos velint adorare? Numquidnam Galli, atque Germani, qui cuicumque picturæ adorationem non solùm deferre detrectant, sed & adorantibus libera voce resultant, eosque quanta possunt invectione*

Id. l. 1. p. 537. b

Ib. p. 538. b.

Ib. l. 2. p. 572. b

ctione redarguunt? Suprà jam dixerat *omnes* Ibid. l. 1.
sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sincerissimos cultores Galliam, Germaniamque incolentes ab hac superstitione immunes esse. Ac de Galliâ loquens, *Quæ*, inquit, *utique imagines Sanctorum ob* Ib. p. 547. C.
præmissas causas & habet, & habere sinit, eas verò adorari, & in dæmonum cultum venerari, magnæ detestationi, & abominationi habet. Ex quibus clarissimè efficitur veteres illos Ecclesiæ Gallicanæ præsules, neque (quod contendit Bellarminus) Italiæ cum Græciâ in hoc errore consensum ignorasse; neque Italiam adeò infallibilem & ἀναμάρτητον putasse, ut ab ejus sententiâ atque instituto discedere nefas existimarent. Nam Italiam pariter ac Græciam hoc morbo laborare testantur, & Galliæ Germaniæque Ecclesias ab Italicis hac in parte sedulò ipsi separant, atque semovent. Jam verò Jonam de imaginibus cum Carolo sensisse totus liber clamat. Primùm enim exsertè semper, absolutèque ac simpliciter earum adorationem condemnat, neque usquam vel distinguit, vel excipit cultum, qui possit iis legitimè deferri. *Imagines*, inquit, *se ea ado-* Ib. l. 1. p. 540. B
ratione adorantes, quæ Deo soli debetur, anathema efficiunt. Tùm aliquantò post, *Verum est inquam, sanæque fidei congruentissi-*
 mum

mum nullam prorsus similitudinem omnium,
Ib. p. 541. d. *quæ in cœlo, vel quæ in terra, vel quæ sub terram sunt, faciendam, cui cultus, aut adoratio, quæ soli Deo debetur, quodam modo exhibeatur.*
Ib. p. 542. a. Mox; *Creaturam verò adorari, eique aliquid divinæ servitutis impendi, nefas ducimus.* Eadem ubique est hujus scriptoris oratio; nullâ usquam mentione, aut exceptione ullius religiosi cultus, qui sit imaginibus exhibendus. Præterea Italicos (id est eos, qui cum Pontifice Romano Synodum Nicænam susceperant) errasse non diffitetur; tantum pertendit non adeo gravem illorum fuisse errorem, ac
Ib. p. 539. c. putabat Claudius. *Sed credibile est,* inquit, *quod licet & in cultu, & adoratione imaginum ignorantia fallente aliquid temporis insumpserint, nullo tamen pacto ab unitate fidei Catholicæ defecisse, & ad idola conversi esse credendi sint.* Adhæc imagines, non aliter quàm Gregorius, & Carolus, ad solam præteritarum rerum memoriam retinendas
Ib. p. 542. a. censet. *Sinantur,* inquit, *à te imagines Sanctorum & historiæ quæque Sanctorum, non ut adorentur, sed potius ut quamdam pulchritudinem reddant, & quarumdam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi.* Alibi cùm Claudius adversariorum fucum detegeret, ac reprehenderet, qui ad suum errorem mu-

niendum

niendum respondebant, *Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid inesse divinum, sed tantummodò pro honore, * cujus effigies, tali eam veneratione adoramus*; Jonas testatur neque sibi hanc istorum orationem probari; *Vna autem*, inquit, *reprehendimus ac detestamur; quia cum eorum scientiam non subterfugit, imaginibus nil inesse divini, majori digni sunt invectione, eo quod debitum honorem divinitati impenderint infirmo, & egeno simulacro.* Sic aliquantò post cum hanc sententiam posuisset Claudius, *Si opera manuum Dei non sunt adoranda, & colenda; quantò magis opera manuum hominum adoranda, & colenda sunt? prorsus nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur*; respondet Jonas, *In hujus sententiæ sensu nobiscum sobrie sapis.* Præterea cum adderet Claudius, *Si imago, quam adoras, Deus non est, nequaquam veneranda est honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores*, Jonas itidem ait, *Omnino approbamus, congruumque fidei Catholicæ judicamus.* Denique sententiam suam plane eodem modo, quo Carolus, definit, *Nos figmenta*, inquit, *& imagines non colimus. Imagines tamen & habemus, & habentibus non præjudicamus.* Dungalus, qui in Claudium iisdem quoq; temporibus stilum strinxit, satis testatur hanc fuisse de eo argumento

Ib. p. 547. A.

* videtur deesse, *ejus.*

Ib. p. 550. A.

Ib. B.

Ib. B.

Dung. ad. Claud. Taur. T. 4. Bibl. Pp. 2. p. 155.

Gallicanæ Ecclesiæ sententiam. Claudium enim in eo opere, quod in ipsum scripsit, quódque etiam hodie extat, nusquam reprehendit, quod nullam Sanctorum imaginibus adorationem, vel venerationem deferendam putaret; Culpat tantùm, quod eas confregerit; ac ut haberi, servarique à Christianis Sanctorum imagines fas esse probet, ea laudat, quæ ad Serenum Massiliensem Gregorius, quæque de Sancti Fælicis picturis Paulinus, Nolæ episcopus, scripserant. Cæterùm adorandas imagines nusquam pertendit; & si fecisset; apertè discessisset à Gregorii sententia, qui (quod suo loco suprà demonstravimus) eas ad imperitorum tantummodò instructionem, præteritarumque rerum memoriam habendas existimavit; Atque id ipsum disertè profitetur Dungalus; *Ex hoc ergo*, inquit, *reprehendendi non sunt, qui sanctas habent picturas, divinas per eas recolentes historias ad laudem, & honorem* Dei. Eadem quoque sensisse palam est Valafridum Strabonem, eruditum, & antiquitatis peritum scriptorem, in libro de rebus Ecclesiasticis, in quo caput unum de hoc argumento habetur. Nam in primis hoc præstruit, *imaginum varietatem nec quodam cultu immoderato colendam esse, ut quibusdam,* inquit,

Ib. p. 157. E.

Valaf. Str. de reb. Eccl. c. 8. T. 10. Bibl. Pp. p. 668.

inquit, *stultis videtur*; *nec iterùm speciositatem ita esse quodam despectu calcandam, ut quidam vanitatis assertores existimant*; cujus sententiæ priore quidem parte Nicæni, posteriore Iconoclastæ non obscurè perstringuntur. Tùm contra hos disputat picturis, sculpturisque loca sacra ornari fas esse; Sed & contra illos negat ullum honorem, cultumve divinum rebus ab homine factis exhibendum, sive eæ ad aliquid mysticum significandum institutæ sint, quo in genere censet universam veteris tabernaculi, ac templi structuram, sive ad præteritarum rerum memoriam, qualis est historiarum pictura, sive denique ad virorum præstantium recordationem excitandam, altiùsque in spectantium animis infigendam, quò Christi, Sanctorumque icones pertinent. Atque huc refert illa divinæ legis verba, *Non adorabis ea, neque coles. Vnde*, inquit, *intelligamus in his faciendis devotionem, & utilitatem, qua commoveri, vel instrui appetimus, non esse culpandam, sed in his colendis superstitionem, & hebetudinem, qua spiritualem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam.* Mox Orientalis Ecclesiæ de hoc argumento dissidia, atque certamina tangit; Claudiumque Taurinensem acriter exagitat, quod Iconoclasta- *Ibid.*

 rum

rum sententiam renovare tentaverit; testatusque Deum unum adorandum, & colendum, concludit; *non esse omnimodis honestos, & moderatos imaginum honores abjiciendos*, hoc est, ut mentem ipse suam verbis continuò sequentibus aperit, *non ideo conculcandas esse, & delendas picturas, quasi non necessarias, vel nocivas, quia novimus non adorandas, nec colendas iconas.* Docet, quis sit earum usus, nimirum ad instruendos rudiores, ut ex iis discant, quæ in Scripturis legere ob imperitiam non possunt. Sed ille nihil de relativâ illâ, ut vocant, seu adoratione, seu veneratione, quam Nicæni, ac Romani imaginibus tribuendam censent; quamque hoc loco omissurus non erat, si idem cum illis sensisset; Totum denique caput his verbis concludit: *Sic itaque imagines, & picturæ habendæ sunt, & amandæ, ut nec despectu utilitas annulletur, & hac irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam. Nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impensus arguat nos minus spiritualia contemplari.* Hanc autem, quem significavimus fuisse Valafridi sensum, confitetur ultrò iisdemque argumentis docet Baronius; *Ejusdem planè sententiæ fuisse*, inquit, *reperitur Valafridus Strabo ejusdem sæculi auctor*, &c. *Nam cujus ipse*

Ib. p. 669. B.

Ibid. D.

Bar. ad a. Chr. 794. §. 41.

ipse farinæ fuerit liquidò est aspicere, dùm & illum tantum honorem docet sacris imaginibus tribuendum, si non dejiciantur, & conculcentur; & paulò post concludit docere eum imagines *conservandas tantùm ad ornatum, & ad instructionem populi historicæ veritatis.* Hæc Baronius.

CAPUT VI.

Idem secundo probatur ex libro, qui inscribitur Parisiensis Synodus; cujus veritas, & auctoritas contra adversarios asseritur.

ENim vero, quæ Ludovico Caroli filio imperante de hoc imaginum negotio Lutetiæ acta sunt, & quorum ipse ille Jonas, quem paulò ante memoravimus, pars fuit, ea tàm clarè totam hanc causam illustrant, atque patefaciunt, ut nullus dubitandi relictus sit locus. Quæ ut penitùs intelligantur, inprimis observandum est Nicæni Concilii decreto non sic constitutam in Oriente fuisse imaginum venerationem, ut planè afflicta & oppressa sit veritas, nihil ve amplius negotii errori facessiverit. Ipse enim ille Constantinus quo puero habitum Nicææ Concilium ostendimus, adultus de adorandis imaginibus decretum abrogavit. Leo vero V. Armenus natione, anno

Christi DCCCXIII. Orientis imperium adeptus, Constantinopolitanam Synodum restituit, & ex ejus definitione imagines ex templis sustulit, quique eas defendebant ac retinebant Episcopos dignitate summovit. Cujus instituti hanc occasionem refert Zonaras: *cùm aliquando divina Esaiæ verba illa in Ecclesia recitarentur, Cui assimilastis Dominum? Num imaginem ejus facit faber? aut aurifex similitudinem ejus paravit? & reliqua, accessisse* Theodorum Patriarcham, *& imperatori in aurem dixisse. Audi Prophetam Domine, & ei obtempera. ex eo*, inquit Zonaras, *citra verecundiam Leo sectam illam* (Iconoclastas intelligit) *sectabatur.* Leoni de vivis sublato, Michaël cognomento Balbus in imperio successit anno Domini DCCCXX. Is cum scissos varia in studia, variasque in partes populos videret, imagines aliis cum Synodo Constantinopolitanâ exsecrantibus, aliis cum Nicænâ adorantibus, anno imperii sui quarto legatos ad Ludovicum, Lotariumque ejus filium in Occidente regnantes misit; epistolamque scripsit, qua primùm docet, ut imperium sit adeptus, ut variis bellis exercitatus, ut Thomam quemdam, Saracenorum ductorem, fideique Christianæ desertorem aliquot præliis fractum oppresserit. Tum

Zonar. T. 3. p. 105. 106. 107

Mich. Balb. ep. ad Lud. Syn. Par. p. 613.

quæ sit Orientalis Ecclesiæ perturbatio significat; *multos de Ecclesiasticis, seu & lai-* Ib.p. 618.
cis viris alienos de Apostolicis traditionibus factos, & neque paternos terminos custodientes factos esse inventores malarum rerum. Primùm quidem, inquit, *honorificas, & vivificas cruces de sacris templis expellebant, & in eadem loca imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul & incensum adolebant, atque eas in tali honore habebant, sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. Psallebant & adorabant, atque ab eisdem imaginibus auxilium petebant. Plerique autem linteaminibus easdem imagines circumdabant, & filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices faciebant. Alii religiosum habitum monasticum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui priùs comam capitis eorum suscipere solebant, abhibitis imaginibus quasi in sinum earum decidere capillos illorum sinebant. Quidam verò sacerdotum, & clericorum colores de imaginibus radentes, immiscuerunt oblationibus, & vino, & ex hac oblatione post missarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manibus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli vero spreta Ecclesia, in communibus domibus, tabulis imaginum pro altariis utebantur,*

&

& super eas sacrum ministerium celebrabant, & alia multa his similia, & nostræ religioni contraria in Ecclesiis fiebant, quæ à doctioribus & sapientioribus viris satis indigna esse videbantur. Quibus de causis *statuisse* ait *orthodoxos Imperatores, & doctissimos sacerdotes locale adunare Concilium ad inquisitionem super his habendam; quique convenerant eos communi consilio talia ubique fieri prohibuisse; imagines de humilioribus locis efferri fecisse, & eas, quæ in sublimioribus locis positæ erant, ut ipsa pictura pro scriptura haberetur, in suis locis consistere permisisse, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur, sed neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuisse; Seque ipsum ita sentire, & tenere, eosque de Ecclesia Christi abjicere, qui hujusmodi malignis inventionibus student.* Vnde, ut obiter hoc moneam, concludendum esse videtur Græcos Caroli Magni, Synodique Francofordiensis sententiæ obsecutos de Constantinopolitanæ Synodi rigore aliquid remisisse. Nam cum hæc imagines confringeret, omninoque ex ædibus sacris ejiceret, Michaël, ut apparet, cum suis earum quidem venerationem, cultumque repudiat, imagines verò ipsas retinet; easque tantum ex Ecclesiis summovet, quæ quod locis humilioribus, obscurisque collocatæ essent, homi-

Ib. p. 619.

num adeò instructioni inutiles, ad hoc tantum institutæ fuisse videbantur, ut adorarentur. Sed ut ad rem redeam, pergit Michaël, ac subjicit, *quosdam illorum, qui noluerunt suscipere Concilia localia, & à veritate redargui, fugisse è Græcia, & venisse Romam, injuriam & calumnias Ecclesiæ inferentes, & veræ religioni detrahentes.* Istorum omissis blasphemiis profitetur se symbolum sex universalium Synodorum & prædicare, & inviolabiliter corde tenere; ejusque symboli summa capita exponit. Monet se legatis mandasse, ut Romam eant, suasque Papæ litteras unà cum aliquot munusculis tradant. Ludovicum rogat, ut eos ad illud iter juvare, suoque favore sublevare velit; & Papæ *jubere, ut si amodò manifesti fuerint quidam seductores Pseudochristiani Ecclesiæ calumniatores, illuc eos expellere.* Ludovicus, his acceptis litteris, tàm præclaram uniendæ Ecclesiæ occasionem nactus, Freculfum episcopum, & Adegarium Romam misit, qui Orientalium legatorum negotium procurarent, ac promoverent. Verùm cùm illi Romanorum animos longè aliter quam decebat affectos esse cernerent, à Papâ petiverunt, ut Ludovico per eum *liceret unà cum suis Episcopis tantæ rei veritatem familiariter quærere.* Hac ille *licentia* impetrata,

Ib. p. 620.

Ib. p. 629. 630.

trata, viros aliquot è clero, qui tum Ecclesiæ præerat, doctissimos selegit, ac Lutetiam convocavit, totam hanc caussam accuratissimè quoad fieri posset, scrutari, atque definire jussos. Ii verò cùm ad Kalend. Nov. anno Christi DCCCXXIV. convenissent, re deliberatâ, longam ad Ludovicum, Lotariumque Imperatores epistolam scripserunt, quâ docent se, quò rem totam meliùs ac certiùs cognoscerent, primùm legisse *Adriani Papæ litteras pridem pro imaginibus erigendis Constantino Imperatori, & Irenæ matri ejus ad eorum deprecationem directas*; ac eum quidem justè reprehendere illos, qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere, & penitùs abolere præsumpsissent; indiscretè verò fecisse, in eo quòd superstitiosè eas adorare jusserit, & pro earum etiam causâ Synodum congregari præceperit, & suâ auctoritate sub jurejurando censuerit, ut erigerentur, & adorarentur, & sanctæ nuncuparentur, cùm eas erigere licitum, adorare verè nefas sit. Adhæc notant, & meritò quidem, Adrianum *inseruisse in illa epistola quædam testimonia sanctorum Patrum, valdè absona, & ad rem, de qua agebatur, minimè pertinentia.* Addunt *ex hujus epistolæ textu Imperatorem, & Clerum, simulque & populum,*

Ib. p. 627.

lum,

lum, auctoritatem sumentes Synodum fecisse; in qua, sicut illi multum deviaverant, qui imagines Sanctorum in illa alia Synodo, quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est, penitus abdicandas esse decreverant; sic istos non mediocriter erravisse, qui eas non solum coli, & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt, verùm etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt. Tùm istius Synodi, id est Nicænæ, Patres ajunt *quædam sanctarum Scripturarum testimonia, & Sanctorum Patrum dicta ad suum superstitiosum errorem confirmandum videntur sumpsisse;* quod quidem quàm verè ab iis notatum sit, Acta Nicæni Concilii, quæ etiam hodie exstant, satis superque docent. Atque hic exponunt, ut Carolus, hujus ad quem scribunt Ludovici patens, *cùm eandem Synodum coram se, suisque perlegi fecisset, & multis in locis ut dignum erat, reprehendisset, quædam capitula, quæ reprehensioni patebant, prænotasse, eaque per Engilbertum Abbatem eidem Adriano Papæ direxisse, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur. Adrianum verò rursus favendo illis, qui ejus instinctu tam superstitiosa, tamque incongrua testimonia memorato operi inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere, quæ voluit, non tamen, quæ decuit, conatum esse. Talia quippè quædam esse, quæ in illorum objectionem opposuit, quæ re-*

Ib. p. 628.

mota pontificali auctoritate, & veritati & auctoritati refragantur. Hominem tamen excusant, nec *tantùm scienter, quantùm ignoranter in eo facto à recto tramite deviasse* ex eo colligunt, quod *licet in ipsis objectionibus aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehensione digna testimonia defensionis gratia proferre nisus sit, in fine tamen ejusdem Apologiæ sic se sentire, & tenere, & prædicare, ac præcipere de his, quæ agebantur, professus sit, sicut à B. Papa Gregorio institutum esse constabat.* Hic memorant Freculfum Episcopum sibi viva voce exposuisse, *qualiter ipse & Adegarius socius illius, de hac re cum Papa & ministris illius egissent*; seque *relatu illius cuncta cognovisse, qualiter partim veritatis ignorantia, partim pessimæ consuetudinis usu, hujus superstitionis pestis illis in partibus* (id est Romæ, & in reliquâ Italia) *inolevisset.* Justum Imperatoris dolorem ex eo ortum laudant, *quod illos à recto tramite quoquomodo conspiceret deviare, qui summa auctoritate prædititi, deviantes quosque debuerant corrigere.* Ejusdem Principis zelum extollunt, *qui cum duos in periculo constitutos conspiceret, & à via regia declinantes, unum scilicet ad sinistram in abruptum confringendarum imaginum prolapsum; alterum verò ad dexteram in superstitiosam videlicet earumdem imaginum adorationem*

Ib. p. 629. (margin, beside "cusant, nec tantùm scienter")

Ib. p. 630. (margin, beside "dem Principis zelum")

rationem proclivem, voluerit se affectu pietatis medium opponere , & utriusque partis morbo salutiferam medicinam conferre. In primis verò ejus prudentiam , atque solertiam deprædicant , quòd cùm superstitioni suffragari videret eam partem , quæ debuerat errata corrigere , licentiam ab eadem illa impetrasset tantæ rei cum suis quærendi familiariter veritatem , *quatenus* (inquiunt) *sancto vestro desiderio, ac vigilanti studio veritas patefacta, dùm se in medium ostenderet , etiam ipsa auctoritas volens, nolensque veritati cederet , atque succumberet.* Tùm consilium suum aperiunt qua ratione Imperator tàm difficile , tàmque spinosum negotium tractare debeat; nimirùm sic illi temperandam esse hanc operam, *ut quicquid reprehensione in utrisque partibus dignum cognoscitur ad Græcorum personam potiùs referatur, qui libere admoneri poterant, & quorum scandalum , si pro veritate ortum fuerit , faciliùs tolerari posset.* Papam verò *demulcendum esse , laudandum , & præferendum , ejusque auctoritatem magnis laudum præconiis efferendam , Romanæque Ecclesiæ condignam laudem deferendam* ; sic tamen ut *veritas ex testimoniis sanctarum Scripturarum, & sententiis sanctorum Patrum in medium proferatur , & veraciter sobrièque exponatur.* Tali modo videri sibi Imperato- *Ib. p. 631.*

rem utriusque partis saluti prodesse posse; neque Papam, quamquam superstitiosæ consuetudini faventem, credibile esse quicquam aliter quàm auctoritas, & veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumpturum; veriturum enim Ludovici potestatem, auctoritatem Sedis, & testimonia veritatis. Denique *licet in aliquo aut isti, aut illi deviare voluerint, ejusque saluberrimam admonitionem, quæ tota ex auctoritate veritatis profertur, audire contempserint, non minorem ob id à Domino ipsi recompensationem factum iri, quia totum secundum verba B. Eliæ Prophetæ, quod ejus fuit, facere studuerit.* Tùm ajunt se in unum convenientes, & pro captu intelligentiæ suæ familiariter conferentes testimonia ex auctoritate divinâ, & sententias sanctorum Patrum, prout temporis angustia permisit, collegisse; & quicquid de negotio, de quo agebatur, necessarium, aptumque judicarunt, & in unum congerere studuerunt, imperiali potentiæ per venerabileis viros Halitgarium, & Amalarium dirigere. Excusant temporis angustiam, quod ea exclusi nec quanta voluerint, nec quanta potuerint, collegerint, sacris ejus jussionibus totis nisibus parere nisi sint. Eò accessisse, quod quidam è suo numero de longè venien-

Ib. 632.

Ib. p. 633.

tes non habuerint ſpatium quærendi; quidam verò nec cauſam, pro quâ ad illum conventum venire juſſi ſint, donec pervenerint, veraciter noſſe potuerint; Moduinus verò infirmitate detentus venire nequiverit; Tamen in his, quæ collecta ſunt, ſummam hujus negotii diſcretè comprehenſam eſſe, ita ut unuſquiſque fidelis ea perlegens animadvertere queat, quod *imagines Sanctorum ſtulta præſumptione non ſunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ, & penitùs deſpiciendæ, nec aſſertione ſuperſtitioſa colendæ, aut adorandæ; ſed potiùs hujuſmodi ſuperſtitione remota, juxta veram religionem, memoriæ & amoris cauſſa, ob recordationem eorum, quorum imagines, habendæ, ſicut à beatiſſimo Gregorio ſatis catholicè, perſpicuèque dictum declaratur*. Cæterùm ſe cùm Paparum erga imagines ſuperſtitioſam venerationem quidam viſu, omnes verò aliorum relatu cognoſcant, voluiſſe primùm contra illos ſententias ponere, qui imagines præſumptuosâ temeritate confringere præſumpſerunt, quatenus inde iſti animati aliorum errata valentiùs cum Imperatore corrigerent, & ad ſuam ſuperſtitionem agnoſcendam veritatis teſtimonia ſuſcipienda animum facilius flecterent. Eademque de causâ, quod jam præmiſe- *Ib. p. 634.*

runt, id etiam nunc censere, sermonem Ludovici contra illos usquequaque dirigendum à quibus illi directa erat superius memorata epistola; *quoniam ejus textus utramque partem reprehensione dignam demonstravit, & illam scilicet; quæ indebito, ac superstitioso cultu imagines venerabatur, & illam, quæ ab inferioribus locis easdem imagines evertere, ac delere præcepit*; seque ita existimare, *quamquam cætera alia secundum auctoritatem veritatis sicut in suis scriptis continetur idem Imperator* (id est Michaël) *fecerit, propter hoc tamen factum quosdam illarum partium infirmos scandalizasse, nec non quosdam urbis Romanæ perturbasse.*

Hæc præfati variorum locorum ex diversis Patrum libris collectionem satis prolixam Ludovico exhibent in certa capita distributam; quorum primum ex instituto & supra memorato ordine illud
Ib. p. 635. occurrit, quod est *contra eos, qui imagines non solum ab ædibus, sed etiam à sacris vasis indiscretè abolere præsumunt.* Atque hic nonnulla ex iis adferunt, quæ solent hodie ab adversariis in hac causâ adduci, quæque suo loco sunt à nobis in superioribus expensa; quale illud est ex Eusebio petitum de Christi statuâ Paneade à muliere positâ; item alia ex Sylvestri vitâ, ex Paulino, ex Gregorio Nysseno, & Augustino.

Eo,

Eo, quod sequitur capite ex variis Gregorii Papæ locis, quæ sunt etiam à nobis suprà recitata, ostendunt, *qualis discretio sit tenenda erga Sanctorum imagines habendas, & historiarum picturas.* Tertio capite in eos stili mucronem convertunt, *qui indebito cultu imagines colunt, & adorant, & sanctas nuncupant, & sanctimoniam se per eas adsequi fatentur*; ita enim *insertum inuenisse in illa Synodo Græcorum*; Nicænam autem intelligunt. In eodem argumento versantur sequentibus porrò capitibus ad quintumdecimum; & quæ in hac causâ adhibuimus testimonia, eadem ferè laudant, ac inter cætera Epiphanii de Anablatensi imagine narrationem; planèque ut Carolus, Nicænorum objectiones, atque exceptiones refellunt; verbi gratia, de fastigio virgæ Josephi à Jacobo patrichâ adorato, de Nathane itidem à Davide adorato, de Cherubinorum, & arcæ cultu, ac veneratione, aliaque ejusdem farinæ. Capite decimoquinto ad Iconoclastas iterum redeunt, quos variis veterum testimoniis confutare aggrediuntur, nonnullis etiam apocryphis, plerisque ex Nicænorum disputatione haustis; ex quâ capite decimosexto longam, ac putidam de Sarantapechy quodam Judæo fabulam describunt, quem ipsi fran-

Ib.p. 641.

Ib.p. 646.

gendarum, ac exterminandarum imaginum primum auctorem fuisse volunt. His ejus epistolæ, quam à Ludovico ad Pontificem Romanum scribendam censebant, exemplar subjiciunt; in qua ille ob eas rationes, quæ supra sunt expositæ, Papam primò effert magnis laudibus, ejusque sedem, atque auctoritatem mirificè extollit, ac deprædicat; deinde ei cùm maximæ humilitatis significatione suadet, ut de imaginibus ad Orientales scribat; verecundèque hanc suam audaciam excusat, se id aggressum, *non ut sanctæ & à Deo datæ ejus sapientiæ altiùs, sublimiùsque progrediendi terminum ponere præsumpserit, sed ne id, quod exinde sibi omnipotentis Dei misericordia conferre dignata, est silentio tegeret*. Se enim non Synodum congregando, sed quemadmodum à Papa postulaverit, licentiamque agendi perceperit, unà cum suis familiaribus considerare studuisse quid ejus almitati de tantâ necessitate significare posset, qualiter idem Græcorum populus ad veram concordiam revocari posset. Huic epistolæ exemplar alterius cujusdam addunt, quam à Papâ Romano ad Michaëlem, & Theophilum Orientis Imperatores scribi cupiebant; in quâ id, de quo supra diximus, consilium explicatur de

Ib. p. 722.

tollendo

tollendo schismate, ac reconciliandis in unam Ecclesiam Orientis populis; cujus hæc summa est, *ut qui volunt pro pia memoria, vel sana doctrina in locis competentibus absque ullo illicito cultu pictas, vel fictas habeant imagines; qui autem nolunt, absque ullo illicito contemptu taliter habentes, vel habitas imagines nullatenùs spernant.* *Ib. p. 731.*

Ludovicus acceptis his episcoporum litteris ad Eugenium scribit, qui illis temporibus, Romanæ Ecclesiæ præerat; Principiò commemorat, quid auditis Orientis legatis gesserit; Docet suos episcopos juxta concessam ab ipso Eugenio licentiam de libris sanctorum Patrum sententias quæsivisse, atque collegisse, quæ ad causam imaginum veraciter definiendam convenire possent; Quæ ab iis acceperit se Eugenio mittere legenda, atque examinanda, per legatos Jeremiam, & Jonam, venerabiles episcopos, in sacris litteris admodum eruditos, & in rationibus disputatoriis non minimùm exercitatos; adeo ut si dignum duxerit, ipse cum iis de legatione in Græciam mittendâ non inutilem, sed potiùs proficuam collationem habere possit. Testatur eos à se non ejus docendi gratiâ directos, sed juvandi, siquid auxilii in præsentibus negotiis ferre possint. Ro-

gat, ut curam, & diligentiam adhibere dignetur, eamque legationem in Orientem mittere, quæ & ſacratiſſimâ illa Sede digna ſit, & ad extinguendum funeſtum illud, quod de imaginum negotio fervebat, diſſidium, idonea. Si quos à ſe etiam legatos Conſtantinopolim mitti cupiat, prolixè ſuam operam defert. Has ad Eugenium litteras Ludovicus ſupra memoratis epiſcopis, Jonæ nimirum & Jeremiæ, Romam perferendas, miſit; monens ac præcipiens, ut anceps atque lubricum negotium exquiſitâ prudentiâ, ſolertiâque tractent, *patienter ac modeſte cùm Papa de hac cauſa diſputationem habeant*; *ut ſummopere caveant ne nimis ei reſiſtendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellant*; *ſed paulatim verbis ejus quaſi obſequendo magis, quam apertè reſiſtendo ad menſuram, quæ in habendis imaginibus tenenda eſt, eum deducere valeant*. Jubet eum interrogari, an ei placeat è Francia legatos cum ſuis in Græciam mitti; Si annuerit, ea de re ſe quam primùm certiorem fieri vult, ut Halitgarius, & Amalarius ad illud iter ſe ſe mature parare queant. Atque hæc omninò ſunt, quæ Synodi Pariſienſis codice continentur; quem ego librum à Bellarmino, cæteriſque earumdem partium explodi, atque

Ib. p. 750.

que

que exſibilari, minimè miror. Eos enim vehementer oppugnat, omneſque illas, quas in Francofordienſe Concilium, libroſque Carolinos parabant exceptiones, atque defenſiones, planè disjicit, atque evertit. Nam clariſſimè teſtatur noſtri Occidentis Principes, & præſules NicænæSynodi de imaginibus decretum verè repudiaſſe, ipſaſque imagines neque latriâ, neque adoratione ullâ relativâ colendas putaſſe, eaſque non aliter habendas, aut retinendas cenſuiſſe, quam ad rerum memoriam, rudiorumque inſtructionem. Illud item apertiſſimè docet non ignoraſſe noſtros, quæ Adriani, quæ cæterorum Romæ Pontificum partes in hoc negotio fuiſſent, iiſque non alio conſilio peperciſſe, & eorum in hanc cauſam ſtudium diſſimulaſſe, niſi ut callidâ hâc, ſolertique œconomiâ facilius eos ab errore ad veritatem, à ſuperſtitione ad religionem traducerent; quos alioqui locis, temporibuſque idoneis liberrimâ voce non verentur accuſare. Nam hic rotundè & ſine ambagibus pronunciant Adrianum *indiſcrete feciſſe*, idque quod *erat nefas cenſuiſſe*; eumdemque ajunt in utraque quam de imaginibus tùm ad Conſtantinum, tùm ad Carolum ſcripſit epiſtolâ, *quædam teſtimonia*

ſanctorum

ſanctorum Patrum valde abſona, ſuperſtitioſa, atque incongrua inſeruiſſe, & quæ voluit, non tamen quæ decuit reſpondere conatum eſſe. Ex eo quoque libro manifeſtum eſt vanos fuiſſe Adriani conatus, ipſoſque tùm Imperatores, tùm epiſcopos Occidentis in Francofordienſis Synodi ſententiâ conſtanter permanſiſſe, & à Papâ exegiſſe ut in eamdem ipſe quoque concederet, repudiato Nicænorum errore. Ex quibus neceſſariò conficitur nihil iis fingi poſſe ſtultius, aut mendacius, quæ ſupra pro certis ac compertis narrabant adverſarii; nimirum ideo Nicænam Synodum damnaſſe Francofordienſes, quod eam per ſummum mentis errorem, & ſine Romani Pontificis conſenſu celebratam, & imaginibus latriæ cultum decreviſſe falsò ſibi perſuaderent. Nihil ergo mirum, aut ab ingenio, & more ſuo alienum facit Bellarminus, cum hunc librum eadem audaciâ rejicit, quâ cæteros ſolet ſuæ ſectæ placitis adverſantes. Hoc verò mirum, & indignum merito, mihi quidem, videretur, ſi iſtorum hominum contracta ex nimio cauſæ ſtudio cæcitas cuiquam dubiam, & incertam efficeret ejus libri fidem, cujus tam clara eſt, tamque explorata veritas. Primum enim is excuſus eſt ex exemplari, quod ex Pithœi codice

codice manuſcripto ſummâ fide deſcriptum fuerat, clariſſimi viri, in Eccleſiæ Romanæ communione nati, educati, mortui; in quâ ille ſic vixit, ut non eruditione modo & litteris, ſed etiam probitate, candore, ac ſapientiâ, cæteriſque bonis omnibus artibus excelluiſſe exiſtimatus ſit. Manu exaratum exemplar in membranis egomet inſpexi; quod omnes magnæ, ac venerandæ antiquitatis notas præ ſe fert; ut hic uſurpare liceat, quod Sirmundus ſupra in ſimili argumento ſcribebat, *De hoc libro, quin verus, ſincerusque ſit, nobis certè propter antiquiſſimi codicis auctoritatem ambigere non licet.* Jam quin ex eo codice verè ac fideliter deſcripta fuerint edita à Bongarſio, Chriſtianiſſimi Regis tùm in Germania oratore, exemplaria, dubitari non poteſt. Nam ſi quid vel dolo, vel imprudenter mutatum eſſet, homines haud dubie de peccato illo monuiſſent, qui codicem manuſcriptum habuerunt, vel nunc habent in poteſtate, nimirum olim quidem Pithœus, nunc verò ampliſſimus Thuanus, ambo Eccleſiæ Romanæ ſacris atque communioni addicti. Atqui nihil hactenus tale factam eſt, quamquam anni plures, quam quadraginta quinque effluxerint, à quo tempore Francofordiæ

editus

editus est. Res verò ipsæ, & facta, quæ eo libro continentur, hujusmodi sunt, ut de plerisque diserta extent veterum scriptorum testimonia. Græcorum enim hanc ad Ludovicum legationem memorant Eginhardus, Annales Bertini, & Metenses. Aimoini verò continuator, rem totam penè sigillatim exsequitur; Conventum Rothomagi à Michaëlis legatis Ludovicum; eique traditas Michaëlis litteras cum munusculis; ac inter cætera legationis capita quæsivisse eos de imaginibus quid facto opus esset. Papamque sibi de ea causâ, Romæ consulendum dixisse. Auditos, responso dato, curasse Ludovicum Romam deducendos. Ex quo loco videtur Platina quæ hac de re tradit, nonnihil interpolata hausisse. Scriptoris illius verba (quæ etiam habentur apud Athelmum in Annalibus ad annum Domini DCCCXXIV.) siquis desiderat, hæc habeto: *Rotomagum civitatem, ubi conjugem se operiri jusserat, ad XV. Decembris Imperator reversus est. Nam & illuc legatos Michaëlis Imperatoris sibi occurrere jusserat, cum quibus & Fortunatus, Patriarcha Gradensis, regressus ad ejus præsentiam venit. Sed legati Imperatoris litteras & munera deferentes pacis confirmandæ causa se missos esse dicentes, pro Fortunato nihil locuti sunt.*

Aimoin. de gest. Franc. l. 4. c. 112.

Plat. in Eug. 2.

ſunt. Inter cætera tamen ad legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ ſe Romam ire, atque Apoſtolicæ ſedis præſulem conſulere debere dixerunt. Quos cum, legatione eorum audita ac reſponſo reddito, abſolveret, ut ſe velle dicebant, Romam ducere juſſit. Diſquiſitionem autem Ludovici, & Lotarii filii juſſu de imaginibus ab Epiſcopis factam omnino videtur in animo habuiſſe Dungalus, quo loco aduerſus Claudium Taurinenſem ſcribens prodit *de imaginum pictarum ratione inquiſitionem diligentius ante biennium apud glorioſiſſimos, & religioſiſſimos Principes habitam eſſe in palatio, ubi* (inquit) *divinæ Scripturæ, ſanctorumque librorum, & probatiſſimorum, qui eos ſcripſerunt, virorum, exemplis atque auctoritate cum quanta & quali moderatione, ac diſcretione ſint habendæ, inventum, confirmatum, ſatiſque evidenter definitum eſt.* Idem quoque teſtatur Valafridus mortuo jam Ludovico ſcribens, *Ipſa denique querela Græcorum*, inquit, *temporibus bonæ memoriæ Ludovici Imperatoris in Franciam perlata ejuſdem Principis providentia ſcriptis Synodalibus eſt confutata.* Synodalium iſtorum ſcriptorum codex vetuſtiſſimus manu exaratus in membranis repertus eſt noſtrâ memoriâ, non in Proteſtantis alicujus, ſed in Romanæ communioni

Dung. Reſp. ad Claud. Taur. Bibl. Pp. T. 4. p. 2. p. 155. C.

Valafr. Str. de reb. Eccleſ. c. 8.

munioni addicti hominis bibliothecâ, cujus in eruendis antiquitatis monumentis ſolertiam, judicium ac fidem omnes laudant; Ipſe liber ita ſcriptus eſt, eaſque tùm in ſtilo, tùm in diſputandi ratione vetuſtatis notas præ ſe fert, tàmque ab hoc noſtro ſæculo alienas, ut veluti clarâ voce teſtetur ſe non noſtro, ſed ipſo illo, cui attribuitur, tempore natum. Quid tandem afferre poſſunt adverſarii, quo ſic undique munitam, tamque ab omni parte cohærentem hujus ſcripti veritatem labefactent? Hic verò Bellarminus in aciem prodit; magnâque voce minitatur mox ſe effecturum, ut qui libellum ediderunt *oleum & operam ſe perdidiſſe doleant.* Qui autem Concilia nuper publicarunt iis hic Bellarmini labor adeo arriſit, ut totam ejus de hoc argumento diſputationem operi ſuo inſerendam putaverint, quo loco legi debuerat ipſa Pariſienſis Synodus. Experiamur ergo quid iſte ſit præſtiturus.

Bell. append. ad l. de Im. c. 1.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu.

Ibid. Principiò indignatur Synodum dici quæ hoc libello continetur, in quâ nulla conſpiciantur decreta, nulli Canones, nulla epiſcoporum ſubſcriptio, nulla denique Synodi mentio; ipſum libellum hujus

hujus tituli vanitatem apertè redarguere, quo loco Ludovicus ad Eugenium scribens negat se Synodum congregasse. Sed sit ita sanè, quando hoc Bellarmino placet. Quid enim refert, quo titulo sit hic liber, dùm constet eo haberi sententiam plurium episcoporum, à Ludovico olim Lutetiam ex Eugenii Papæ concessione atque licentiâ convocatorum, ut unà de omni hac imaginum causâ diligenter cognoscerent? Si communi præsulum istorum definitioni, atque sententiæ *Synodi* nomen invident, per nos licet; Neque enim ita ineptè morosi sumus, ut de unâ voce pugnandum putemus. Satis habemus, quod hæc fuit Freculfi, Adegarii, Jonæ, Jeremiæ, Amalarii, aliorumque principum Ecclesiæ Gallicanæ antistitum de imaginibus sententia, & quidem à Ludovico, Regum optimo, atque mansuetissimo, probata, & executioni mandata. Narrat deinde Bellarminus Michaëlem istum Balbum, cujus in hoc libro epistola habetur religiosi studii plena, Principisque Christianissimi pietatem spirans, scelestissimum fuisse latronem, pessimis artibus, nefariâque Leonis cæde, imperium adeptum. Equidem non sum nescius quàm parùm in hac causâ fidei merean- *Ib. c. 2.*

tur, quos hic auctores sequitur Bellarminus, nimirum Zonaras, & Cedrenus, homines notissimi in imagines, quas Michaël iste in Oriente insectatus est, studii. Fingamus tamen istum omnino talem fuisse, qualem eum nobis describit Bellarminus; quam vim hoc habebit ad id, quod iste vult, probandum, nimirum suspectum esse & supposititium hunc librum? Testantur veteres Michaëlem ad Ludovicum scripsisse, & quidem de imaginibus. Bellarminus negat hanc esse ejus epistolam. Quid ita? Quia, inquit, Michaël impius & scelestus fuit; qui vero in hac epistolâ inducitur, is oratione utitur honestissimâ, & studii religiosi plenâ. O acutam argumentationem! Quid? Hunccine hominem sperabas, Bellarmine, probra ipsum sua, animique scelera retecturum, ac palam professurum? Adeonè fraudis & sceleris ingenium ignoras, ut impios numquam putes fidem & pietatem mentiri? Sed neque illud ferre potest adversarius, quod narrat Michaël fuisse in Græciâ homines, qui quas recenset superstitiones, vel ineptias in cultu imaginum exercerent; easque meras calumnias atque imposturas esse, non tantum ait, sed etiam ex eo probat, quod Nicænum Concilium, annis

Ib. c. 2. §. Quod verò.

nis quinque & triginta ante illud tempus celebratum, nihil hujusmodi præcepisse deprehendatur. Quid tu istis feceris, qui quid in Græciâ ante annos octingentos fieret meliùs & certiùs scire se profitentur, quàm eos, qui ipsis illis temporibus vivebant? Quid verò ad hæc Concilium Nicænum, de quo Michaël verbum facit nullum, sui tantum temporis peccata, & superstitiones commemorans? His egregie gestis nos Bellarminus invicto hoc dilemnate urget; *Vel Franci, qui Ludovico à consiliis erant, fidem habuerunt litteris Michaëlis, vel non habuerunt. Si fidem habuerunt, circumventi sunt, atque decepti. Si non habuerunt, abusi sunt litteris illis ad permovendum summum Pontificem, ut majorum suorum acta rescinderet.* Sed nullo fundamento nititur hæc Bellarminianæ argumentationis consecutio. Fac enim istos Michaëlis litteris fidem habuisse; undè tu deceptos fuisse concludis, qui nondum probasti quicquam fuisse falsum in Michaëlis litteris? Fac eosdem fidem non habuisse; non ex eo sequitur voluisse eos Papam circumvenire; qui quod ipsi proponunt consilium, id plurimis optimis, & certissimis rationibus confirmant, & quidem ab iis, quæ in Michaëlis epistolâ narrantur, planè

alienis. Sed utcumque se res habeat, sive decepti sint isti, sive decipere voluerint, sic concludit hoc caput Bellarminus, ut dicat nihil attinuisse libellum hujusmodi edere, *qui nihil utilitatis, detrimenti autem plurimùm afferre poterat*. Nimirum istis inutile est, quicquid rem Romanam minime juvat; damnosum, quicquid ejus rationibus adversatur. Bellarminus indè ad Præsulum Gallicanorum epistolam venit, quos graviter accusat, quod non solum Adriani epistolas, sed & ipsam Nicænam Synodum secundam carpere, atque sugillare ausi sint, eoque istos ait *audacter judicium sibi de scriptis Apostolicis desumpsisse, judicemque suum, & totius mundi judicasse, & universorum doctorem docuisse*; *qua temeritate nullam majorem cogitari posse* scribit. Fateor equidem istos præsules, si eadem illorum fuit, quæ Bellarmini est, de Papâ Romano sententia, immeritò ac præter jus ita cum eo egisse; temereque fecisse, qui Doctorem summum atque ἀνυπεύθυνον, Ecclesiæque universalis magistrum, atque monarcham infallibilem scilicet, docere ausi sint. Cæterùm istos longè aliter de eo existimasse hoc ipsum quod ita cum illo agunt, maximo argumento est. Jam verò an illi rectè verèque senserint, qui Papam errare, fratrumque admonitione

Ibid. c. 3.

corrigi

corrigi posse putarunt, non est præsentis instituti quærere. Nobis nunc quidem satis est, quod ii non censuerunt imagines adorandas, liberèque & Synodos, & Pontifices, à quibus id decretum fuerat, reprehenderint. Neque enim aliud est, quod in præsenti disputatione agimus. Notat mox Bellarminus multa testimonia parum apposité ad eam, quam agebant causam, ab istis adducta; qualia sunt Basilii & Gregorii Magni dicta supra à nobis suo loco excussa; aliaque non pauca inepté atque inscitè huic collectioni, ut censet, inserta. Ego verò ista non defendo; ultroque confiteor multa istos peccare; neque miror, cùm eo sæculo vixerint, quo litteræ pænè oppressæ in tenebris jacebant; ut nihil dicam de ea, quam ipsi etiam excusant, temporis angustiâ. Sed si peccata hujus generis omnem libris auctoritatem demere censenda sunt, non video quo loco & numero habendæ erunt istorum, de quibus modo Bellarminus, *mundi judicum* epistolæ, ipsaque illa Adriani, quam hic *doctissimam* appellare non dubitat; pleræque tam multis ineptiis differtæ, tot tantisque paralogismis scatentes, stilo adeò agresti, ac barbaro conscriptæ, ut heroicâ quadam patientiâ iis sit opus, qui totas à capite ad

Ib. c. 4.

calcem legere voluerint. Sed nihil Bellarminus fert indignius, quàm quod isti,
Ib.c.5. ut vocat, collectores ausi sint epistolæ, ab Eugenio Papâ ad Michaëlem & Theophilum Imperatores mittendæ, exemplar conscribere. Quod eorum factum imprudentiæ merito damnari, non nego, si Papam perinde ut Bellarminus, pro oraculo ἀναμαρτήτῳ habuerunt. Cùm verò illi planè aliter senserint, Papamque & hominem esse, & labi atque errare, & doceri atque discere posse putaverint; equidem non capio, cur hoc eorum consilium ineptum & indecorum potius existimari debeat, quàm Cypriani Carthaginensis, aut Cyrilli Alexandrini, quorum ille Cornelium, hic Celestinum toties monent de iis quæ vel facienda, vel dicenda aut scribenda videbantur. Nam Cyprianus quidem, quantumvis egregius, unus tamen fuit episcopus; Cyrillusque similiter; nostri verò isti Galli plures erant; neque de his monere aut scribere aggressi sunt, nisi postquam à maximo, Christianissimoque Principe Ludovico, impetratâ ejus rei ab Eugenio facultate, convenire jussi sunt, ac de re totâ seriò atque accuratè cognoscere. Huc accedit, quod libertatem illam suam tam prolixis, tamque demissis excusationum

num ambagibus temperant; ut totam eorum orationem, adeò sunt multæ, non parum involutam, atque impeditam reddiderint. Sed quædam in hac epistolâ notat Bellarminus, quæ Papam non videntur decere. Quæ si ita esse concesserimus, non video quid hoc ad præsentem causam faciat. Inspiciamus tamen sigillatim, quæ objicit adversarius. Primum ergò conqueritur, quod *hæc epistola Pontificem summum faciat adulatorem Imperatoris impudentissimum*, dùm ita loquitur, *O venerandi mundi Principes, cum universa sancta Dei, quam Domino disponente, & committente gubernatis, Ecclesia.* Et infrà, *propter adunandam, quam Domino Deo ordinante regitis, Ecclesiam.* Reprehendit Bellarminus, quod sæcularis Princeps *Ecclesiam gubernare, ac regere*; quod scelestus Princeps, qui hero ac domino suo interfecto tyrannicè imperium invaserat, *Deo disponente ac gubernante* regnare dicatur. Id invidiosissime exagitat adversarius, neque aliter paratragœdiat, quam si actum esset de re Christianâ. Ad prius respondeo, nihil esse causæ, cur Græcis, aliisque Orientis populis Michaëlis imperio subjectis, *Ecclesiæ* nomen invideat Bellarminus; quos Christianos fuisse, & quidem baptizatos, negare non potest. Talibus ne *Syna-*

 gogæ

gogæ potiùs nomen tribuendum fuisse putat, quàm Ecclesiæ? Neque item video, quid hoc Episcoporum auctoritati, munerique detrahat. Nam siquis Davidem dixerit *populum Dei rexisse, & gubernasse*, non is opinor, Pontificis maximi, aliorumque apud Hebræos sacerdotum munia, ac dignitates ea oratione vel extinxerit, vel imminuerit. Vnum eumdemque populum, unam eandemque Domini Ecclesiam, sed aliter, atque aliter regunt tùm Principes, tùm episcopi; hi ut sic dicam, spiritualiter, rationibus ac mediis spiritualibus; illi civiliter civilibus mediis ac rationibus. Vtcumque sit, non est hæc durior oratio, quàm quâ alibi usus est Amalarius ita Ludovicum Imperatorem alloquens, *Cùm sciamus*, inquit, *vos rectorem esse totius Christianæ religionis, quantum ad homines pertinet*. Sic etiam Synodus Parisiensis sexta ait *Christum Ecclesiam, quam suo proprio sanguine redemit, suis orthodoxis famulis Ludovico, & Lothario, gloriosis Augustis, regendam, tuendamque committere occulta sua dispensatione voluisse*. Ad id verò, quod secundo loco objicit Bellarminus, respondeo Deum parricidia quidem & cædes vetare, ac detestari; sed nihilosecius regna, ac respublicas curare & dispensare, deque iis statuere; Itaque

Amal. Præfat. in l. 1. de offic. Eccles. T. 10. Bibl. Patr.

Synod. Par. an. D. 829. habita in præfat. T. 6. Conc. p. 321. e. edit. Par. anno 1636.

tametsi

tametsi Michaël iste *contra Dei voluntatem* se gessisset, non tamen *præter Dei voluntatem* imperium adeptus erat, hoc est non citra ejus decretum, & permissionem; adeo ut non improbando sensu dici posse videatur *Deo disponente, committente, & ordinante* regnasse; maximè cùm ab hujusmodi phrasi minimè abhorreat Scriptura, quæ ait Deum Jeroboamo *decem tribus dedisse*, quarum ille imperium pessimis artibus, summâque Roboami injuria rapuerat. Miror Bellarmino non hic venisse in mentem Gregorii ad Phocam litteras, diro & nefario parricidio imperium itidem adeptum, cùm herum, atque Dominum suum Mauricium unà cum fratre, & quinque liberis crudelissimè interfecisset. Mundo, ac Ecclesiæ impii prædonis dignitatem, ac regnum gratulatur optimus, sanctissimusque Pontifex; *Cœlos lætari* jubet, *exultare terram, ac de Phocæ benignis actibus universæ reipublicæ populum hilarescere*; hucque refert, quod Scriptura docet *Deum mutare tempora, ac transferre regna, & dominari in regno hominum, ipsumque cui voluerit dare illud.* Ad Leontiam parricidæ illius uxorem de eodem argumento scribens, *Quæ lingua* (inquit) *loqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri imperii omnipo-*

1.Reg. 11.31.

Greg. l. 11. ep. 36. & ep. 43. 44.

tenti Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondera cervicibus nostris amota sint, & imperialis culminis leve jugum subiit, quod libeat portare subjectis? Reddatur ergo creatori omnium ab hymnidicis Angelorum choris gloria in cœlo; & quæ sequuntur. Post hæc exempla fuitne Collectoribus illis nostris verendum, ne dùm Eugenium ita ut supra audivimus, loqui faciunt, orationem ei tribuisse viderentur Papali sanctitate indignam? Id etiam illis vitio vertit Bellarminus, quod in eadem epistolâ non semel repetatur hoc argumentum, *Si nulla umquam picta, vel ficta fuisset imago, nihil periret de fide, spe & caritate, quibus ad regnum pervenitur æternum.* Sed cur isti non id scripsissent, quod verum esse existimabant? quodque in hac causâ, cæterisque ejusdem generis vel maximè considerari decet? Nam imaginum venerationem, etiamsi ea, quod non est, licita & libera suapte naturâ esset, tamen cùm non esse necessariam omnes fateantur, omitti deceret, propter turbas, quas in Ecclesiâ excitavit, & scandala quæ fidelibus, atque infidelibus plerisque objicit. Quod verò ait adversarius *eo argumento effici imagines omninò de medio esse tollendas, quod isti tamen nolebant*, non video quæ sit istius consecutionis necessitas.

Non enim inutile eſt quicquid non eſt neceſſarium, multaque ſunt, quibus carere alioqui poſſemus, ob tempora, ob loca, ob perſonas, quibuſcum agimus, retinenda. Vt fidelium imaginibus infeſtorum ratio à cæteris Chriſtianis exigebat, ne eas adorarent, ſic eorum, qui imagines fovebant, uſum atque ædificationem ab aliis viciſſim flagitaſſe, ut eas in Eccleſiis tolerarent, putarunt noſtri illi Collectores. Quod autem adjicit Bellarminus, *quamvis nihil periret de fide, ſpe, & caritate ſi nulla picta, vel ficta eſſet imago, tamen quando picta vel ficta eſt, peccare in fidem, qui eam negat eſſe venerandam*, id ſanè conſequens eſſet, ſi quod ille ponit verum foret, deberi nimirum imagini cultum religioſum. Id verò clarum eſt numquam ei conceſſuros fuiſſe veteres illos Gallos, quum is proprie eſſet illius, quæ ab iſtis oppugnabatur, cauſæ cardo. Neque hanc Bellarmini hypotheſin probat, quod *honor imaginis ad prototypum refertur*. Primum enim ea ſententia in iis tantum imaginibus locum habet, quæ ab eo vel inſtitutæ, vel certe minimè prohibitæ ſunt, quem honorare cupis; Tum neque ſi hoc Sanctorum imaginibus conveniret, ideo tamen ſequeretur eas religiosâ veneratione colendas eſſe; Nam neque homines,

nes, quod ii ſint Dei optimi maximi vivæ, ſpirantesque imagines, idcircò religiosè veneramur; neque eorum, quos vel amamus, vel colimus, omnibus ſimulacris aſſurgimus, aut ea inflexo genu, nudatoque capite ſalutamus; Ac denique ut iſta, quæ ineptiſſima & abſurdiſſima eſſe nemo non videt, veriſſima & certiſſima eſſent, tamen non abſolutè neque ſemper vera futura manifeſtum eſt; quod ea incidere poſſent tempora, quibus honores iſtos omitti tutius, atque utilius foret; verbi gratiâ æneo ſerpenti ex hac Bellarmini ſententiâ cultus, veneratioque debebatur; Et is tamen propter abuſum plebis, ab Ezechiâ Rege ſummâ cum laude non modo non cultus, & honoratus, ſed etiam disjectus, ac confractus eſt. Sic quotidie in republica impunè conſcinduntur, imo etiam funduntur nummi adulterini, quibus tamen inſculpta ineſt Principis effigies. Sed & palam nobis illudit, dùm ſic agit adverſarius. Hoc enim nunc quæritur, repudiaverint-ne Nicænum Concilium Gallicani Patres, non autem jure ne an injuria repudiaverint. Illo omiſſo Bellarminus in hoc digreditur. Pugnet ergo ille de jure, ſi libet, cum venerandis iſtis Patribus. Nobis nunc quidem ſatis eſt, quod de eorum facto conſtat.

constat. Postremò hoc quoque criminatur Bellarminus, *quod in eadem epistola reprehenditur Constantinus, & mater ejus Irene, quod edicto suo jusserit sacras imagines, juxta Concilii generalis decretum, cum veneratione esse habendas; eam enim reprehensionem à summo Pontifice, nisi plane amente, scribi non potuisse.* Sed ille more suo, quod in quæstione versatur id tamquam verum, ac certum supponit. Nam si, quod Bellarminus putat, Adrianus Nicænique Patres jure merito religioso cultu prosequendas imagines decreverunt, sique, quod ille quoque itidem credit, infallibile oraculum est os Pontificis Romani; si hæc inquam, ita habent, fateor neque Eugenium, quæ sunt à Bellarmino notata, scribere debuisse, neque ut ea scriberet, satis prudenter, satisque verecundè flagitasse Ludovicum & episcopos. Sin contra gravissimè peccarunt tùm Adrianus, tùm Nicæni, dùm imaginibus tribuendam venerationem censuerunt, profectò negari non potest, quin & Constantinus, Ireneque reprehendi mereantur, quod iniquum decretum exsecutioni mandaverint, & Eugenius id eorum factum vituperare potuerit; nisi fortè fingatur istos Pontifices suorum majorum facta decretaque, quantumvis stulta, iniqua, atque periculosa

losa numquam tamen reprehendere debere. Jam utrum horum de Adriano, deque Concilio Nicæno secundo senserint Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi, satis ex iis patet, quæ suprà sunt à nobis disputata. Fas ergo iis fuit optare, ut hac de re sic scriberet Eugenius; quem neque aliter loquentem inducere potuerunt nisi suam ipsi causam proderent. Hæc sunt scilicet horrenda illa tela, quibus statim effecturum se minabatur Bellarminus, ut hujus libelli editores oleum & operam se perdidisse dolerent. Sed cum satis sibi ipsi esset conscius, quàm verus sit & incorru-
Bell. ib. c. 6. ptus hic liber, neque, quod ait, *confictus, vel depravatus & auctus*, tandem concludit *sive sit verus, sive confictus, sive partim sincerus, partim adulterinus, illud quidem certè constare non esse hunc librum dignum, in quo legendo tempus conteratur.* αὐτὸς ἔφα. Magister Bellarminus dixit. Hoc satis. Sic enim isti venerandam illam, quam tantopere colere se & laudare mentiuntur, antiquitatem, despiciunt, atque despuunt, quoties ea ipsorum causæ adversatur. Nos verò pace Bellarmini credimus libellum hunc verè, quod præfert titulus, continere complurium episcoporum Lutetiæ olim congregatorum communem de imaginibus sententiam; neque verò nos
de

de hujus operis veritate dubitare ſinunt vel ſtilus, & ſcribendi ratio, vel ejus è qua prodiit, bibliothecæ fides, atque probitas; præſertim cùm nihil contra afferant adverſarii, quod ſit ullius momenti. *Dictio*, inquit hic Bellarminus, *barbara eſt, ſententiæ inſulſæ, ordo perverſus, eorumdem teſtimoniorum crebra repetitio.* Eſto ſanè; pluribuſque etiam aliis vitiis laboret hic liber, ſi ita iſtis placeat. Hoc certè nomine eum ſuſcipio, atque exoſculor libens, lectuque digniſſimum judico, quod ex eo, quamtumvis cætera inepto, atque inſulſo, clariſſimè id diſcimus, quod & ad veram antiquitatis fidem illuſtrandam maximè pertinet, & ab adverſariis pertinaciſſimè oppugnatur, nimirum Ludovicum Auguſtum, illuſtriſſimoſque, qui tùm Eccleſiæ Gallicanæ præerant epiſcopos, Amalarium, Jonam, Alitgarium, Trevolfum, Adegarium, Freculfum alioſque conſentientibus omnes animis rejeciſſe, atque exploſiſſe ab Adriano Papâ probatum Nicænæ Synodi de imaginibus decretum, quod hodieque ab iſtis pro verâ & authenticâ univerſalis Eccleſiæ lege obtruditur. Id verò tàm evidens eſt, ut Baronius fateatur maximos quoſque Galliæ noſtræ viros Ludovici, Caroli que temporibus florentes, Nicæni concilii

cilii de imaginibus ſententiæ adverſatos eſſe, quo in numero illos omnes recenſet, quorum nomina nuperrimè recitavimus, eoſque homo animi impotens, cùm non aliud ſuccurreret, quod huic telo opponeret, multis maledictis obrutos, inſaniæque damnatos contumelioſiſſimè dimittit; *Mirandum planè, atque dolendum eſt* (inquit) *præclariores hujus ſæculi ejus provinciæ viros, nominatim ſuperiùs recenſitos, ſub duobus Imperatoribus, Carolo & Ludovico, adeò contentioſè, & animo penitùs refractario, pertinaci ſtudio, indefeſſo conatu, inflexibili propoſito voluntatis, adverſus adorationem ſanctarum imaginum contra ſeptimam Synodum obſtrepuiſſe, clamaſſe, & pace eorum dixerim, inſaniiſſe, & nihil reveritos œcumenicæ Synodi majeſtatem, neque tot pro ea pugnantium Romanorum Pontificum poteſtatem.* His enim iſte floſculis exornat, quotquot ſuis illis ter maximis Pontificibus contra ire audent, quocumque ii ſæculo, quocumque in gradu vixerint.

Baron. ad an. Ch. 794. Sect. 55.

Caput VII.

Concilii Francofordienſis decretum diu in Gallia ſervatum fuiſſe.

QVis autem fuerit miſſæ à Ludovico Rege ad Eugenium Papam legationis eventus, quoque animo Romæ excepta,

pta, & an indè Constantinopolim quas Galliæ præsules cupiebant mitti litteras, eæ missæ sint, difficile est statuere, cùm altum sit de his apud veteres omnes scriptores silentium. Tantum hæc apud Athelmum ad annum Domini DCCCXXVIII invenio: *Halitgarius Cameracensis episcopus, & Aufridus Abbas monasterii Nonantulæ, Constantinopolim missi, à Michaele Imperatore (sicut ipse inde reversi retulerunt) honorificè suscepti sunt.* Quibus ego pænè inducor, ut credam Michaëlem, qui (ut ex ejus ad Ludovicum litteris apparet) multum jam de pristino Iconoclastarum rigore remiserat, ad Gallorum tandem temperamentum omnino devenisse, imaginesque sic in Ecclesiis retinuisse, ut eas adorari prohiberet. Sanè apud Theodorum Studitem, monachum imaginibus addictissimum, quidam diversæ partis testatur suos simplicioribus, utpote imperfectioribus, picturas habere permisisse. Illud quidem certò constat, tùm Michaëlem Balbum, tùm Theophilum ejus filium Nicænam Synodum summâ vi semper oppugnasse, omnibusq; imagines colentibus infestos fuisse. Cùm verò anno Christi DCCCXLII. mortuus esset Theophilus, uxor ejus Theodora cum Michaële Bardâ filio impubere rerum potita, nihil antiquius habuit,

Athelm. Ann. ad A. Ch. 828. eadem habet Eginard. Philosoph. in vitâ Ludov. Pii.

Theod. Stud. l. 2. ep. 172. Zon. Ann. T. 3. Cedr. hist. comp.

Ioann. Anach. in Act. Ioan. Curop. Cedren.

 quàm

quàm imaginum cultum restituere; Ita veluti quodam fato huic errori fœminæ potissimùm faverunt, primùm quidem Irene, postremò verò Theodora. In Occidente nostro Francofordiensis Synodi temperamentum diu obtinuit. Hincmari, Rhemensis Archiepiscopi, qui ultra annum noni sæculi septuagesimum vitam produxit, suprà testimonium recitavimus. Anastasius verò Bibliothecarius in præfatione ad Papam Nicolaum II. quam anno Christi circiter DCCCLXXX. Nicænæ Synodi versioni Latinæ præfixit, satis clarè significat ejus Concilii definitionem nondum à Gallis illo tempore receptam fuisse; Nam *quæ* (inquit) *super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc Apostolica Sedes vestra, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & universalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat GALLORUM exceptis, quibus utique nondum est harum utilitas revelata.* Atque ex his Anastasii verbis patet, (ut hoc quoque argumentum cæteris supra à nobis explicatis addamus) quàm iniqua sit eorum pervicacia, qui pertendunt non aliâ de causâ damnatam fuisse à Francofordiensibus Nicænam Synodum, quàm quod veram ejus de imaginibus sententiam ignorarent. Nam hunc

Anast. Bibl. Præf. in VII. Synod.

hunc istis, qui affingitur, errorem (si nihil aliud fuit) satis superque eripere potuerunt anni sex & octoginta, (tot enim fuerunt inter Synodi Francofordiensis, & Anastasii hæc tempora) & veram eos Nicænorum definitionem docere. Sed & diutius etiam tùm in Galliâ nostrâ, tùm in ipsa quoque Germaniâ mansisse, Nicetas Choniates auctor est cum anno MCLX. Philippopolim ingrederetur Fridericus Ænobarbus, solos Armenios in urbe remansisse, & Alemannorum transitum, non hostium incursionem, sed amicorum adventum judicasse; *Nam* (inquit) *& commercia inter se se agitant, & in plerisque religionis dogmatibus consentiunt. Quippe apud Alemannos, & Armenios sacratum imaginum adoratio æquè interdicta est, & azymis in sacris utrique utuntur.* Gallorum verò nostrorum quæ de hoc argumento fuerit sententia, satis testatur Aimoini continuator Monachus, quo loco de Synodo (ut quidem adversarii numerant) VIII. anno Christi DCCCLXIX. Constantinopoli celebratâ, verba facit; *In qua Synodo* (inquit) *de imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi Doctores antea diffinierant, statuerunt, & quædam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & contra ipsam suam Synodum constituerunt,*

Nicet. Choniat. l. 2. de imp. Aug. Angel. p. 199.

Aimoin. de gest. Franc. l. 5. c. 28.

tuerunt, sicut qui eamdem Synodum legerit, patenter inveniet. Jam cùm hic scriptor anno Christi MCL. vixerit, hinc constat illis adhuc temporibus Gallos nostros imaginum adorationem tertio octavæ illius Synodi canone constitutam, inter ea censuisse, quæ cum præcedentibus *orthodoxorum Doctorum definitionibus* pugnant. Atque hic obiter castiganda est adversariorum in hujus causæ studio impotentia; quæ eò processit, ut in hujus scriptoris editione Lutetiæ anno hujus sæculi quinto apud Druartum à Jacobo quodam de Brueil monacho procuratâ, insignem hunc ejus locum pessimo dolo totum corruperint, verbis iis substitutis, quæ sensum auctoris menti planè contrarium efficiunt; Sic enim ibi legitur; *De imaginibus adorandis secundum quod orthodoxi Doctores antea diffinierant, statuerunt.* Atqui locum planè ut nos descripsimus, exhibent omnes tùm manuscripti, tùm excusi alii codices; ipseque etiam Baronius, Annalium Tomo decimo, ubi eum citat. Potest-ne fingi vel improbior, atque impudentior perfidia, vel fraus capitalior? Ab hoc uno crimine discendum, quæ sit istorum in tractandis veterum monumentis fides, atq; religio. Sed ut ad rem redeam, Papæ Romani potentia, cùm paulatim in immensum crevisset,

Aimoin. ubi supr. edit. Par. an. 1605.

Baron. T 10. ad an. 869. sect. 79.

creviſſet, hunc errorem tandem in Occidentem propagavit, receptamq; dudum Romæ, & in Italiâ imaginum adorationem in cæteras indè gentes derivavit; non ita tamen, ut nulla planè ſuperfuerint in Galliâ, ejus, quæ à majoribus ſuſcepta & probata fuerat, doctrinæ veſtigia, quod Clariſſimus Pithœus his verbis obſervavit, *Sanè ſi verum* (inquit) *ſeriò volumus, nuper admodum noſtri homines imaginoſi eſſe cœperunt.* Certè Durandus Mimatenſis epiſcopus, quem extremo decimo tertio ſæculo vixiſſe conſtat, hæc habet in Rationali divinorum officiorum; *Nec ipſis* (de Sanctis, & Angelis loquitur) *adorationis ſervitus, ſed ſoli Deo impenditur; nè ſi ſecus fiat, non theoſebiæ cultus exhibeatur, ſed idololatriæ crimen incurratur, ſerviendo creaturæ, tamquam creatori, & mutando gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Si igitur nec homines, nec Angeli adorandi ſunt, attendant, quid agunt, qui ſub prætextu cujuſdam religionis, ſeu pietatis diverſas adorant imagines. Non enim licet aliquid manu factum adorare.* Hactenus Durandus. Cæterùm cùm ſuperſtitio & Romanæ auctoritatis favore, & naturali hominum propenſione confirmata gliſceret, ineunte ſæculo decimo quinto, Joannes Gerſonus Pariſienſis Vniverſitatis Cancellarius, hæc

Petr. Pith. Præf. in Hiſt. Pauli Diac.

Dur. Rat. l. 4. part. 2. rubr. de 4. parte canonis.

illorum temporum antistitibus proponebat; *Iudicate* (inquit) *si tanta imaginũ, & picturarũ in Ecclesiis varietas expediat, & an plures simplices nonnumquã ad idololatriã pervertant.*

Gers. T. 1. Declarat. defect. Ecclesiast. num. 67.

Capvt VIII.

Errori culmen ab Ecclesiâ Rom. additum, quæ præter Nicænæ Synodi definitionem, universumque Græcorum usum, tùm sculptilia, tùm Dei imagines admittit.

Atque hæ quidem velut ultimæ morientis paulatim libertatis voces nequicquam displosæ aërem irritæ verberabant; imaginum verò cultus in eum tandem modum constitutus est, quem initio hujus operis expressimus; nonnihil etiam auctior, atque cumulatior, quam qui fuerat in Nicænâ illâ Synodo definitus, & à Carolo, nostrisque majoribus tantâ cum detestatione repudiatus. Primùm enim cùm Nicæni, eorumque discipuli pictas duntaxat imagines habuerint, Romani nostri sculptas etiam, fusasque, & quavis alia arte ac ratione effictas admiserunt. Et cùm illi vel naturam, vel personas sanctissimæ Trinitatis effingere, aut repræsentare ullâ imagine nefas putarint; nulla his hodie hujusmodi religio est. Duo hæc superstitiosi cultûs velut auctaria paucis antequam hanc disputationem con-

concludamus, prolixitatis veniam deprecati, persequemur.

Itaque ut à priori ordiar, videntur sanè imagines, qui primi adorandas censuêre, non alias habuisse, quàm coloribus, & penicillo expressas. Nam etiam hodie, apud Græcos hic usus mansit, qui sculptilibus, fusilibusq; repudiatis, solas eas, quę pictæ sunt, in religione adhibent. Germanus verò, Constantinopolitanus episcopus, antiquus, ac facile princeps imaginum patronus, eoque nomine ab Iconoclastarum, quos vocant, Synodo disertè excommunicatus, satis testatur se idem, quod hodie Græci sequuntur, de sulptilibus sensisse. Nam in eâ, quam ad Thomam Claudiopolitanum episcopum scripsit, epistolâ, ubi hanc causam imaginum ex professo agit, cùm historiam de statuâ æneâ Christo Paneade à muliere hæmorrhousâ positâ recitasset, statim veluti per quamdam epanorthosim addit, *Non autem hoc dicimus nos, ut statuas æneas facere studeamus*; quæ verba addere nihil erat opus, *German. ad Claud. ep. Thom. 7. Syn. Act. 4.*
si eam, quam hodie defendunt Romani, sententiam ipse quoque sequutus esset. Synodus sanè Nicæna in definitione non aliarum imaginum usum constituit, quàm τῶν ἐκ χρωμάτων καὶ ἐκ ψηφῖδος, *ex coloribus & tessellis*, id est vel coloribus, vel opere *Syn. 7. Act. 7.*

musivo expressas; Vndè intelligitur, quàm vana sit, quàmque impudens Græculi nescio cujus, sed corrupti, in codicis Romani margine annotatio, scribentis, *vel ex ipsa hujus Synodi definitione clarissimum esse pium esse, neque ab Ecclesiæ Catholicæ consuetudine alienum sacras statuas erigere.* Quod verò pertinet ad superstitiosum pingendarum personarum sacrosanctæ Trinitatis morem, qui jam passim in Ecclesiæ Romanę communione obtinet, & verò à Bellarmino, Cajetano, Catharino, Payva, Sandero, Valdensi, aliisque defenditur, neque eum ab iis probatum fuisse patet, qui ante hæc ultima tempora imagines in Græciâ, atque alibi venerati sunt. Germanus enim in eâ ipsâ, quam modo laudavimus epistolâ, commemoratis atque expensis variis Scripturæ testimoniis, quibus imaginum usus omninò videtur interdictus, fatetur iis vetari, ne Deum pingamus: *Hæc omnia* (inquit) *manifestum habent sensum, quod divina natura sempiterna sit, atque incomprehensibilis, nullique similis æstimanda eorum, quæ cernuntur; ut nequis conjecturis, & suspicionibus ducatur ad corporeas conceptiones.* Idem in aliâ ad Joannem Synadensem episcopum de eodem argumento epistolâ, disertissimis verbis suam hanc sententiam expressit; Neque enim

Syn.7. Act.4. p.527.B. edit. Rom.

Bell. de Im. c.8 §. Ego dico. ubi loca habes auctorum hic commemoratorum.

Germ. ep. ad Thom. Claud. Syn.7. Act.4.

enim (inquit) *invisibilis Deitatis imaginem, & similitudinem, vel schema, vel figuram aliquam formamus, quam ne ipsorum quidem Sanctorum Angelorum sublimes ordines considerare, & investigare penitùs valent.* Damascenus verò alter istarum partium coryphæus etiam exsertiùs idem pronunciat; *Invisibilis*, (inquit) *incorporei, incircumscripti, cuique nulla figura est, quis potest repræsentationem facere? Summi igitur furoris, impietatisque fuerit figurare numen.* Ipse Gregorius, Pontifex hujus nominis secundus, quamquam (quod suprà demonstravimus) hanc imaginum causam summo animi studio tueretur, hunc tamen Dei pingendi usum repudiavit priore ad Leonem Augustum epistolâ; *Cur tandem* (inquit) *Patrem Domini nostri Iesu Christi non oculis subjicimus, ac pingimus? Quoniam quis sit non novimus, Deique natura spectanda proponi non potest, ac pingi.* Palam est eandem quoque fuisse Nicęnorum sententiam. Actione enim quinta Joannis cujusdam Thessalonicensis episcopi locum afferunt satis prolixum; ubi ille Pagano homini eum cultum objicienti, quem Sanctorum Deique ipsius imaginibus à Christianis exhiberi ait, respondet se imagines facere eorum, qui homines fuerint, Sanctorum videlicet Dei servorum, & corpora ferentium; Ne-

Id. ep. ad Ioan. Symad. Syn. 7. Act. 4.

Damasc. orth. fid. l. 4. c. 16.

Greg. II. ep. 1. ad Leon. in Conc. Tom. ante Syn. 7.

Syn. 7. Act. 5. *que enim* (inquit) *agimus ſecundum vos; neque ullorum incorporalium corporales characteres demonſtramus.* Domini verò Jeſu imagines facere Chriſtianos concedit quidem, ſed ejus, *quemadmodum viſus eſt ſuper terram, & cum hominibus converſatus eſt, non autem ut intelligitur natura Deus. Quæ enim* (inquit) *ſimilitudo eſt, vel qui habitus incorporei, & ſine figura Verbi Patris?* pauculiſque interjectis; *Humanitatem* (inquit) *ejus pingimus, non incorporalem deitatem.* Vrgente Pagano, atq; objectante Angelos, tametſi νοερὺς καὶ ἀσωμάτυς *intelligibiles, & incorporeos*, tamen à Chriſtianis pingi; reſpondet bonus epiſcopus *intelligibiles quidem eos agnoſcere Catholicam Eccleſiam, non tamen, quod ſentiebant Pagani, uſquequaque incorporeos, & inviſibiles; ſubtiles autem corpore, & aereos & igneos; Solam enim divinitatem incorpoream & incircumſcriptam eſſe.* Ex his Joannis dictis clarum eſt ex ejus ſententiâ ea tantùm pingenda, quæ corporea ſunt, certâque ac circumſcriptâ mole, formâ ac figurâ conſtant; Deumque adeò, iſtorum omnium expertem, planèque incorporeum, ac inviſibilem, pingi nefas eſſe. Hoc verò teſtimonium, publicè in illa Synodo lectum, Taraſius, cæterique omnes illius Concilii Patres, approbarunt. Alibi verò, qua in parte Iconoclaſtarum (ut vocant) Synodum

dum refellunt, poſtquam ſibi per ſummam calumniam affingi conqueſti ſunt, quod naturam incomprehenſibilem circumſcriberent, hæc continuò addunt, *Chriſtiani inviſibilis & incomprehenſibilis naturæ imaginem numquam fecerunt; ſed ſecundum quod Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, ea quæ humanæ diſpenſationis ejus ſunt, pingunt & imaginibus exprimunt.* In eadem quoque ſententiâ fuerunt, qui hujus Synodi de imaginibus decretum ſequuti ſunt, ut inter cæteros auctor libelli *de imaginibus*, in priore Tomo Bibliothecæ Patrum Græcolatinæ; Is enim Imperatori, quem alloquitur, Iconoclaſtæ fatetur nefas eſſe Deum immortalem pingere, eoque refert divinæ legis capita, quibus imagines fieri prohibentur; *Legiſlator* (inquit) *ſolius Dei imagines facere atque inſtituere vetuit*; idque itidem repetit. *Neque imagine pingendum*, inquit, *id quod non poteſt cerni. Numen enim ſpecie caret, & figura, neque videri poteſt, neque eſt eorum, quæ videntur, atq; oculis humanis cognoſcuntur quicquam; verum mente ſola contemplandum; ſi tamen & hoc quiſquam poßit.* Mox paucis interjectis ait, *Non eſſe faciendum imagines Dei; imo ſiquis quod ſimile attentaverit, hunc extremis ſuppliciis, veluti Ethnicis communicantem dogmatis, ſubjici.* Tùm ad objectam Chriſti imaginem reſpondens,

Syn. 7. Act. 7. Tom. 4.

De uſu ſacr. imag. T. 1. Bib. Pp. gr. lat. p. 734. A. B. C. 736. d. 737. b. 738. d. 739. c.

Ib. p. 737. d.

ſpondens, *Atqui non qua Deus eſt* (inquit) *Chriſtum pingimus, neque eo reſpectu imagines ei conſtituimus. Sed quà idem homo eſt, & in terris viſus eſt, ejus utimur imaginibus. Neque id quod eſt viſibile, & circumſcriptum inviſibilitatis, & incircumſcriptionis aptamus menſuris, ne ſalute excidamus. Neque id, quod tangi nequit, aut videri, aut circumſcribi, tactus, circumſcriptionis, viſus rationi aptantes furiosè forma quapiam exprimere aggredimur.* Atque hactenus quidem ille. Bellarminus verò omnia hęc veterum teſtimonia uno velut flatu disjicere ſe, & in ventos ſpargere poſſe confidit. Narrat ergo nobis *tribus modis poſſe aliquid pingi, Vno modo ad exprimendam perfectam ſimilitudinem formæ, & naturæ rei ipſius: Altero modo ad hiſtoriam aliquam oculis exhibendam; quomodo ſiquis* (inquit) *pingere vellet expulſionem Adami de paradiſo, pingere deberet Deum forma hominis ambulantem, & Adamum atque Evam nudos inter arbores ſe occultantes, ac demum Angelum in forma humana gladium geſtantem, & Adamum cum conjuge expellentem. Tertio* (inquit) *poteſt aliquid pingi extra hiſtoriam ad explicandam naturam rei, non per immediatam, & propriam ſimilitudinem, ſed analogiam, ſive metaphoricas, myſticaſque ſignificationes. Quemadmodum pingimus Angelos juvenes, alatos, formoſos, nudis pedibus, &c. ad ſignificandum eos ſemper viribus pollere, celerrimè moveri,*

Bell. de imag. c. 1. §. Pro ſolutione.

moveri, splendore gratiæ, & virtutum præditos. eoque *modo pingi* ait *Christum in forma ovis.* Ex his respondet à memoratis auctoribus, aliisque eas Dei picturas reprobari, quæ sunt primi generis, non autem quæ secundi, vel tertii. Ego verò præter unam Bellarmini, siqua est, auctoritatem, nullum aliud video vel in rebus ipsis, vel in Patrum, de quibus hic agitur, dictis atque sententiis, hujus responsionis fundamentum, vel firmamentum. Non in rebus ipsis. Nam de picturâ ipsâ hic quæritur, non autem de pingentium consilio. Fateor picturas fieri, vel ad eorum, quæ picturâ repræsentantur, memoriam, vel ad earum actionum, quas aliquis gessit, historiam, vel denique ad aliquid mysticè spectantium animis exhibendum, ad quod analogicè refertur id quod in pictura expressum est. Sed pictura tamen omnis, quocumque animo, & consilio fiat, ejus subjecti, cujus imago est, formam, ac figuram repręsentare debet. Itaque si qua Dei est imago, ea Dei ipsius formam repræsentet necesse est. Alioqui Dei imago non erit, quantumvis voluerit pictor Dei vel actionem, vel proprietatem aliquam repræsentare. verbi gratiâ, etiamsi leo fortitudinis, gallus gallinaceus vigilantiæ symbolum sit, non ideo tamen quis-

quiſquam ſic ineptus erit, ut leonis, vel galli effigiem, Alexandri, vel Cæſaris imaginem eſſe putet, quod iſti viri fortiſſimi, atque vigilantiſſimi fuerit. Eſto ergò quod jubet Bellarminus; Pictor aliquis, ſeu alterius juſſu, ſeu proprio conſilio agnum pingat, ad Chriſti paſſionem myſticè ſignificandam; non ideo tamen illa agni effigies Chriſti Domini imago & ſimulacrum vel erit, vel rectè & verè dicetur. Secundus verò picturæ, qui proponitur modus, multò etiam magis à re præſenti alienus eſt. Quis enim id Bellarmino, quod ipſe ſupponit, conceſſerit, licere nimirum ad hiſtoriam aliquam repræſentandam iis, quæ in eâ inducuntur, ſubjectis eas formas tribuere, quibus nihil ſit cum iis re verâ commune? Si velim, inquit, pingere Adami de paradiſo expulſionem, pingendus erit Deus formâ hominis in paradiſo ambulans. Ita-ne? Atqui nihil neceſſe eſt. Sic enim id ipſum ponitur, quod in quæſtione verſatur, licere nimirum Deum pingere, quodque ex ipsâ Bellarmini confeſſione impoſſibile eſt. Pictor quidem pro artis ſuæ licentiâ, quidlibet audendi poteſtatem ſibi ſumet. Patres verò eâ libertate, quam Bellarminus concedit, uſos eſſe neque ipſe probat, & quæ recitata ſunt loca apertiſſimè negant.

gant. Breviter, non hic quæritur pingi-ne possint res naturales, quarum est aliqua ad supernaturales analogia, quò spectantium animi per objectas sensibus istorum symbolorum species ad ea cogitanda excitentur, ad quæ ista referuntur mysticè. Omnis in eo controversia versatur, liceatne Dei imaginem, vel simulacrum effingere. Cum ergò id pingi, aut effingi dicatur, cujus vel penicillo, vel cœlo similitudo fit, cum species, forma, & lineamenta, quæ sunt in ipsâ re, ea in imagine ducuntur, atque exhibentur, cumque constet nullam esse Dei speciem, nullam formam aut figuram, nulla denique lineamenta, profectò ex iis quoq; evidentissimè conficitur Deum pingi neque posse, neque adeò debere, quicquid nobis Bellarminus de suis illis historiis, atque analogiis narret. Jam videamus nùm ejus responsio meliùs cum auctorum dictis, quàm cum rerum ipsarùm naturâ congruat. Ac primum quidem illud meritò mirandum occurrit, si veterum idem fuerit, qui istius est de hoc argumento sensus, eademque mens, cur eorum nemo quicquam umquam hujusmodi dixerit, vel scripserit? Illi, quoties hac de re sermo incidit, exsertè negant se ullam Dei imaginem, vel schema, vel figuram formare; ajunt singu-

laris

laris cujusdam esse amentiæ, summæque impietatis, numen effingere vel figurare; Christum se, quatenus is homo fuit, repræsentare, non autem quatenus Deus; neque se ejus Patrem oculis subjicere, ac pingere. Cur nemo ex adversariis sic hodie loquitur? Quia nimirum satis intelligunt callidi homines hujusmodi orationem cum publico Ecclesiæ suæ usu, manifestissimè pugnare. Si veterum erat eadem sententia, cur ii generales illas, periculi atque offensionis plenas propositiones non restringebant, & addita aliquâ distinctione intra suos veluti terminos coercebant? Cur non alicubi saltem monent, eas sic esse accipiendas, quo modo Bellarminus docuit? nimirùm ita ut significent Deum non quidem absolutè & simpliciter pingendum non esse, sed ea tantum ratione, siquis id facere velit ad exprimendam perfectam similitudinem formæ & naturæ ipsius; cæterùm siquis Deum, ad historiam aliquam oculis exhibendam, vel ad explicandam ejus naturam analogicè, non immediatè, pingere instituat, id verò se neque impossibile, neque nefas ducere? Cur apud Patres nihil istorum omnium legitur? Tum quæ ista est quæso, quamque admirabilis interpretatio? *Nullam* (inquit Germanus) *invisibilis*

invisibilis deitatis imaginem, vel similitudinem, vel schema, vel figuram formamus; id est (inquit Bellarminus) multas quidem & propemodum innumerabiles Dei imagines, & similitudines, & figuras formamus, sed nullam eo consilio, atque animo, ut eâ perfectam similitudinem formæ & naturæ Dei exprimamus. O prodigiosum acumen! Jam quidem tutò jurare si libeat, poterit Bellarminus, nullam à Romanæ communionis hominibus vel fieri vel haberi Mariæ Virginis Sanctive ullius imaginem, similitudinem, vel formam; neque enim opinor, istorum imagines fiunt *ad exprimendam perfectam similitudinem formæ & naturæ ipsorum*. Licuit & Paganis, hac quidem cautione, vere dejerare nullum se facere Deorum immortalium simulacrum; Nam & ipsi sanè ultrò profitentur ista se nequaquam fecisse *ad exprimendam perfectam similitudinem formæ, & naturæ ipsorum*. Hæc suprà erat Nicænorum diserta oratio; *Christiani invisibilis, & incomprehensibilis naturæ imaginem numquam fecerunt*. Si Patres isti id, quod pertendit Bellarminus, voluerunt, *nullam fecisse Christianos Dei imaginem ad exprimendam perfectam naturæ divinæ similitudinem*; cur hoc negato non illud alterum statim posuerunt; *quamquam eam interdum ad historias si forte oculis exhibendas, vel*

ad aliquid de ea analogicè significandum pingere soleant? Atqui neque hos, neque eorum temporum quemquam hujusmodi aliquid dixisse comperimus. Nicæni verò priori illi orationis parti hanc subjiciunt: *Sed secundum quod verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ea quæ humanæ dispensationis ejus sunt, pingunt & imaginibus exprimunt.* Quibus verbis clarissimè significant humanæ Christi naturæ fuisse apud se imagines; Verbi, quâ Verbum est, aut Spiritûs Sancti nullas fuisse. Alioqui diluta & inanis foret ea antithesis, quę hîc instituitur inter picturas ipsas, non inter picturarum modos. Id ipsum verò clariùs etiam apparet ex eo de imaginibus libello, quē postremo loco laudavimus. Ait enim ejus scriptor *Legislatorem solius Dei imagines facere vetuisse.* Amabò, iste-ne existimavit Deum sub veteri Testamento concessisse quidem, ut ipsius imago pingeretur? vetuisse tantum ne *ad exprimendam perfectam formæ & naturæ suæ similitudinem pingeretur?* Si res ita habuit, Judæi sanè non videntur rebellionis, aut peccati fuisse damnandi, qui vitulum aureum in deserto conflaverunt; Neque enim tam stultos, aut insanos fuisse putandum est, ut illius animantis effigie perfectam divinæ formæ & naturæ similitudinem exprimere voluerint. Idem

illle

ille ſcriptor *ſiquis Dei imaginem facere attentaverit*, eum Imperatori quem alloquitur Iconomacho *puniendum, extremiſque ſuppliciis afficiendum*, tradit, atque ultro concedit. Nonne homini illudit, ſi eum tantummodo puniendum intelligit, qui Dei imaginem, ad exprimendam perfectam formæ & naturæ divinæ ſimilitudinem, fecerit? Nam non eſt credibile ulli umquam homini tam ſtultum, tamque prodigioſum conſilium in mentem veniſſe. Præterea longè aliam fuiſſe veterum iſtorum mentem clariſſimè docet Nicephorus libro Hiſtoriarum XVIII. quo loco Armenios reprehendit, quod ii Patris, & Spiritus Sancti imagines pingerent, idque perabſurdum eſſe ait, *Imagines enim* (inquit) *corporum ſunt, quæ videri & circumſcribi poſſunt; non eorum, quæ inviſibilia ſunt, & intelligentia comprehendi nequeunt.* Jam cum Armenios conſtet minimè Anthropomorphitas fuiſſe, aut Deo naturam corpoream tribuiſſe, clarum eſt eos Patrem & Spiritum ſimpliciter repræſentare voluiſſe, non autem perfectam naturæ & formę eorum ſimilitudinem exprimere; quod conſilium non cadit niſi in ejus mentem, qui ſanctiſſimas illas perſonas corporeas, & diviſibiles ſibi fingit. Itaque cùm nihiloſeciùs Armenios reprehendat Nicephorus,

Niceph. Cal. l. 18. c. 53.

phorus, profectò necesse est, ut tùm ipse, tùm alii ejusdem memoriæ atque Ecclesiæ Patres simpliciter & absolutè absurdum esse putaverint Dei imaginem, vel simulacrum effingere, quocumque demum animo id fiat, sive ad exprimendam perfectam formæ & naturæ divinæ similitudinem, sive secus. Atque hæc ita se habere ipse etiam Baronius agnovit, vel is certe, quisquis fuit, qui Baronianis Annalibus marginales annotationes apposuit. Is enim quo loco describuntur illa à nobis supra commemorata Gregorii II. verba, *Cur tandem Patrem Domini nostri Iesu Christi non oculis subjicimus, ac pingimus?* is inquam hæc ibi in margine annotat, *Postea usu venit, ut pingatur in Ecclesia Deus Pater, & Spiritus Sanctus*, quibus verbis fatetur quæ nunc Dei ac Spiritus Sancti imagines in Ecclesiâ Romanâ habentur, atque approbantur, eas ipsas illas esse, quæ olim nullo apud eam in usu erant, quæque tum ab ipsis Pontificibus repudiabantur, ac reprobabantur. Sed neque in ipsâ Romanæ Ecclesiæ scholâ defuêre, qui eam superstitionem concoquere non possent; quo in numero Tostatus fuit, celeberrimus Abulæ episcopus; *Vetuit* (inquit) *Deus non solum imaginem aliquam adorari, sed etiam se ipsum adorari in imagine*; Ibidemque, *In imaginibus*

Bar. ad Ann. Chr. 726.

Abul. in Deut. 4. q. 5.

ginibus (inquit) *ſignantibus Deum purè, ſcilicet Trinitatem, duo inconvenientia ſequi poſſunt. Primum idolatria, ne etiam imago colatur. Secundum error, & hæreſis, ſcilicet attribuere Deo corporietatem & eſſentialem differentiam, qualem tres illas figuras ſignare conſpicimus.* Durandus à S. Porciano, vir maximi, & illuſtriſſimi ingenii, vel ipſo Bell. teſte, in eadem quoque ſententiâ fuit; *Imago* (inquit) *aut repræſentat Chriſtum ſecundum quod homo eſt, aut eſt facta ad repræſentandum Patrem, vel Filium quo ad deitatem, vel Spiritum Sanctum, ſicut pinguntur quædam imagines, quarum una repræſentat Deum Patrem, & alia Filium crucifixum, & tertia Spiritum Sanctum, quaſi columbam, procedentem à Patre in Chriſtum.* Tùm conceſſo earum imaginum uſu, quę prioris ſunt generis, *Secundo autem modo* (inquit) *fatuum eſt imagines facere, vel eas venerari*; quorſum etiam laudat ſupra à nobis deſcriptum Damaſceni locum, *Summi igitur furoris impietatiſque fuerit figurare numen.* Quin etiam exuſtos Ioannis XXII. juſſu fuiſſe, tamquam hæreticos, eos qui Trinitatem pinxerant, apud Aventinum in Annalibus Boiorum legimus. Lucas verò Tudenſis in iis libris, quos contra Albigenſes olim ſcripſit, quoſque nuper à Ieſuitis publicatos in ultimâ Bibliothecæ Patrum editione inſerere adver-

Durand. in 3. ſent. 8. 9. q. 2.

Aventin. Annal. Bojor. l. 7.

ſariis libuit, is inquam Lucas teſtatur ſuis temporibus hujus generis picturas pro hæreticorum figmentis habitas fuiſſe, Hæretici (inquit) *plerumque per picturarum falſarum etiam novitatem plurimos decipere moliuntur. Depingunt enim imaginem deificæ Trinitatis, Patrem ſenem, Filium juniorem, Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie, vel filio minorem, ut per hoc ſimplices tres Deos unius voluntatis credere compellantur; pravo intellectu ſeducti, ut propter hoc dicatur unus Deus, cum ſint tres, quia unius ſunt concordiæ voluntatis.* Et paulò poſt, *In Anthropomorphitarum namq; hæreſim cadere eſt* (inquit) *eum qui incircumſcriptè implet omnia, intra corporea lineamenta concludere.* Alibi negat *Trinitatis imaginem vel debere, vel poſſe depingi.* Sed nequid ad ſummam in hoc genere ſuperſtitionem deeſſet, hæ etiam picturæ tandem in Eccleſiam Romanam publico uſu receptæ ſunt, atque palmariis, nobiliſſimiſque ejus Doctoribus palam approbatæ, atque defenſæ, quorum principes initio hujus diſputationis commemoravimus.

Luc. Tud. adv. Albig. err. l. 2. c. 9. T. 4. Bibl. Pp. part. 2.

Id. ibid. c. 20.

Atque ita niſi fallor, ſatis demonſtravimus ſacrarum, quas vocant, Chriſti, ſanctorumq; imaginum venerationem, rem apud Chriſtianos novam, non ab Apoſtolis traditam, non publicâ, aut univerſali veteris Eccleſiæ lege inſtitutam, ſenſim irrepſiſſe,

irrepsisse, furtivoque progressu paulatim serpentem, ac gliscentem, cum unam erroris partem unum sæculum admitteret, alteram sequens decerneret, tandem in eam molem quę hodie cernitur, excrevisse. Primis enim tribus Christianismi sæculis in sacris Ecclesiæ ædibus nullas omnino inveniri hujusmodi formas, aut similitudines, quæ Christi, Sanctorumve imagines rectè, ac proprie dici possint; Tribus verò sequentibus sęculis introductas fuisse à Christianis, sed in eum tantum usum, ut locis sacris ornamento, rudibus atque imperitis instructioni essent, præteritarumque rerum memoriam conservarent; Quæ mox successerunt quatuor sæculis, post multa, magnaque tùm in Oriente, tùm in Occidente certamina, tandem imaginibus tributam religiosam venerationem, hoc tamen temperamento, ut nullæ Dei picturæ fierent; donec rerum potitus Pontifex Romanus iis quæ ad patrum nostrorum memoriam fluxerunt temporibus, cum omnia pro libidine administraret, errorem postremò eo, quo jam habetur, loco constituit. Cæterum quotquot fuere, qui in eam, quam Papa invasit, immanem, atque immensam potestatem insurrexerunt, ejusque communem refugere, atque adversari
ausi

ausi sunt, ii omnes hanc quoque ejus de imaginibus doctrinam, atque usum repudiaverunt; quales extitere undecimo, duodecimoque sæculo Valdenses, decimotertio Viclefus cum discipulis, ineunte quinto decimo Hieronymus Pragensis, & Hussitæ, & post annos centum Lutherus, Melanchthon, Zuinglius, Calvinus, omnesque Protestantium Ecclesiæ, quos adversarii confictis ad invidiam nominibus *Lutheranos, & Calvinistas* appellare solent; quantumvis ii sanctè profiteantur non alium se fidei, atque disciplinæ suæ auctorem, & principem agnoscere, quam Dominum Jesum in divinis litteris loquentem; cui cum Patre & Spiritu Sancto, uni vero Deo, sit laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.



CANDIDE LECTOR,

Æquè tuâ ac nostrâ interesse arbitramur, ut, antequam hos de Imaginibus libros perlegere aggrediaris, quæ per absentiam Autoris inter excudendum errata typographica irrepserunt, & absoluto jam opere ab ipso Autore animadversa ac notata sunt, prout ea subjungimus, adhibito calamo prius corrigere, pro æquitate ac candore tuo, ne graveris.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
24.	26.	motu	metu
27.	14.	vilissmæ	vilissimæ
33.	14.	amissuri	omissuri
34.	37.	applandente	applaudente
40.	23.	dissertissima	disertissima
48.	18.	hominibus	honoribus
56.	4.	Negat Christ.	Negat Celsus Christ.
57.	16.	ὕπερα	ὕπερθι
58.	27.	definiunt	definit
60.	7.	usurpatur	usurpantur
69.	26.	Leontio	Leontii
71.	24.	divinas	divinos
75.	18.	hunc	huic
79.	10.	utriusque	utrinque
87.	10.	alteram	alterum
98.	18.	nihil interf.	nihil aut parum interf.
98.	26.	tam necess.	tamque necessar.
105.	4.	eorum	earum
119.	28.	portendunt	pertendunt
121.	25.	intendictam	interdictam
122.	7.	Theorani	Theoriani
123.	19.	graviter	gnaviter
125.	25.	videat	rideat
135.	8.	rumperet	corrumperet
143.	18.	affertur	afferunt
149.	22.	adhærent	adhærerent
156.	27.	eundem	eandem
161.	9.	profuisse	præfuisse
182.	7.	conterendæ	contexendæ
184.	23.	apparet	appareret
185.	29.	ducentissimo	ducentesimo
187.	15.	isa	ista

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
188.	19.	quas	quos
192.	6.	Epiphanium	Epiphanium vixit
209.	26.	accipiat	arripiat
234.	24.	iſta	ita
252.	28.	hic	hinc
354.	27.	illa	ulla
256.	24.	lætæ	latæ
273.	28.	adhoc	adhæc
278.	4.	pingendo	pingenda
284.	23.	Effigiem	effigiem
285.	10.	accipiunt	arripiunt
290.	9.	ſi	ſic
290.	21.	Amatienſis	Amaſienſis
297.	19.	cæteraque	cæteræque
301.	25.	neque	nequa
304.	25.	eos	eas
308.	9.	ſugillatum	ſuggilatum
308.	18.	antiquis	antiquis codicibus
311.	14.	dum	dam
312.	23.	trahant	trahunt
320.	29.	Pagani	Paganos
320.	30.	proſequutas	proſequutos
324.	26.	ſancti	ſanciti
334.	7.	odorari	adorari
344.	ult.	quidem	quidam
350.	15.	conſilia	conſimilia
352.	3.	poſteriorum	poſteriorem
360.	26.	Cum	Tum
364.	11.	offuciis	officiis
370.	8.	conſervatione	conſecratione
372.	13.	fuſcata	fucata
374.	8.	quo	quæ
375.	5.	Si	Sic
379.	2.	inſenſatus	inſenſatas
380.	17.	teſtatur. Henr.	teſtatur Henricus
382.	6.	de imaginibus	dele
384.	24.	more	mox
386.	20.	cupitulare	capitulare
387.	9.	Ponficem	Pontificem
389.	12.	Conſilio	Concilio
390.	14.	eas	eos
393.	15.	ignoto	ignoro
397.	21.	vitiligantem	vitilitigantem
400.	1.	Bellarminus	Bellarmini
407.	10.	Parienſem	Pariſienſem

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
411.	5.	imaginibus	transfer hanc vocem in l. *6.* initio, ante vocem Sanctorum.
413.	25.	fidei accusant	fidei eum accusant
416.	26.	Adrianæ	Adrianeæ
423.	25.	dicebat	decebat
Ibid.	29.	affirmari	affirmare
457.	4.	cum	eum
465.	2.	habet	habent
490.	25.	hanc	hunc
497.	13.	videntur	videri
503.	19.	patricha	patriarcha
509.	28.	factam	factum
515.	12.	dilemnate	dilemmate
535.	15.	sculcilibus	sculptilibus
542.	4.	füerit.	fuerint
551.	ult.	communem	communionem
Ibid.	ult.	adversari	aversari

Pag. 248. lin. 1. 2. boni pastoris parabolam in calicibus vitreis depinxerunt, efficitur ab illis quoque, vel in. *deleantur ista frustra & ineptè repetita.*

Pag. 252. lin. 1. *post* Sanctorum, *adde hæc perperam omissa* ; virorum simulacra habuisse & coluisse Iudæos ex eo concluderet, quod sacris Iudaici templi vasis, & instrumentis aliquæ fortè figuræ ad ornatum insculptæ fuerint; sic etiam adversarios pessimè colligere palam est, dum apud veteres Catholicos perinde ut nunc Romæ Sanctorum

FINIS.

JOANNIS DALLÆI
APOLOGIA
Pro
ECCLESIIS REFORMATIS.

In qua demonſtratur eas falſa & inique ſchiſmatis idcirco accuſari, quod a Papæ Romani communione ſeceſſerint.

2 APPENDIX.

3 *De fidei ex Scripturis demonſtratione. adverſus novam methodum.*

4 Appendix ex Theodoreti Cyri Epiſcopi antè annos 1200 editis opuſculis.



AMSTELODAMI
Apud JODOCUM JANSONIUM, 1652.

Index Capitum.

Appendicis summa.



Reve-

Reverendo, Clarissimoque Viro,

DAVIDI BLONDELLO,

Fidelissimo Christi servo, sacrarum disciplinarum Professori apud Amstelodamenses eximio, Fratri in Domino colendissimo

JOANNES DALLÆUS
S. P. D.

Cum hos primùm libellos antè annos octodecim patria linguâ vulgarem, præstantissime Blondelle, frater ac conserve in Dominô colendissime, minimè cogitabam futurum, ut quos in nostrorum hominum usum scripseram, ii essent aliquando cum exteris gentibus communicandi. Sed tua me nunc sententia aliud inire consilium subigit. Nam, qui tuus est in nos, & nostra amor, leve opusculum, & pingui, quod ajunt, Minerva contextum putasti etiam aliis extra nostram Galliam fratribus nonnihil fortassis prodesse posse; eoque flagitasti non semel, ut communi & publica, id est Lati-

na lingua donatum iterum ederem Feci, quod a nobis expetivisti (quid enim tuo vel judicio, vel amori negarem?) & nunc novum de veteri opus ad te mitto, Gallicumque mare expertus alia jam æquora tuis jussis tentare audeo. Libello tamen, quo tutior naviget, nomen ecce tuum præfigo, toto hoc quem ingredimur, cursu notissimum, ac in paucis venerabile. Nemo enim fere est eruditorum, sacra præsertim tractantium, qui vel ex ipsis tuis doctissimis, laudatissimisque lucubrationibus non perspexerit, vel ex fama saltem non didicerit, quanta tua sit in omni litterarum genere excellentia, & quam accurata antiquitatum; maxime Ecclesiasticarum, notitia; quarum tu omnium auctores sic trivisti, omnes sinus, atque anfractus sic explorasti, omnia sæcula, tempora, ac pæne momenta sic ad unguem

guem indagata calles, ut prodigii instar sit unum hominem res tam abditas eruere, tam involutas explicare, tam diversas, tamque innumerabiles animo omnes complecti, ac memoria tenere potuisse. Ad has mentis & ingenii dotes accedit humanitas singularis, & omnibus exposita ac profusa bonitas, atque facilitas, qua nos summo nostro cum fructu assidue, quamdiu licuit, usi sumus; nequid nunc dicam de pietate tua in Deum, de invicta in retinenda, ac tuenda veritate constantia, de egregiis in Ecclesias nostras meritis. Itaque cum Gerardus Joannis Vossius, sui saeculi Polyhistor, locum, quem Amstelodami in nobilissimô, atque foelicissimô illo, non rerum modò & mercium, sed artium etiam & litterarum omnium emporio, complures annos labore indefesso & magnâ gloriâ tenuerat,

rat, eum hinc a Deo in meliorem vitam evocatus vacuum reliquisset, amplissima ac sapientissima civitas meritò in te oculos conjecit; te unum ex tantâ doctissimorum virorum copiâ meritò delegit, quem ex Galliâ hac nostrâ accitum tanti viri successorem designaret.

Odyss. 5. Καὶ σὺ μὲν ἔνθα καθίσας ἐπὶ θρόνου ἔνθεν ἀνέστη
Ἑρμείας.

Quod & tibi & clarissimæ civitati, & universæ Dei Ecclesiæ fœlix faustumque sit precor. Eâ quidem spe, quod ingens nobis discedens reliquisti, tui desiderium nunc absentes lenimus, ac solamur; teque plurimùm rogamus, ut tui nominis, quam deposcimus, tutelam non gravatè his nostris opusculis commodes, nosque, quod facis, ames tui observantissimos. Vale Frater ac conserve in Domino Christo colendis-

dissime;a quo tibi opto ex animo prolixam vitam, firmam valetudinem, ac securum otium, quò spirituales illas opes, quas immensis multorum annorum vigiliis, atque laboribus congessisti, in publicos Ecclesiæ usus promere atque explicare possis. Dat. Lutet. Paris. a. D. 1651. d. 22. Decembr.

Illu-

Illustrissimæ Mulieri

MARIÆ LANOVIÆ

Francisci Lanovii ex Odeto Filio Nepti Pontii Lauzerii Theminii Marchionis Franciæ Marescalli Uxori viduæ,

JOANNES DALLÆUS S. P. D.

CUPIENTI mihi, quod invictis rationibus in hoc opusculo demonstratum esse confido, id illustri aliquo exemplo confirmare, tu statim occurrusti, DOMINA, quam Evangelicæ veritatis conscientia ita nuper affecit, ac permovit, ut te neque mundi splendor & illecebræ tenere, neque nostri gregis squalor, & humilitas deterrere potuerint, quo minus relictis Romani Pontificis partibus ad Christum nostrum palam redires, & hujus spinas, ac crucem, illius purpuræ, ac deliciis anteferres. Tua hæc avito Lanoviorum nomine ac sanguine plane digna virtus omni nostra oratione luculentius ostendit, quod nos in hoc libello probare instituimus; nempe quicumque Dei pace,

neque

neque divinæ vel gratiæ sensu, vel gloriæ spe frui posse. Hæc enim sola & apud eos, a quibus discessisti, desiderasse te,& apud nos,ad quos transiisti, quævstisse apparet cum cætera, id est sæculi bona, & apud illos abundare, & nobis deesse palam sit. Tu vero margaritam illam Evangelicam, quam Deo favente invenisti, cum intelligeres unam plures esse, quam omnia humana, merito statuisti eam tibi cæterorum vel jactura, vel certe discrimine potius esse redimendam, quam ut boni tanti possessionem aliorum amor, aut cupiditas in periculum aliquod conjiceret. Sanctissimum ac sapientissimum concilium & suscipere & exequi donavit idem Deus, unus tuæ & lucis & virtutis auctor. Itaque pulcherrimum factum & Angeli de cælis plausum, & fideles in terris gaudio, ac triumpho suo prosequuti sunt. His enim quid in sæculi curruptissimi rubigine lætius, & ad consolationem intertam

multa,

multa, quæ vel patiuntur, vel certe extimescunt adversa opportunius accidere poterat, quam quod te viderunt & nobilissimo loco natam, & pluribus, iisque eximiis tum animi, tum corporis, ac (ut vulgus loquitur) fortunæ ornamentis instructam, Evangelium, cujus jam multos passim pudere cœpit, aperte ac libere profiteri & pauperi Christi Ecclesiæ adjungi, & ad eam, sub qua militamus, crucem incunctanter advolare? Illi ipsi profecto, qui consilium hoc tuum non probarunt, tui tamen animi magnitudinē una nobiscum admirantur. Neque enim nesciunt eximiæ cujusdam esse ac plane singularis fortitudinis opus, humanis omnibus contemptis unius conscientiæ legem sequi, ejusque paci ceteras vitæ rationes post habere. Ad hanc nostrorum lætitiam, adversariorumque admirationem accedit insignis utilitas, quam utrosque ex tuo hoc exemplo percepturos confido. Id enim eam

vim

vim habet ut & nostros in suscepta religione confirmare, & exterorum in eam odia vel omnino placare, vel certe mitigare valeat. Atque hac potissimum ratione adductus fui, ut huic nostro opusculo, illustrissimum nomen tuum præscriberem, quod ejus auctoritas disputationi nostræ multum lucis, ac dignitatis additura esse videatur, lectoresque tacite adhortatura, ut cœlestia tecum missis terrenis si qui discant, & spes eternitatis fluxis & evanides sæculi pompis tandem aliquando anteferendas putent. Te vero DOMINA, *per pietatem tuam rogo atque obtestor, ut huic meo consilio faveas, neve ægre feras, quod te in hujus libelli limine salutare, ac appellare ausus sim. Hanc venam si (quod equidem spero) a bonitate tua impetravero, Dominum Deum supplex venerabor, ut Christum* JESUM) *in quo uno sita est omnis nostra fœlicitas) tibi cum suis thesauris magis magisque*

que in dies communicare, tuæque confessionis obsequium uberrimis utriusque sæculi benedictionibus nunc & olim coronare dignetur. Vale. Dat. Lutet. Paris. a. D. 1633. *Kal. April.*



IOAN-

JOHANNIS DALLÆI,

APOLOGIA

Pro

ECCLESIIS REFORMATIS.

In qua demonſtratur eas falſo & iniquè ſchiſmatis idcirco accuſari, quod à Papa Romani communione ſeceſſerint.

CAPUT I.

Diſputationis occaſio & neceſſitas.

ANimadverti nihil ferè eſſe in ea quæ de religione nobis eſt cum Romanæ communionis hominibus controverſia, quod hi vel incuſent gravius, vel inſectentur invidioſius, quàm quod à Pontificis ſui ſede, ſubjectiſque ipſi Eccleſiis ſeceſſerimus. Queruntur enim, eo ſciſſa à nobis ipſa Ieſu Chriſti viſcera, nefarieque diſcerptum, quod ille ſuo ſanguine efformaverat, ſanctiſſimum Eccleſię corpus; quo ſcelere haud ſcio an vel eorum impietas major fuiſſe cenſenda ſit, qui Dominum in crucem agere, ejuſque latus, pedes, ac manus ferro exſecrabili violare auſi ſunt. Ac cum cætera diſciplinę noſtrę capita non aliis, quam adverſariis diſpliceant, hujus noſtri conſilii id fatum fuit, ut etiam in multorum reprehenſio-

nem incurrerit, qui nobis alioqui favere ac bene velle videntur; quales ii sunt, qui cum fidem, sensumque de ipsa religione nostrum probent, hoc tamen unum non laudant, quod ex Ecclesia (ut vocant) Romana discesserimus. Itaque quo utrisque una, eademque opera satisfiat, facturum me operæ pretium putavi, si totum hoc, cujus arcessimur, crimen paulò accuratius expendero, immeritoque ac preter rem in nos conferri demonstravero. Sic enim & qui eadem de religione nobiscum sentiunt, intelligent nihil sibi esse rationis, cur communionem vel nostram refugiant, vel adversariorum colant; & qui à nobis plane, penitusque aversi sunt, ii videbunt in disceptanda tota hac de fide controversia ipsam causæ arcem petendam esse; neque ultra in hoc invidioso quidem, sed tamen iniquo ac vano crimine frustra immorandum. Id ego argumentum hoc opusculo pertractandum sumpsi; quod siqui lecturi sunt, eos in primis rogatos velim, ut animos omnis studio vacuos, & in unum rerum ipsarum, sepositis personis, momentum intentos ad hanc disputationem afferant.

CAP. II.

Necessarium esse fidelium inter se unionem.

PRincipio igitur illud libentes confitemur, eam esse Christi Domini voluntatem, eam salutis ac incolumitatis nostræ rationem, ut omnes Christiani mutua inter

ter sese communione conglutinati in unum corpus coalescant. Ac ut, in hac societate atque communione, eorum incolumitas ac fœlicitas sita est, neque absque ea caritas, quæ Christianos efficit, constare potest; ita scissione ac divisione nullum esse vel malum tætrius, vel crimen gravius; quam quicumque vel moliuntur vel fovent, eos neque maledictionem à Domino non semel denunciatam effugere, neque cœleste regnum non aliis, quam qui caritate, quâ isti carent, præditi sunt repositum, adire unquam, vel consequi posse. Quemadmodum enim omnis naturalium corporum integritas ac perfectio, partium, ex quibus conflata sunt, unione constat; qua semel soluta, eorum non formam tantum, ac decus, sed vim, atque vitam ipsam concidere, ac interire necesse est; ita eandem plane esse societatum rationem, quæ ex hominibus inter se certis quibusdam legibus compositæ ac coagmentatæ corpora metaphorice dicuntur ob similitudinem cum corporibus naturalibus. Harum enim vis omnis, atque excellentia, ex una membrorum, quibus constant, unione pendet. Civitates quidem ac respublicas vigere, ac florere tamdiu cernimus, quamdiu civium inter se concordia manet, dilabi ac pessum ire, simulatque discordia grassari, aliorumque ab aliis animos atque studia divellere, ac in diversa trahere cœpit. Neque hoc malo ullum aliud est nocentius, aut pestilentius, quo ipsa civitatum fundamenta labefactantur, ipsique publicæ salutis atque

incolumitatis (ut ſic dicam) fontes inficiuntur, ac corrumpuntur ; quo ſatis conſtat neminem in rempublicam gravius peccare, quam eum qui ſeditiones, ac diſſidia inter cives ſerit, concordiamque qua cohærent, divellere atque profligare molitur, Itaque cum Eccleſia cœleſtis quædam ſit, atque æterna Ieſu Chriſti civitas, qua nulla alia umqnam in terris vel oculis uſurpata, vel etiam ipſa mentis cogitatione effiĉta, atque efformata eſt pulcrior, atque admirabilior ; omnino ſtatuendum eſt, qui eam divulſis à communi, qua conſtat, ſocietate membris labefactant ac peſſumdant, eorum ſcelus tantum eſſe, ut cætera omnia mortalium peccata facile ſuperet. Hac de re nulla nobis eſt cum quoquam controverſia. Nihil adverſarii vel tam magnifice de unionis bono, vel tam invidioſe de ſciſſionis malo dicent unquam, quod non laudare, atque approbare, & ſi ea ſit nobis in dicendo copia, etiam augere, atque amplificare parati ſimus.

CAP. III.

Licere interdum, fasque eſſe ab iis etiam ſocietatibus ſecedere, quæ Chriſtianum nomen uſurpant ac profitentur.

SEd tametſi ſummopere ſit & exoptanda unio, & averſanda ſciſſio ; non eo tamen efficitur, ut nunquam nobis ab ulla earum ſocietatum ſecedere jus fasque ſit, quæ Deum colere ſe profitentur. Quis hoc in

in ea disciplina dixerit, cujus tam multa sunt in contrariam partem & præcepta & exempla? cujus nobilissimi magistri docent *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devitandum*; non tecto excipiendum, non salutatione dignandum, qui ad nos veniens doctrinam à sua alienam attulerit? Ipsos Apostolos, ipsos quinetiam de cœlo Angelos repudiandos, ac velut quædam anathemata, exsecrandos, si nobis euangelizaverint, præter id quod accepimus? mature de Babylone *exeundum, ut ne participes simus delictorum ejus, neve de plagis ejus accipiamus*? Ipse vero etiam Dominus & Ephesios laudat, quod *Nicolaitarum facta oderint*, & Pergamenos objurgat, quod eorundem doctrinam tolerarent. Sed & notum est quanta cura, quantoque studio se suosque Ecclesia ab hæreticorum, Samozatenianorum puta, Arianorum, & aliorum ejusdem commatis, omni consortio atque communione jam inde à primis Christianismi temporibus segregaverit. Ergo ex hac disciplina palam est, interdum non licere modo, sed etiam necesse esse à quarundam societatum communione secedere, quæ Christianismum profitentur; culpandosque non omnes simpliciter ac in genere, qui ab aliis secesserint, sed qui temere, ac vel nulla, vel levi de caussa, vel etiam injuste ac præter veras pietatis & caritatis rationes secesserint. Sed & rerum ipsarum ratio idem confirmat. Cum enim rerum unitarum salus atque conservatio verus sit unionis finis, apparet eam nonnisi cum iis, qui

Tit. 3. 10.

2. Ioan. 10.

Gal. 1. 8. 9.

Apoc. 18. 4.

Apoc. 2. 6. 15. 16.

ad hunc finem usui esse possunt, ineundam esse & colendam ; & hactenus quidem, quatenus eo conducunt. Siqui ergo sint, qui honesto Christi nomine & Christi ipsius doctrinam atque auctoritatem, & nostram, quæ inde pendet, salutem subruant, ac subvertant ; adeo non est cum hujusmodi hominibus vel ineunda, vel fovenda religionis societas, ut plane contra ab iis secedere necesse sit ; quibus scilicet conjungi, vel adhærere nihil aliud sit quam a Christo, & a sancto ejus corpore discedere, & pro salute, æternum exitium quærere. In sæculo quidem, quoties vel civitas, vel provincia aliqua suos ad ea obstringit, quæ communis Principis & Majestatem lædunt & obsequio adversantur, ab ea se continuo dividunt quotquot sunt boni cives; & consceleratorum consilia repudiant, molimina aversantur, & si vires, si copiæ sint, etiam pro sua virili oppugnant. Hanc enim omnibus universi orbis partibus etiam ratione ac sensu carentibus, legem ab ipsa natura alte, penitusque infixam esse videmus, ut res unaquæque eorum, quæ sibi similia sunt, societatem vehementer appetat ; quæ adversa, ac inimica sunt, eorum consortium, ac vicinitatem summa ope refugiat. Itaque & Christianæ disciplinæ, & societatum civilium, imo & naturæ ipsius leges id nobis pariter concedunt, ut ab eorum omnium communione discedamus, qui Christianismum quocumque demum nomine id fiat, labefactare ac subruere non verentur. Quid dixi eas hoc concedere?

Imo vero id exſerte jubent atque imperant, & tanta quidem neceſſitate, ut huic officio deeſſe non poſſimus, quin & Deum graviſſime offendamus, & proximis ſcandalum objiciamus, & nobis ipſis denique ultimam perniciem afferamus. Atque hoc cum apud omnes Chriſtianos clarum ſit, & indubitatum, tum vel maxime ab iis defenditur atque urgetur, quos in hac ipſa diſputatione habemus adverſarios. Nemini enim eſt ignotum, quanta cum ſeveritate, atque acerbitate eorum communionem Romana Eccleſia ſemper fugerit, ac damnaverit, quoſcumque a ſe diſſentire in religione intelligit. Illa vero jam ab ipſis Chriſtianiſmi primordiis, cum nondum exiviſſet alterum a nato Domino ſæculum, florentiſſimas Aſiæ Eccleſias anathemate percellendas vel una hac de cauſa putavit, quod Paſcha paulò aliter, quam ipſa ſolebat, celebrarent; & poſtremis temporibus noſtra ac parentum memoria igni ferroque perſequendos, ac exſcindendos inſtituit quicumque ſummæ illi, quam in rebus Chriſtianis ſibi vindicat, poteſtati vel leviter obloquerentur. Ac tametſi de ſua cum Orientalibus, Auſtralibus, & Borealibus Chriſtianis tum in fide, tum in cultu paritate, ac conformitate prolixe glorietur; eorum tamen Eccleſias jampridem & quidem ante aliquot ſæcula præfracte abjecit, ſuaſque ſibi res habere juſſit. Quin & iſtorum tam tenerum eſt, tamque ſuperbum in his palatum, ut quæ principes nunc apud eos ſunt Monachorum familiæ, ea

ante annos quadraginta & quod excurrit, Venetorum finibus excedere, in exilium ire, eaque fana, ac delubra, in quibus & Latina quotidie fides personabat, & Latina sacra assidue fiebant, deserere maluerint, quam videri augustissimi illius Senatus consilia probare, de religione quidem eadem omnia cum Pontefice Paulo V. Sentientis; cæterum fortiter, sed tamen modeste repugnantis, ne sibi a majoribus accepta, & subditos coercendi, & leges ferendi potestas, insana impotentissimi hominis libidine, atque injuria eriperetur. Ergo si omnis a quavis Christianorum societate discessio crimen est; omnino necesse est istos fateri se hoc ipso crimine teneri, inique adeo facere, qui cujus se criminis reos esse intelligunt, id ipsum nobis per summam impudentiam objicere non verentur.

CAP. IV.

Non temere, neque sponte, vel sine summa necessitate a Romæ communione discessisse parentes nostros.

SEd illi fortasse causabuntur se merito, & ob rationes idoneas discessionem siquam fecerunt, fecisse. Ergo & hinc quoque in nostra hac causa exordiendum est rationesque cur ab ipsis discesserimus prius expendendæ, quam de ipsa discessione judicium feratur. Mittamus illa invidiosa *schismatis & divisionis* vocabula; neque ea sane cuiquam, nisi merito, exprobremus. Nam

Nam si nulla nobis ratio fuit, cur ab Ecclesia Romana discederemus; Si nihil illa a nobis exegit, quod cum fide nostra, vel cum cultu Deo ex animi nostri sententia debito pugnet; si vel levia sunt in quibus ab ea dissentimus, atque hujusmodi quæ citra conscientiæ culpam dissimulari ac tolerari potuerint; equidem non repugnabo, quin parentes nostri vere schismatis rei censeantur, temeritatisque damnentur, eorumque omnium malorum, quæ nostram hanc a Latinis discessionem consecuta sunt, auctores habeantur. Si vero quæ ab illis exigebantur, cum ipsorum & fide & conscientia vehementer pugnabant; si ipsi quod talia respuerent, hæreseos damnati, Christi & Ecclesiæ perduelles judicati, crudelissimeque proscripti, & unam hanc ob causam fortunis, honoribus, ipsa denique vita spoliati sunt; quis non videt qui hæc perpessi sunt eos communi generis humani commiseratione potius quam odio dignos esse? & quod ab iis, a quibus hæc immania per summam injuriam perpetiebantur, discesserunt, id juste, & ex omni divino ac humano jure, legitime atque necessario fecisse? Iam vero res ipsa clamat summam fuisse vim, quæ eas ad hanc secessionem coëgit; & eas fuisse hujus consilii rationes, quas qui secesserunt gravissimas, omninoque ineluctabiles ex intimo conscientiæ suæ sensu judicarent. Cui enim fiat verisimile, si aliter judicassent, id consilii capturos fuisse, a quo, si unam conscientiæ vim exceperis, cætera omnia vehementer eos deter-

rebant? Nempe quod ab Ecclesia Romana discederent, eo ipso statim quæcumque sunt apud homines gravia ac tristia, in sua suorumquæ capita accersebant, civium odia, Principum ac Magistratuum offensam fortunarum, honorum, amicorum, patriæ jacturam. Cui discessio placeret, ei & vitæ dulcibus carendum; & acerba necessario subeunda erant; paupertas, infamia, exilia, supplicia, cæteraque ejusdem generis omnia. Quis homines crediderit neque mente captos, neque sensus communis expertes ultro ac sponte sua, nulla necessitate, sed ex sola animi libidine se suaque in tantum discrimen conjecturos fuisse? Fac eos (quod non est credibile) adeo cæcos, dementesque fuisse, ut hæc consilium illud de discessione suum consecutura non viderint; nos quidem certe qui nunc vivimus, quid fuerit judicandum ipse rerum eventus satis superque docere potuit; Neque enim nobis ignotum esse potest, quam acriter illi majorum nostrorum a Romanis sacris discessioni orbis pæne universus intercesserit; quam nihil intentatum reliquerit, seu vim, seu artem spectes, quo nostri ab hoc incœpto deterrerentur, & Romanæ sedi quomodocumque reconciliarentur. Non est ergo dubitandum, quin & nos & majores nostros, ad consilium rebus, commodisque nostris evidentissime adversum compulerit potens aliqua & efficax ratio, quæ invitos ut sic dicam, subegerit & quæ natura appetimus, aspernari, & quæ itidem exhorrescimus, perferre. Quod vero

non-

nonnulli objectant nos ex mera quadam protervia, animique lascivientis insania, insueta solennibus, singularia communibus antehabuisse; id inquam sic ab omni veri ratione abhorret, ut vix refutatione dignum sit. Utinam civibus nostris illæsa conscientia in hoc negotio obsequi, ac morigerari, & quæ illi de divino cultu malunt, eadem absque animarum discrimine servare nobis liceret! Scimus profecto quanti sit & eorum amor, & Principum terris cœlitus præpositorum favor. Absit, ut gratis, ac sine aliqua necessaria, & ineluctabili caussa, eorum voluntati repugnemus, quorum est tanta in utramque partem potestas; maximè cum de rebus agatur, quas illi & divinas putant, & pro suo singulari in pietatis negotium affectu, summo studio, summaque cura prosequuntur. Neque vero nescimus quid hæc in religione diversitas & damni in rem Christianam intulerit, & scandali vel infidelibus, vel infirmis objecerit. Ac tametsi multa de nobis secius & suspicentur, & jactent adversarii, Dei tamen gratia vere ac libere profiteri possumus nos & in Dei gloriam, & in hominum salutem sic esse animatos, ut publica illa mala, non minus, quam privata, quæ in nos ex hoc fonte redundarunt, incommoda vel persentiscamus, vel defleamus.

CAP. V.

Rationes nostræ a Romana communione discessionis, ex eo natæ, quod diversa sit utriusque partis de religione fides.

QUid ergo tandem est (inquis) quod vos ista, quæ ipsi consideranda atque attendenda confitemini, spernere tamen & negligere, & res rationesque vestras aliter, quam hæc suadebant, instituere coëgit? Si favorem Principum, si benevolentiam civium, si pacem & tranquillitatem tum publicam, tum vestram, si Dei gloriam, hominumque ædificationem magni facitis, verisque votis, quod profitemini, concupiscitis; & scandala ex hac vestrorum hominum discessione exorta odistis, atque exhorrescitis; cur non eo reditis, unde illi discesserunt? Roma quidem, ex qua illi exeundum sibi esse putarunt, vos enixe revocat, & ambas ulnas offert redituris; neque adeo dura est aut immitis, ut neque conditiones ullas audire, neque quicquam eorum, quibus vos maxime commoveri, ac offendi caussamini, in vestri gratiam mollire, ac mitigare velit. Quid in fide, cultuque Romano usque adeo dirum & immane est, ut vetustissimis sanctissimisque majorum fanis ac delubris, solennibus populorum cœtibus, religiosisque synaxibus orbis denique totius concordia carere, & ultima quæque perferre ac perpeti malitis, quam Ecclesiæ Romanæ communicare?

re? Atqui Roma eundem illum Christum colit, quem vos vestræ religionis principem, atque auctorem jactatis. Christi unam personam, naturas duas confitetur; Christum æternum, Patrique & Spiritui Sancto consubstantialem Deum ante sæcula extitisse, verum inde hominem, nostrique excepto peccato, per omnia similem ex beatissimę Virginis carne in tempore factum, vere, quem prisca oracula promiserant, Emmanuelem, docet. Christi sanguine vere in cruce fuso expiatum humani generis peccatum, Christi morte quæsitám partamque orbis salutem profitetur. Christum peracto in terris certamine, triumphata morte in cœlos evectum ad Patris dexteram in summa gloria consedisse, indeque supremo die venturum ad judicandum orbem, beatamque post renovata sæcula ab ejus unius munere exspectandam immortalitatem prædicat. Roma suos & baptismate initiari, & Eucharistia pasci & pietate adversus Deum, & caritate in homines imbui, ex Christi utique disciplina, jubet. Roma Christi Euangelia, Apostolorumque epistolas in venerando divinorum librorum censu haberi præcipit; & siquid aliud sit in Domini disciplina præcipuum atque capitale, id vobiscum suscipit, ac defendit; & quicumque vel olim vel nuper Christianæ religionis fundamenta aliqua hæresi quatere & labefactari aggressi sunt, eorum & nomen & memoriam abominatur. Nos vero inquam, non negamus sanctissima hæc, & verissima,

ſima, quæ commemorata ſunt dogmata, etiam hodie confiteri Romanam Eccleſiam; Deoque Opt. Max. gratias ex animo agimus, quod ea non ſit paſſus in tanta temporum, ac rerum confuſione deleri. Sed utinam iſtis nihil de ſuo Romani adjeciſſent! Utinam quæ primis Chriſti diſcipulis ad ſalutem ſatis, fuerunt, ea nobis quoque ſatis eſſe vel paſſi fuiſſent, vel nunc certe paterentur! Si intra hos, ut par erat, fines ſtetiſſet Romæ fides; nulla parentibus, nulla nobis ratio futura erat, cur ab ea diſcederemus. Nulla mentes religio prohibitura erat, quominus ejus dogmata profiteri, ſacris intereſſe, cultus celebrare liceret; In hac enim brevi quidem, ſed tamen perfecta planeque admirabili divinæ ſapientiæ regula, abunde ineſt quicquid ad fidem, & ad mores, pertinet; neque præter ea quicquam deſideratur vel ad mentis vel ad voluntatis perfectionem, quo ad ſummam, quæ in Chriſto repoſita eſt, fœlicitatem perveniamus. Sed enim quis neſcit his Chriſtianæ fidei capitibus, quæ & in Scripturis divinis clariſſime atque diſertiſſime expreſſa, & ab Apoſtolis magna ubique cum auctoritate prædicata, ac conſtituta, omnes omnium temporum ac locorum Eccleſiæ ſummo conſenſu admittunt, ac profitentur, multa inſuper alia Romanos & adjeciſſe jampridem, & nunc pari omninò cum cæteris religione urgere ac commendare? dira fulmina ſiquis dubitaverit minari? & qui contra hiſcere audeat, eos palam inſectari ac oppugnare,
velut

velut hostes & perduelles, omniaque & sacra & profana ad miserorum exitium moliri? Christum, inquis, Roma confitetur, humani generis Mediatorem, Ecclesiæ Sacerdotem, & caput supremum. Sed illa, inquam, pręter hunc sanctos quoque cœlites pro Mediatoribus, Presbyteros suos pro Sacerdotibus, Papam pro Ecclesiæ capite & Sponso habet, & ab omnibus haberi jubet. Præter crucis sacrificium, altarium quoque suorum oblationes ac sacrificia obtrudit. Præter Domini sanguinem peccatorum expiationem Martyrum quoque sanguine ac perpessionibus, & ignis cujusdam, ut illa quidem fabulatur, subterranei vi perfici docet. Præter Baptismi lavacrum, Eucharistiæque alimentum, sui quoque olei, balsamique unctionem, & auricularis confessionis mysterium necessario a fidelibus expeti atque adhiberi imperat. Summum Deum sic adorat & precatur, ut Eucharistiæ sacramentum una quoque adorari, Angelos & sanctorum hominum superstites spiritus invocari ab omnibus velit. Cultum Euangelicum ita nobiscum probat, ut multiplices insuper cærimonias, quorundam ciborum abstinentiam, dierum ac temporum observationem, imaginum venerationem, aliaque hujus generis non pauca suorum conscientiis imponat, & pro veris Dei cultibus venditet. Præter sacras Scripturas, quas nobiscum censet in sacro canone, eadem quoque fide ac veneratione suscipi cogit, quascumque ἀγράφȣς traditiones admisit. Præter
cœle-

cœlestis regni requiem, quam piis promittit, aliam nescioquam infantibus absque sacro baptismo mortuis in limbo vitam constituit. Denique præter paratum impiis in gehenna cruciatum; ipsos quoque pios, sive fideles, similes & congeneres pœnas in purgatorio luere affirmat. Hæc & alia ejusdem farinæ dogmata veræ, certęque antiqui Christianismi fidei ab hominibus perperam adjecta, nos Ecclesiæ Romanæ communicare, non sinunt; quæ scilicet addititia ista (ut omnes norunt) & in suis Synodis accuratissime jampridem definivit, & in scholis, ac templis diligentissime quotidie commendat, & singulis confitenda ita anxie ac morose obtrudit, ut quicumque vel omnino, vel aliqua in parte dissentiunt, eos hæreticos, Christi hostes, ipsis infidelibus deteriores & sæpissime ante hac judicarit, & nunc quoque ad fastidium pronunciare, repetere, inculcare, non desinat. Quo loco hoc, quod gravissimum videtur, non pigebit annotare, ista & similia, non Ecclesiastarum modo voce ac lingua doceri, sed usu quoque, ac praxi assidua hominum mentibus sic insculpi, ac infigi, ut talium observatio Latini Christianismi dimidiam partem faciat. Cultus enim istorum religiosus, plurimum, & magna sui parte versatur in Angelis & cœlitibus invocandis, in adorando sacramento, in venerandis imaginibus, in altaris sacrificio vel celebrando, vel participando, in confessione facienda, in aliis cærimoniis exercendis. Atque hæc quidem Romani.

Nos

Nos vero de istis longe aliter sentire, etiam pueris notum est. Una Domini Jesu oblatione, intercessione, & monarchia contenti, sacerdotum sacrificia, Sanctorum invocationem, Papæ primatum repudiamus; neque quemquam in horum titulorum societatem cum Christo admittere sustinemus, cui uni in scripturis triplex illud decus tribui scimus. Nobis unus Christi sanguis ad peccatorum purgationem satis est; quem unum cœlestes Dei tabulæ prædicant, neque uspiam docent vel Paulum, vel cæteros sanctos pro nobis crucifixos fuisse, neque eorum, qui in Domino moriuntur, animas alio, quam ad quietem transferri, vel evocari. Neque vero alia præter Baptismum ac Cœnam Domini, sacramenta desideramus; qui nunquam ex verbo Dei audivimus vel in aurem presbyteri immurmuranda fidelium peccata, vel Episcopi balsamo inungendas eorũdem frontes. Fas non putamus vel panem, quem frangimus, vel calicem, cui benedicimus, adorare; quod eum cultum Deo uni deberi apud omnes constet; neque nobis licere credimus, vel creaturas absentes religiosa prece invocare, vel ante imagines venerationis ergo procumbere; quod in scripturis hoc quidem disertissime vetitum, illud vero neque præceptum neque factum usquam reperiamus. Quod ex Dei verbo minime audivimus; ne in fidem quidem nostram admittere audemus; non si id Apostolus, non si de cœlo Angelus evangelizet. Cum igitur neque certorum ciborum abstinentiam, neque dierum discri-

mina, vel observationem temporum, vel alias hujus generis pœnè innumerabiles cærimonias, neque limbum infantium, neque purgatorium ignem usquam confirment divinæ illæ litteræ; confitemur nondum nobis persuadere potuisse hæc & alia ejusdem commatis esse creditu necessaria.

CAP. VI.

Secessionem nostram, non ex privatis quorundam hominum factis, vel dictis, sed ex publicis & communibus totius Latinorum Ecclesiæ placitis, ac ritibus exortam, adeoque à veteri Donatistarum in Africa schismate plane alienam esse.

POssem si libêret, alias non paucas haud leviores afferre de religione controversias. Sed hoc specimen satis demonstrat, quę, qualesque fuerint nostræ à Latinorum communione discessionis caussæ, atque rationes. Unde patet, quam inique, ne dicam stulte ac præpostere, nonnulli nostram hanc causam cum veteri Donatistarum schismate comparent. Nihil enim Catholica illa Ecclesia, à qua Donatistæ secesserunt, docebat quod ab ipsorum fide discreparet. Apud utrosque unum idemque dogma erat; iidem legebantur libri, idem observabatur cultus. Nihil Donatista apud Catholicos vel in fide, vel in disciplina offendebat, quod non jam didicisset, vel vidisset apud suos. Nobis si Lati-

norum communionem inire placet, dogmata erunt admittenda, quæ apud ſcripturas nulli unquam didicimus; ſacramenta ſuſcipienda, quæ noſtris ignota ſunt, venerandæ erunt imagines, quas à Deo prohibitas, novimus; pro Deo adorandum quod Deum eſſe neſcimus; pro Eccleſię capite & ſponſo colendus, is quem nudum, merumque hominem ſcimus; conſcientiæ mortalibus ſubjugandę, uni hactenus Deo cedere ac parere ex noſtra diſciplina ſuetæ, doctæque. Quod vero Donatiſtæ obtendebant Fœlicem Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi ordinatorem ſcripturarum traditorem olim fuiſſe; id ſi vel maxime verum fuiſſet (quod ſtrenue negabant Catholici, & certis, iiſque non paucis documentis viri innocentiam ab omni hoc crimine luculentiſſime purgabant) quis non videt ne ſic quidem eorum cauſſam quicquam cum noſtra commune habituram? Id enim non dogma, ſed actus quidam erat, iſque non totius Eccleſiæ Africanæ communis, ſed unius viri id eſt Fœlicis proprius; ut nullam hinc cauſam Donato extitiſſe planum ſit, cur non modo Africanæ Eccleſiæ, ſed vel ipſius etiam Cęciliani communionem refugeret. Fac enim Cæciliani ordinatorem Fœlicem in hoc peccatum (quod Donatus volebat) re vera incidiſſe; illud quidem certe conſtat, nunquam eum docuiſſe, licere homini Chriſtiano Scripturas infidelibus tradere; ſed quod rem à ſe admiſſam negabat, quod ſe accuſatus purgabat, eo ipſo clare confeſſum liquet, admitti eam ſine crimine non poſſe. Itaque Do-

natiſtis licuit, ſine ulla vel fidei, vel morum ſuorum labe, ei communicare quorum conſcientiis nullam vim afferebat, ut ex ipſius ſocietate, aliquid ſecus quam eorum animus ferebat, vel credere, vel facere cogerentur. Sed, quod etiam multo incredibilius, & plane liquidoque falſum eſt, fingamus tamen Cæcilianum palam docuiſſe licere Chriſtianis ſæviente petſecutione Scripturarum codices Eccleſiæ hoſtibus tradere; eumque viri errorem exitialem, & cum vera fide inſociabilem eſſe concedamus; ne ſic quidem quicquam cauſſæ erat, cur Donatiſtæ abhorrerent vel à Cæciliani ſucceſſorum, vel ab aliorum Africæ Epiſcoporum communione, qui una omnes fide, ac voce ſentiebant, docebant, prędicabant hujuſmodi facinus homine Chriſtiano plane penituſque indignum eſſe, & quicumque ejus convicti eſſent eos publicæ pœnitentiæ ex communibus Eccleſię legibus ſeveriſſime ſubjiciebant. Quicquid finxeris, hoc unius Fœlicis, vel ſi forte etiam Cæciliani; nullius præter hos crimen fuit. Eccleſia quidem non modo à crimine, ſed etiam ab omni criminis ſuſpicione libera & immunis fuit; ut Donati, & gregalium ſingularem, planeque intolerabilem pervicaciam, iniquitatem, ſuperbiam, atque amentiam fuiſſe neceſſe ſit, qui ob privatam unius hominis labem ab univerſa Eccleſia abhorrebant. Utinam vero nobis cum Papæ Romani ſocietate res nunc eodem loco forent! Utinam eſſet univerſa ipſa ſocietas à crimine immunis, totaque hæc, de qua nos conquerimur, labes in

paucis

paucis ejus Pastoribus resideret! vel ad solos eorum mores, non etiam ad fidem ipsam pertineret! vel postremo quæ respuimus dogmata, ea non omnium, sed quorumdam tantummodo essent! Si res ita se haberent, nos apud eam etiam nunc hodie viveremus. Nunquam majores nostri ab ea discessissent; vel siqua eos animorum inusitata, atque incredibilis perturbatio cæcos & improvidos in schisma Donatiano simile egisset; illud quidem certe ex animi nostri sententia testamur nos eorum exemplum nequaquam secuturos, sed explorato & repudiato errore communionem Latinorum missa omni mora ac tergiversatione repetituros quamprimum fuisse. Fatemur enim extremæ esse iniquitatis, quæ hominum sunt, ea disciplinæ quam profitentur, imputare, & in religionem conferre quæ illi contra ipsas religionis leges peccant. In hujusmodi causa locum habere debet sanctissimum ac saluberrimum Domini Christi de iis qui super cathedram Moysi sedebant decretum; *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate & facite; secundum opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Ab hujusmodi hominum culpis, pura est, & immunis Ecclesia; quas diserte ac palam præconum suorum, imo etiam nonnunquam eorum ipsorum qui peccant, ore ac prædicatione, condemnat. Quod isti (inquit) apud me peccant, non est quod me idcirco refugiatis. Neque enim hanc mecum communicantibus legem fero, ut eorum quæ isti peccant, mei quoque, omnes necessa-

Matth. 23. 3.

rio participes sint. Ego vero meos ab hac morum cum istis societate, qua licet, absterreo. Ne ipsi quidem illi qui apud me peccant, quemquam cogunt sua delicta imitari; Aliud sæpe præcipiunt; & lingua emendant quod moribus vitiaverant; orationisque auctoritate corrigunt, quod peccatorum suorum exemplis perverterant, adversus sua ipsi venena quædam oris antidota providentes, ac ministrantes. Sed neque hæ sane nobis caussæ fuerunt, cur a Romæ communione discederemus; non Fœlicis alicujus lapsus, vel Cęcilianeæ ordinationis vitium, non Antistitum avaritia, non Monachorum intemperies, ac labes, non aulæ Romunæ sordes, non summorum Pontificum mores. Hæc enim sacræ disciplinæ flagitia tametsi Roma nimium patienter ac molliter ferret, certe non præcipiebat vel laudabat palam; & sceleratos quidem ac flagitiosos indulgentius habebat, ita tamen, ut neminem sceleratum aut flagitiosum esse compelleret; neque quemquam, quod sciam, ad hoc ut communione sua frui posset, ad ea vitia, cogeret, quæ passim apud se regnabant. Apud eam licebat juste, honesteque vitam instituere; neque ita unquam grassata est impietas, ut scelera, ac flagitia publicâ legum auctoritate sancirentur. Etiam difficillimis, calamitosissimisque temporibus aliqua semper apud istos, quamquam exilis interdum, atque obscura, vox audita est, quæ mundi impietatem, peccatorumque furias damnaret, sæpeque accidit, ut quorum vita pessimis exemplis scatebat,

tebat, eorum ipſorum cathedra ſanis præceptis, rectiſque ac probis documentis perſonaret. Nos vero Romæ, non exempla, ſed dogmata; non propria quorumdam facta, ſed communia cunctorum præcepta; non ſingularis in paucos vel patientia, vel indulgentia, ſed publicæ omnibus latæ leges; non morum denique, ſed fidei labes commoverunt, & ab ejus communione diſcedere coëgerunt. Eucharaſtiæ enim adorationem, ſanctorum invocationem, cultum imaginum religioſum, & cætera quæ nuper recenſuimus, Romani non ut mala tolerant, ſed ut recta, ac vera, laudant ac defendunt, neque velut dubia excuſant, aut in medio relinquunt, ſed velut certa, ac ſalutaria conſtituunt, atque præcipiunt; neque domi, & in angulis factitant, ſed in publica concionum luce e ſacro ipſo ſuggeſtu, tamquam æterna immotaque fidei ſuæ capita celebrant ac prædicant; Quo conſtat non aliter nos poſſe in Romanæ Eccleſiæ communione vivere, niſi & hæc ipſa nos credere, atque ſuſcipere profiteamur; hoc eſt niſi per ſummam, meritoque omnibus exſecrandam hypocriſin ea ore teſtemur atque agnoſcamus quæ ab omni animi, cordiſque noſtri ſenſu plane abhorrent. Quod ſi hæc non omnis iſtorum Eccleſia, ſed aliqui tantum apud eam Theologi ſentirent; nulla ſane nobis futura eſſet religio cum ipſa Romana ſocietate communionem colere; Neque enim æquum eſt privatorum ſententias univerſæ ſocietati imputari; quod ſæpe contingat, ut ſinguli multa opinentur, ac ſen-

tiant, etiam præter ejus, apud quam alioqui vivunt, Ecclesiæ auctoritatem. Ita olim in communi Judaismi lege, sua Sadducæis ' sua & Pharisæis erant privata ac propria dogmata; in quæ nemo ad hoc ut Iudæus esset, necessario jurare cogebatur. Ac ut longinqua mittam, in illa ipsa Romæ unde nos discessimus, societate, habent privatas, suique ordinis proprias quasdam de religione sententias Dominicani Monachi; habent & Franciscani suas, itidemque & suas Iesuitæ, aut Ignatiani. Si par esset eorum, quæ nos aversamur ratio; hoc est si ea unus tantum aliquis hominum ordo apud Romanam Ecclesiam affirmaret, ac defenderet; cæteris vel repudiare, vel suscipere liberum, solutumque esset; fateor, vix haberet nostra discessio, quo se tueri, ac purgare posset; quod eos a quibus discessimus, si his legibus nobiscum agant, nihil urgere constet quod conscientiæ nostræ adversetur. Sed palam est longe alterius esse generis totam hanc nostram causam. Quæ enim respuimus, ac repudiamus capita, ea non arcana, sed publica; non quorumdam propria, sed omnium communia dogmata, sunt in Synodis generalibus communi totius Papalis orbis suffragio atque auctoritate definita; in quæ universi ac singuli, laïci, clericique, monachi & sæculares, viri fœminæque nullo discrimine jurare coguntur; decreto in eos anathemate quicumque aliter docuerint, vel senserint. Neque hoc satis fuit. Adeo sacra, sanctaque est horum apud Romam fides, ut aliter sentientes, non

his

his modo Ecclesiasticis fulminibus feriat, sed etiam velut omnium bipedum scelestissimos, aqua & igni interdicat, ferro flammaque, & quacumque alia peste grassari valet, vivos mortuosque insectetur. Ex his satis apparet cum Donatistarum caussa nostram nihil habere commune; quæ tota ex publicis ac universalibus Ecclesiæ Romanæ dogmatis exorta est, cum Donatistæ ab unius hominis, & quidem non confessum, neque probatum, sed obscurum & ambiguum crimen a tota Afrorum Catholicorum communione discesserint. Ac illis quidem ea, quam refugiebant, Ecclesia nihil in fide, nihil in cultu suo proponebat, quod ab ipsorum dogmate, ac religione abhorreret; Nos vero Roma, ex qua discessimus, ad ea & credenda & factitanda cogit, quæ cum animorum nostrorum sensu ac sententia irreconciliabiliter pugnant.

CAP. VII.

Errores duorum esse generum; alios Christianæ fidei fundamenta evertere, & ad secessionem obligare; alios non item. Prioris generis esse Papales, quos rejicimus errores; posterioris, quos in Lutheranorum fratrum sententia denotamus.

QUid ergo? inquis. Simulatque Ecclesia aliqua dogma a fide nostra alienum publice prædicaverit, licebitne nobis ab ejus communione discedere? Qui fovendæ

publicę pacis causa etiam malos hominum mores ferri vult Dominus Iesus, est ne credibile eum nobis concedere, ut ab iis ipsis ob falsa dogmata secedamus? Fac Romam, quod vos pertenditis, aliquid iis adjecisse, quæ nobis fuerant a primis Christi discipulis tradita. Ideo ne æquum fuit tantis hæc motibus a majoribus vestris excipi? Nonne satius erat ut vitæ, sic & fidei Romanæ labes patienter a vestris tolerari? Si prius illud concordiæ Spiritus a vobis (ut ipsi professi estis) exigebat; quidni & hoc posterius itidem exegerit? Ego vero inprimis respondeo diversissimam esse eorum rationem quæ in vita & quæ in doctrina peccantur, & horum, quam illorum longe majus esse momentum, quod Ecclesia pro fidei ac morum norma suam nobis non vitam, sed doctrinam proponat. Sed tamen secundo loco fateor non quosvis errores ejus esse momenti, ut quicumque eos docent statim sint a nobis fugiendi, neque ulla in religionis
Rom. 14. 1. negotio communione dignandi. Iubet enim nos Apostolus eum *assumere, qui in fide infir-*
Phil. 3, 15. *mus est*; Quia & ipse præivit exemplo, nonnullos summa lenitate ferens tametsi aliter in quibusdam sentientes; *Quicumque* (inquit) *perfecti sumus hoc sentiamus; & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Dubitandum non est, quin error aliquis fuerit tum illa *fidei infirmitas*, tum hæc *sentiendi* sive *sapiendi* diversitas; quam utramque tamen ferri vult Paulus. Atqui idem alibi *anathemate* eos percellit, quicumque *nobis evangelezaverint præterquam quod ipse nobis evangelizavit.*

zavit. Omnino ergo ſtatuendum eſt qui incidunt de religione errores, eos duorum eſſe generum; alios quidem, qui in iis, quibuscum vivimus ac communicamus ferri poſſunt; alios, qui non poſſunt; idque diſcrimen ex vario ac diverſo ipſorum errorum ingenio pendere. Eadem enim erroris eſt quæ & veritatis ratio. Iam quæcumque ſunt in religione vera ea non ſunt omnia unius, ejuſdemque ad fidem, & ſalutem momenti; Quadam ita præcipua, ita abſolute neceſſaria ſunt, ut qui ea neſcit, regni cœleſtis hæres eſſe non poſſit; Alia utilia quidem ſunt, non tamen ita neceſſaria ut abſque eorum cognitione non poſſit vel Deus coli, vel ſalus haberi. Ergo & errorum eadem ex adverſo ratio eſt. Alii pernicioſi ſunt & exitiabiles, qui cum vera pietate conſiſtere non poſſunt; alii minus nocentes, qui non neceſſario vel a ſalute abducunt, vel in exitium agunt. Idque diſcrimen Paulus non obſcure ſignificat, quo loco poſtquam dixit *fundamentum neminem aliud poſſe ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, ſubjicit *qui ſuperædificaverint ſuper fundamentum hoc ligna, fœnum, ſtipulam*, eos *operis* quidem *detrimentum paſſuros*, quo die hominum opera probantur; cæterum *ſalvos ipſos futuros, ſic tamen quaſi per ignem*; id eſt ægre, ac velut ex incendio quodam ereptos, ex quo nudi rebus ſuis igni abſumptis evaſerint. Unde patet quoſdam errores eſſe, quorum ne ipſi quidem auctores ſalute multabuntur, nedum ut alios, qui eos ab auctoribus hauſerint, perituros exiſtimare debeamus, ſi modo

1. Cor. 3. 13. 15.

modo fundamentum integrum & illæſum ſervarint. Neque ſane obſcurum eſt errores quoſdam ita quidem comparatos eſſe, ut ipſa Chriſtianiſmi fundamenta appetant, atque evertant, & in ea nos recta ducant. quibuſcum ſalus conſiſtere non poteſt; ſed & alios quoſdam eſſe, a quibus hæc peſtis abeſt. Verbi gratia, ſiquis ſit, qui putet atque ſtatuat Solem eſſe adorandum, ejus errorem ad prius illud genus pertinere clarum eſt. Cum enim creaturarum adoratores, quos Scripturæ *idololatras* vocant, a regno cœleſti excludantur; conſtat non poſſe eum ſalutem adipiſci, qui Solem, qui mera creatura eſt, adorandum definit. Ita ſe cæteri errores habent, quicumque ex primariis, neceſſariiſque Chriſtianæ religionis fundamentis ſive unum, ſive plura quatiunt atque ſubruunt. Qui vero ſibi olim perſuadebant Eccleſiam poſt primam (ut opinabantur) reſurrectionem aliquandiu in his terris cum Chriſto manſuram; eorum profecto error neque noſtræ vel in Deum pietati, vel in proximum caritati, adverſari vel obeſſe, neque ullum ex cæteris capitibus, quibus Evangelium, noſtraque in Domino ſalus continetur, recta pulſare videtur; tametſi is, mea quidem ſententia, & cum Paulinis aliquot dictis pugnet, & regni Chriſti ingenio parum ſit conſentaneus. Dici non poteſt, quam utile, quamque neceſſarium ſit hoc inter eos errores, qui de religione exiſtunt, diſcrimen obſervare; ne in quorumdam bonorum quidem, ſed triſtium & ſeveriorum morbum incidamus, qui omnia
in

in hoc genere eodem loco ac numero habent, & quæcumque a ſua de religione ſententia vel minimum diſcedunt, ea diro anathematis fulmine inexorabiliter feriunt; neve altera ex parte in profanam eorum facilitatem delabamur, qui nullo diſcrimine, omnia de religione dogmata, etiam tæterrima, cenſentes, omnibus ſe ſe accommodant, ferunt, cameloſque, quod eſt in Euangelio, æque cum culicibus glutiunt. Nos vero ſi ſapimus, ab omni quidem omnino errore & cavebimus ipſi diligenter, proximos, quo ad a nobis fieri poterit, vel deterrebimus, vel liberabimus; quod nullus ſit error adeo exiguus, aut levis, qui non aliqua veri vel ignorantia, vel contradictione, (hoc eſt aliquo malo) implicatus teneatur; humanamque adeo mentem & dedeceat, & aliqua ſaltem labecula aſpergat. Sed non ideo tamen errores promiſcue eodem numero cenſebimus, hancque eorum diſtinctionem ſedulo tenebimus, ut & alios aliis nocentiores ac periculoſiores eſſe meminerimus, & ex hoc diſcrimine magis minuſve fugiendos, atque exhorreſcendos judicemus, pro ut magis, minusve noxios eſſe animadvertemus. Siquis ſit, qui in priori errorum genere verſetur, id eſt in iis qui Chriſtianiſmi fundamenta pulſant, atque labefactant, dabimus quidem ſedulo operam, omnemque & prudentiam, & diligentiam, quatenus per dona & vocationem licet, adhibebimus, ut hominem liberemus verioraque doceamus. Sed ſi conatus minime ſucceſſerit, tum certe quod ſupereſt,

nobis

nobis ipsis consulemus, & ab hominis in pestilenti atq; exitiabili errore obstinati communione discedemus. Ita a veteribus Christianis cum Paulo Samosateno Antiochiæ Episcopo primum; ita postea cum Ario presbytero Alexandrino, actum olim fuisse accepimus; quod uterque Christum verum esse & æternum Deum negantes totum Christianismum pestilenti, meritoque execranda hæresi funditus subverterent. Sin alicujus error alterius generis, atque ordinis fuerit, id est hujusmodi, quocum fidei & salutis fundamenta consistere queant; ne hunc quidem contemnemus, aut negligemus, & si eo fratrem liberare possimus, magnum operæ pretium fecisse nos reputabimus; (est enim optandum, ut fratres ab omni omnino errore sint immunes) Sin is vel ingenii tarditate, vel præjudiciis suis præpeditus verioribus assentiri nolit, non idcirco abjiciendus, vel refugiendus erit; sed leniter ferendus, quod id, in quo a nobis dissentit, hujusmodi sit, quod ipsins saluti non nocet; nedum ut nostram lædat. Ut enim in vita communi eorum societatem, atque consuetudinem vitamus, qui aliis hujus generis capitalibus, ac palmariis criminibus laborant, quod talium amicitiâ nostrum nomen, nostramque famam atque existimationem pollui, ac contaminari intelligamus; eorum vero nævos summa lenitate atque mansuetudine ferendos merito putamus, qui cætera probi ex humani tamen ingenii infirmitate non omnibus usquequaque vitiis carent; sic etiam in religionis nego-

negotio eorum quidem communio fugienda est; quorum errores ita sunt tætri ac immanes, ut cum pietatis Christianæ fundamentis consistere una non queant; aliorum, quorum sana est in præcipuis quibusque & ad salutem necessariis fides, retinenda, ac fovenda societas est, etiamsi in cæteris quæ minus gravia, minusque momentosa sunt, ab omni se errore plane immunes præstare non potuerint. Veteres, quod eorum pace dictum sit, hoc interdum loco æquo tristiores, morosioresque fuisse videntur, qui de rebus levibus, ac per se innoxiis non raro paratragœdiant, & qui a se, etiam de nihilo, dissentiebant, in eos non aliter sæviunt, quam si de summa Euangelii actum esset. Nonnulli ita sibi in hoc lusu indulserunt, ut nullus fere sit error, quem non in hæresim mutent; nullum peccatum, ex quo non faciant scelus. Magna est in hoc genere Philastrii cujusdam Brixiensis, Ambrosii æqualis, importunitas. Is enim eo usque provectus est, ut qui epistolam ad Hebræos non Paulo, ut vulgo fit, sed Clementi, aut Barnabæ tribuunt, vel qui centum & quinquaginta psalmos omnes a Davide scriptos ac compositos fuisse negant, vel qui stellas globis cœlestibus infixas inhærere docent, eos omnes in hæreticorum album dirus Censor retulerit. Sed omnium qui unquam fuerunt in excommunicandis hominibus temeritatem facile ii ipsi vicerunt, qui hodie nos accusant, quod temere ab illis discesserimus. Mitto Victoris in Asiam, Stephani in Africam, aliorum urbicorum in alios, sæpe ob recu-

l. de hæres. Bibl. Patr. T. 4. Parte 1. p. 22. c. 39.

reculas exigui, ac pæne nullius in religione momenti vel parata & expedita, vel etiam excussa vibrataque fulmina. Si vel ultimam, Tridenti avorum memoria habitam ab istis Synodum perlegas, videbis nullos unquam mortales fuisse anathematum liberaliores. Non ut cœli, ita & istorum fulmina, cedros & summos duntaxat montes feriunt. Nullam in adversariorum agris adeo humilem, aut despicabilem stirpem viderunt, quam de suo hoc cœlo tangendam non putarint. Qui dubitant num matrimonium sit sacramentum, num Ecclesia in consanguinitatis, vel affinitatis gradibus a Moyse prohibitis dispensare possit, an Episcopus presbytero superior sit jure divino, qui dixerint Romanam Ecclesiam non causis justis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, ii Tridentino anathemate non minus feriuntur, quam si vel Christi æternam divinitatem, vel veram carnis resurrectionem negarent; tametsi difficile sit intelligere, quid illa, quæ tam severe sancita sunt, etiamsi vera essent (sunt autem omnia falsissima) ad pietatem & salutem conferant. Ego hic non disputo quomodo cum ea lenitate, æquitate, & mansuetudine, quam nobis Christi disciplina tantopere, commendavit, consistere possit rigida hæc & inhumana durities, atque inclementia, quæ nunquam flectitur, nihil suffert, nullis parcit; suaque illa fulmina sæpe liberaliter, in errores omnis generis, levissimos æque ac gravissimos

Conc. Trid. ses. 24. can. 23. sess. 23. can. 6. sess. 21. can. 2.

mos

mos nullo discrimine profundit verius, quam mittit. Hoc unum nunc dicam, si nos istorum exemplo tueri, & ad hanc normam nostra exigere vellemus, facile futurum omnem hanc nostrorum hominum causam uno verbo expedire. Si enim matrimonium qui sacramentum esse negat, anathema iis, qui ajunt, merito est, quæso te qui Eucharistiam panem esse ait, quo loco, quove numero eos censere debet, qui eam & panem esse negant, & ipsissimum Deum esse cœli ac terræ creatorem, affirmant, ac contendunt? Si, quod presbyterum Episcopi ex divino jure parem, atque æqualem defendo, eo commerui ut me Roma devoveret, suaque communione proscriberet; quanto illa mihi justiorem ab ejus sacris abstinendi causam prębuit, quæ suum Episcopum supra Ecclesiam universam, & quicquid in terris Christianorum Regum est, efferre non dubitavit? Sed absit a nobis, ut nostram innocentiam in adversariorum criminibus collocemus. Nos vero ultro confitemur aliud esse charitatis Christianæ; aliud Latini zeli ingenium. Hic concitatus & præceps cæco impetu ruit; Illa certa ratione, actus suos regit; cunctabunda & sollicita omnia prius tentat atque explorat, quam ad ultima hæc veniat; etiam ea interdum fert quæ non laudat; neque alios abs se vel dimittit, vel repellit, nisi quos absque manifesto pietatis & salutis discrimine tolerare non potest; Adeo vero abest ab illo Tridentinorum æstu Christianos homines ob res nihili excommunicantium, ut

eam facile toleraturam putem in fidelibus de cæteris recte sentientibus illud Græcorum de Spiritus Sancti processione dogma, quod a plærisque tam vehementer exagitatum scimus. Nam tametsi errare eos concedam, dum putant Spiritum Sanctum, non a Patre Filioque (quod nos credimus) sed a Patre per Filium procedere (quod malunt Græci) fateor tamen mihi videri dictu, intellectuque difficile, quid is error pietati Christianæ detrimenti afferat. Atque huc quoque pertinet tristis illa controversia, quę nobis cum iis fratribus est, qui Lutheri disciplinam in Germania sequuntur. Fateor equidem, quod illi fratres statuunt Domini Jesu corpus in Eucharistiæ pane realiter esse, id nos certa fide credere non magis posse, quam mentis cogitatione assequi. Sed quod dogma in hoc religionis capite neque credere, neque capere possumus, id ego nos in eorum doctrina ferre, sive tolerare, & posse & vero ex caritatis legibus debere existimo. Hæc enim, quam illi retinent, opinio, dum in his finibus consistat; neque extra eos evagetur, veneno carere videtur; quę neque sacramenti naturam abolet; neque signum, quo id constat, tollit, neque ipsum vel adorat, vel dividit, aut mutilat, aut in sacrificium peccatorum expiatorium commutat, quæ denique & sacramento naturam, atque vim suam omnem tribuit ac relinquit, neque Christo recta, & immediate, præcisequе ac formaliter (ut in scholis loquuntur) substantiam, vel proprietates suas adimit; tantum ait eum, quo nobis

nobis mortis suæ ac (ut ait Paulus) *corpus & sanguinem suum*, id est utriusque vim ac fructum, communicet; illic etiam secundum corpus modo quodam, (quod ipsi profitentur) ineffabili atque incomprehensibili præsentem adesse. Hæc sane hypothesis, quamdiu se intra has terminos continet, nihil videtur ponere aut jubere, quod vel pietati, vel caritati, Dei honori, vel hominum saluti adversetur; eoque tolerari debet. Atque ita nostri semper de ea judicarunt; quod etiam nuper publice testatæ sunt Ecclesiæ hujus regni Reformatæ in Synodo Nationali Carentonæ A. D. 1631. habita; ubi decretum est fratres istos, qui *Lutherani* vulgo dicuntur, a nostra communione, mensaque sacra minime prohibendos, siqui velint accedere, etiamsi & hoc, quod commemoravimus, dogma, & pauca quædam alia minoris momenti seorsum a nobis sequantur. O lenitatem vere Christianam! dignam profecto, quam & omnes qui hodie vivunt pii, sedulo imitentur, & qui olim vivent posteri grata recordatione, cum laude perpetuo celebrent. Hoc vero tam illustri documento nostræ Ecclesiæ quanta sua sit hac omni in causa simplicitas, atque innocentia luculentissime, ut mihi quidem videtur, comprobarunt. Nam si, quod quidam fingunt, non alio quam proterviæ, ac contumaciæ, furorisque Spiritu agimur, quid ergo est, quod aliter sentientes tanta cum lenitate ferimus? & quidem eos, apud quos multos reperiri non nescimus qui sive quodam causæ studio abrepti, sive nonnul-

lorum calumniis decepti de nobis & pessime judicant, & contumeliosissime scribunt, ac loquuntur? Quicquid de nobis vel commentus vel suspicatus fueris, id hoc exemplum abunde refellit, docetque nullo caritatis defectu, sed gravi aliqua, planeque diversa caussa factum esse, ut ab Ecclesiæ Romanæ communione discesserimus. Nam si, quæ nobis de religione sunt cum Latinis controversiæ. ejusdem essent ordinis, ac generis, cum iis, in quibus a fratribus Lutheranis dissentimus; apparet nos illis haudquaquam difficiliores futuros, quam his sumus. Quis enim crediderit qui etiam exteros ferimus, a civibus ultro fuisse discessuros? vel qui hominum solo nobis Christianismi nomine conjunctorum communionem integram, atque incolumem tueri studemus, eorum societatem sponte deserturos ac violaturos fuisse, quorum in manu opes, fortunæ, vitęque ipsæ nostræ sunt? Quis denique sibi persuaserit nos adversus Principes Magistratusque nostros in quorum ditione atque imperio nati, atque educati sumus, quorumque beneficio stamus & vivimus, minus obsequentes, ac propensos futuros, quam adversus eos homines fuimus, qui nullo civili nexu nobis conjuncti a patriæ nostræ moribus, legibusque haud propius quam finibus absunt? Omnino horum alterum statuendum est; vel furere nos, ac mente captos desipere (quod quidem quemquam, qui sanus sit, objectum nobis non puto) vel certe gravem aliquam, necessariamque nobis causam fuisse,
cur

cur a Latinorum communione discederemus. Id vero nunc discutiendum, atque dispiciendum est, in quo sane hujus disputationis caput situm est. Nam si ea Latinorum dogmata ob quæ ab iis discessimus, ejusdem sint cum propriis Germanorum fratrum placitis naturæ, atque ingenii; si tolerabilia, atque hujusmodi sint, quæ integro ac illæso conscientiæ nostrę sensu ferre licuerit; equidem fatebor nostram hanc a Romanis discessionem, si non temerariam (apparet enim sine aliqua ratione factam non fuisse) certe iniquam ac injustam fuisse; quod nulla scilicet in hoc genere ab aliqua societate discessio justa censenda sit, nisi quæ necessaria eadem sit. Sed nos sane in Dei summi judicis, mortaliumque omnium conspectu, ac præsentia sancte ac fidenter testamur, nobis ea, quæ Romani exigunt, præstare, eorumque hac in parte voluntati obsequi, ac morem gerere non aliter licere, nisi & conscientiarum nostrarum turbemus pacem, & ea disjiciamus, ac subvertamus, quæ ex animi nostri sententia vera sunt, & immota Christianismi fundamenta. Non enim de paucis rebus, sed de plurimis; non de levibus, sed de longe gravissimis, inter nos controversia est; de ipso totius Ecclesiæ capite, de fidei fundamento, de salutis æternæ causis, de divino cultu, deque legitimo ejus objecto, de statu conscientiarum in hoc sæculo, animarum in altero.

CAP. VIII.

Eucharistiæ adorationem apud Romanos receptam, Christianæ ex sententia nostra pietatis, adeoque salutis fundamentum quatere, atque subruere.

NOn est animus omnia harum controversiarum capita excutere, minutatimque expendere, quam singula vim, quod in religione momentum habeant; quæ disputatio & destinatum huic opusculo modum excederet, & lectori fortasse tædium afferet. Eam certe causa ipsa non requirit; quam paucis ac faciliori longe negotio defendere, atque agere licet. Nam si inter tam multa, de quibus dissentimus, vel unum sit caput hujusmodi, ut eo Christianismi fundamenta labefactari constet; id unum, qualiacumque sint cætera, satis est ad probandam discessionis a Latinis nostræ necessitatem; quod nemo cuiquam cum pietatis, ac salutis suæ fraude communicare debeat. Missis ergo nunc quidem cæteris, ad quorum fidem Roma nos invitos ac repugnantes compellit, unum ejus de *oblatæ* (ut loquuntur) *hostiæ* adoratione, longe maximi (ut mihi quidem videtur) momenti decretum consideremus; breviterque ac perspicue demonstremus id a nobis suscepi vel admitti aliter non posse, nisi subverso pietatis ac salutis nostræ fundamento.

Principio hoc certissimum est, & communi

muni omnium piorum qui jam inde ab orbe condito ad hæc tempora extiterunt consensu receptum atque firmatum, summam illam cultns, honorisque speciem, quam vulgo *adorationem* dicimus, nulli alii deferendam esse, nisi uni Deo Opt. Max. cœli ac terrarum Creatori, nostroque per Christum Redemptori. Hoc veteris per Moysem constitutæ disciplinæ fundamentum est, hoc primum & primarium ejus legis caput, quam ipse Deus & fulminea de cœlo voce pronuntiatam, & tabulis lapideis incisam, atque insculptam Israêli olim tradidit; *Non habebis* (inquit) *Deos alienos coram me.* Longus sim, si ex Prophetis ea huc comportare voluero, quæcumque ad hanc de nostra in Deum religione legem vel illustrandam vel commendandam ac sanciendam apud eas leguntur. Sed & idem quoque est maximum ac præcipuum Euangelii fundamentum; Ioh. 17. 3.
Hæc (inquit Christus) *est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum.* Hæc enim Dei, Christique cognitio ipsum quoque, qui iis debetur, cultum complectitur. Iam qui ita nos docuit Deus, idem sexcentis Scripturæ locis testatur, quicumque suum hoc mandatum violaverint, se eos hostes, rebellesque, fœdifragos, atque desertores judicaturum, pœnisque tanto scelere dignis & in hoc & in futuro sæculo inexorabiliter affeductum; quippe cui sua gloria ita cordi est, ut eam in alium impune transferri aut transcribi nunquam sit passurus. Ac quo expressius ac clarius nobis ob oculos ponat quanta sit hu-

jus criminis atrocitas, id solet eorum scelerum imagine adumbrare, quibus nihil in omni humana vita, turpius, fœdiusque, ac flagitiosius committi posse censetur. Nam qui sic peccant eos comparat cum perditissimis scortis, mulieribusque adulterio pollutis, & ad omnes libidinum furias, spurcitiasque, & ad ea quæ sunt in hoc genere maxime inhonesta ac infamia, projectis; ea interdum verba in hoc argumento usurpans, quæ vix absque rubore legi possunt; Sic enim voluit mentibus nostris penitus infigere quam obscœna, quam turpis, ac pudenda, quam piorum omnium honestate indigna sit hujus peccati ignominia. Sane quando ea fuit Domini bonitas, ut nos ad sui communionem vocaverit, fœdusque nobiscum ita arctum ac sanctum inierit, ut se ipse maritum nostrum, nos sponsam ac conjugem suam nuncupare dignatus sit; nemo non intelligit qui cultum Deo debitum alii deferunt, eorum crimen ac scelus ejus esse geminum, quo se matrona obstringit, dum genialis thori sacrum ac inviolabile jus viro alieno prodit. Ergo ut criminum quæcumque contra conjugii fœdus admitti a matrona possunt, ultimum longeque cæterorum omnium gravissimum est adulterium; ita neque nos in Dei fœdus turpius aut flagitiosius peccare possumus, quam dum cultum uni ipsi debitum creaturæ alicui, quæcumque tandem illa sit, exhibemus. Ac ut adulterio conjugium ipsum solvitur; ita & Dei nobiscum fœdus eorum crimine dissipari ac frangi censendum est,

qui

qui creaturam adorant, idque alia etiam in hoc argumento solenni similitudine illustrari, ac probari potest. Deus Rex noster est, supremusque Dominus; nos Dei subditi ac servi sumus. Ut ergo subditus in Principem gravius peccare, aut quam ei debet fidem, atque subjectionem apertius negare, ejerareque non potest, quam si alteri alicui honorem, ac cultum, qui ei hoc nomine convenit, tribuat, atque exhibeat; ita neque Dei majestas atrocius unquam violatur, ac læditur, quam si Dei Dominique nostri nomen, quod ejus est unius proprium, cultumque, ac honorem, tanto nomini debitum, in aliud transcribamus. Hoc Gentilium capitale crimen fuit, quo miseri rupto Dei fœdere, iras primo, minasque cœlestes, omniaque hujus sæculi mala, inde æternam etiam mortem in se accersiverunt. Docet Paulus totam hanc, quantacumque est, maledictionem, inde in eos effusam profluxisse, quod *coluerint, & servierint creaturæ potius, quam Creatori*: idemque alibi expertissime negat eos *regnum Dei possessuros, qui idolis serviunt*; quo in genere omnes scriptura censet, qui creaturam quamcumque adorant. Ita & Joannes *idololatrarum partem in stagno futuram* ait *ardenti igne & sulphure; quod est mors secunda*. Sed nihil necesse est plura verba in eo confirmando consumere, quod nemo negat. Nam ex iis omnibus, quæ in divinis veteris ac novi fœderis libris continentur, nihil est aliud quod vel sæpius clariusque & luculentius a Spiritu Sancto confirmatum, repetitum, inculca-

Rom. 1. 25.
1. Cor. 6. 10.
Apoc. 21 8.

tum fuerit, vel ab hæreticis timidius rejectum & oppugnatum, vel ab omni Ecclesia constantius, atque alacrius defensum, ac prædicatum; a qua semper proscripti damnatique sunt qui Dei cultum creaturæ alicui quocumque demum nomine tribuere ac vindicare ausi sunt. Roma ipsa, de qua querimur atque exspostulamus, vix ac ne vix quidem repugnat, quominus vera censeantur, quæ hactenus constituimus. Nam quamlibet magnos, eximiosque honores variis creaturis deferat, nunquam tamen negavit certam esse quandam religiosi cultus speciem, unius Dei ita propriam, ut alii quam ipsi tribui sine sacrilegio non possit. Eum cultum *latriæ* nomine vulgo vocant Latinorum Theologi, ut ab ejus honoris, cultusque sive gradibus, sive generibus distinguant, quo etiam id, quod natura Deus non est, coli sine crimine posse statuunt. Siquod ergo est Christianæ fidei caput, quod inter pietatis, salutisque nostræ fundamenta censendum sit, negari profecto non potest quia hoc ipsum inprimis, de quo diximus, eo loco ac numero haberi deceat; neque temere ullum aliud reperias, quod pii omnes majori fide ac studio custodire, & posthabitis omnibus, quæ sunt in vita carissima, integrum atque inviolatum ad ultimum usque spiritum tueri ac servare debeant. Atqui hoc ipsum, quod tantum, tamque sanctum ac necessarium in religione est nos Roma temerare, ac violare cogit, ut sua communione uti ac frui liceat. Omnes enim qui sibi in sacris communicant ipsam
illam

illam summi cultus speciem, quam *latriam* vocat, quamque unius Dei propriam atque eximiam esse confitetur, Eucharistiæ, quam nos non Deum, sed meram creaturam esse & scimus & credimus, deferre severissime atque exsertissime jubet. A nobis exigit, ut rem, quam sacram quidem, & sanctam esse confitemur, sed ita tamen ut & sensui, & rationi & scripturis divinis panem esse affirmantibus, & assentiamur & credamus, ejerata atque abdicata tantorum, tamque veracium testium fide eam & panem esse negemus, & summum Deum, cœli ac terrarum Creatorem, generisque humani Redemptorem esse sentiamus, atque profiteamur. A nobis exigit, ut huic rei omnem nostræ creationis ac redemptionis laudem, omnemque summo nostro Domino debitam gloriam tribuamus, corporaque exinde, & ipsos animos ad aras, in quibus eam ostentari cernimus, humillime prosternamus, & in vicis, ac plateis, ubi frequenter a sacerdotibus gestatur, occursantem flexo genu adoremus, & ei consecratum solemnem diem pro Dei nostri festo quotannis celebremus; & in eos denique omnium dirissimum anathema maranatha pronunciemus, quicumque hoc suum dogma, huncqne suum ritum vel refutant, vel etiam spernunt. Ego vero hoc loco vel eos ipsos, qui Romanis partibus sunt omnium addictissimi, adire tamen atque consulere, judicesque in mea hac causa legere ac constituere non dubitabo; Vos quidem, ô boni, me jubetis Eucharistiæ sactamentum latriæ cultu adorare,

Conc. Trid. Sess. 13. c. 5.

rare. Ego vero me confiteor de hoc ſa-cramento ita ſentire, ac perſuaſum habere, ejus, quam vos dicitis ſubſtantiam, rem eſſe creatam, & quidem ſenſu, atque anima o-mni carentem; neque hactenus impetrare ab animo meo potuiſſe, ut quem panem eſ-ſe & ſenſus mei intelligunt, & ratio mea confirmat, & Dei Scriptura teſtatur, ac clamat, eum ego panem eſſe non credam. Dicite quæſo, quid me, qui ſic credo atque ſentio, facere deceat? An adorabò, quam creaturam meram eſſe non dubito? Atqui creaturam adorari vetat ſummus Deus; & adoranti mortis æternæ pœnam conſtituit. Alio me Dei, alio veſtra auctoritas trahit. Ille mea quidem ſententia, exſerte id ipſum vetat quod vos vehementer jubetis. Quid faciam in hoc rerum articulo deprehenſus? Ego vero non dubito, quin hominem de iſtis ita ſentientem atque judicantem de ſuis ipſi altaribus derepturi, atque avocaturi ſint: Neq; enim credo, cuiquam auctores futuri ſunt, ut id ipſum adoret ac colat, cujus ullum eſſe numen neque vult, neq; poteſt confite-ri. Suos certe ad colendam, adorandamque *oblatam* illam (ut loquuntur) *hoſtiam* non alia de cauſſa obſtringunt, quam quod eam pro ipſo Ieſu Chriſto, ſummo ac in ſæcula be-nedicto Deo habent; neque eam unquam niſi hoc ſibi perſuaſiſſent, vel adorarent ipſi, vel alios adorare juberent; Me ergo qui aliter judico ac ſentio, eadem tamen re-ligione defungi nefas putabunt; & ſi fecero, timiditatis in pietate non ferendæ damna-bunt, quem hominum metus id ipſum fa-

cere

cere subegerit, quod ex animi mei sensu nefarium, Deoque invisum esse judicabam. Neque hic mihi vestrum illud solenne occinas, falli me in eo quod de Eucharistiæ substantia sentio. Non enim nunc quæritur an Eucharistia panis vel sit, vel non sit; Alio pertinet illa disputatio. Quæritur an quis sine crimine ac sacrilegio adorare Eucharistiam possit, qui eam idem vere panem esse credit. Si non posse concesseris (ut ex his quæ nuper disputavimus omnino concedendum videtur) id ego, quod cupiebam, sum assecutus. Nempe hoc ita constituto, liquebit nos a Romanis jure merito discessisse; quod nobis Eucharistiæ, cujus substantiam panem merum esse credimus, id quod illi deferri jubent, tribuere non liceat, quin id creaturæ tribuamus, quod uni Creatori debetur. Ita concidit omnis illa de schismate invidiosa magis, quam vera criminatio. *Schisma* enim non alia discessio vocatur, quam quæ absque necessitate facta est. Atqui id, cujus gratia a vobis discessi hujusmodi cum sit, a quo me & ipse conscientiæ meæ sensus, iræque divinæ, & æternæ damnationis metus vehementer deterret, palam est me a vobis nulla animi libidine, nulloque studio, sed summa necessitate compulsum, atque coactum discessisse. Ut vobis liceat fidem, ac religionem meam reprehendere, discessionem certe ipsam culpare vel criminari non licet. Stuporem si ita placet meum, exagitate atque irridete, qui adeo hebes sum atque obtusus scilicet, ut assentiri vobis non possim definientibus cor-

corpus, quod in cœlo versatur, mille in terra locis eodem temporis momento simul semelque adesse, vel uniuersam unius hominis molem in unius puncti spatiolum contrahi, vel non panem, sed mundi Creatorem esse, quem & sensus omnes mei renuntiant, & ratio omnis intelligit vere panem esse, cuique *panis* & nomen, & naturam non semel a Deo ipso in sacris litteris tribui reperio. Ingenii mei infœlicitati, ineruditæque mentis tarditati quantum libuerit illudite, qui vestra illa mysteria capere, vel in animum admittere non possum, illud certe reprehendere, aut damnare non debetis, quod a vobis, qui hoc sum sensu, & hac fide, discesserim. Illud mihi nunc satis est, quod demonstravi discessionem a vobis meam cum Christiana caritate minime pugnare, cujus lege nemo cogitur ea in proximorum gratiam credere, vel facere, quæ ipse & Deo ingrata, & sibi perniciosa esse intelligit, ac certo statuit.

CAP. IX.

Diluitur objectio ab dogmate petita, quod nos in Lutheranorum fratrum sententia ferendum esse ducimus: ostenditurque ex eo dogmate Eucharistiæ adorationem neque ex jure, neque de facto (ut loquuntur) consequi.

SEd quoniam maximum esse hujus causæ in re Christiana momentum semper existimavi; quo luculentius res explicetur, libet

ea paulo accuratius conquirere atque expendere quæcumque videri possunt aliquid ad hoc conferre, ut illa Eucharistiæ adoratio tolerabilior censeatur, quam nos revera esse demonstravimus. Primo ergo fortasse objectabunt illam adorationem nobis usque adeo duram & horrendam videri non debere; cum de Eucharistiæ sacramento quædam ab hoc dogmate non admodum abhorrentia sequantur ipsi illi fratres Lutherani, quorum communionem minime nos defugere nuper testati sumus. Illi enim, quod omnibus notum est, statuunt Domini Iesu corpus in pane sanctificato vere, atque realiter adesse. Atqui hoc semel constituto omnino consequens videtur, ut sacramentum adoretur. Itaque quod hanc opinionem ex qua sacramenti adoratio sequitur, ferendam tamen conseamus, existimabit aliquis ipsam, quæ ex ea elici, atque concludi videtur, sacramenti adorationem non ita præfracte ac rigide repudiandam esse. Ego vero respondeo vanum & inanem esse hunc omnem colorem. Maxima enim sunt, eaque evidentissima utriusque dogmatis inter se discrima. Ego ea notabo, quæ ad rem nostram pertinent. Principio constat Lutheranos fratres, quæcumque eorum de cætero sit in toto hoc argumento sententia, illam certe Eucharistię adorationem ac *latriam* neque exercere ipsos, neque aliis ad se venientibus præcipere, neque denique ulla ratione approbare; quo fit, ut quæ a toto hoc cultu abhorret mea conscientia, nihil in eorum communione reperiat, quo merito

to hac in parte offendi, vel premi lædique possit. Apud Romanos alia omnia; qui hunc cultum velut sanctissimam Christianæ disciplinæ partem, & accurata ac pœne morosa religione exercent, & ab omnibus qui apud se versantur ac degunt, observari summo studio jubent, ac curant; tanta vi atque severitate, ut quorum animos ad hostiæ illius suæ adorationem inflectere non potuerunt, eos ipsos tamen corpora ad eam, quoties occurrit, demittere, & incurvare iis locis fere cogant, quæ ipsorum ditioni parent. Itaque vel hinc liquet quam immanis sit eorum paralogismus, qui a Lutheri de Eucharistia opinione ad Papæ Romani sententiam argumentantur, cum tam manifesta sit earum differentia; quarum altera suam conscientiæ meæ libertatem sinit intactam, nullum a me sacramenti fidei meæ repugnantem cultum exigens; altera me invitum id adorare cogit, quod meram esse creaturam plane credo, atque sentio. Jam quod addunt ex Lutheranorum de sacramento dogmate legitime consequi ac concludi, ut hoc adorandum esse confiteamur; primo id nego. Nam quod Christum Dominum realiter in sacramento præsentem adesse opinantur, eo non fit, ut sacramentum Christum ipsum realiter esse statuant. Contra nobiscum sentiunt, atque defendunt vere panem esse sacramenti hujus substantiam; idque consecratione effici ajunt, non ut panis natura convertatur aut immutetur, sed ut Christi caro, pane significata, adsit, & iis, qui panem sumunt, exhibeatur, at-

que

que communicetur. Ex his autem ita ut illi ſentiunt conſtitutis apparet non ſequi, ut ipſum adorandum ſacramentum concedant. Quis enim ex eo quod omnes confitentur Deum in omnibus creatis rebus eſſentia ſua præſentem eſſe, concluſerit res omnes creatas eſſe adorandas? quis non eum qui aliquid præter ipſum Deum adorare hac de cauſa præſumpſerit, idololatriæ reum cenſuerit? Spiritum Sanctum in cujuſque fidelis corpore inhabitare conſtat ex Paulo, qui ſcribit *membra noſtra templum eſſe Spiritus Sancti, qui eſt in nobis.* Ideone adoranda fidelium corpora dixeris? Romanorum hoſtia eſt in altari; eſt in ſacrario; eſt in ore, & in ventriculo eorum qui communicaverunt. An propterea conceſſuri ſunt, ut altare, ut ſacrarium, ut os, ut ventriculum fidelium adorare vel oporteat, vel liceat? Atqui ne ipſi quidem eum ferrent, qui hæc adoranda inde concluſerit, quod in iis hoſtiam præſentem eſſe conſtet. Cum ergo ex his appareat non ſiquid adoratione dignum ſit, eo fieri ut in quocumque id præſens fuerit, illud ipſum in quo eſt, adorandum quoque ſit; jam omnes intelligunt Dominici corporis realem in ſacramento præſentiam ita ſtatuere ac defendere licere, ut non ideo neceſſe ſit ſacramentum ipſum adorandum concedere; imo ſic, ut neceſſe ſit non adorare. Unde poſtremo ſequitur fratrum Lutheranorum dogma, realem Dominici in euchariſtiæ ſacramento corporis præſentiam ſimpliciter affirmantium, ſacramenti ipſius adorationem non modo non

1.Cor. 6.19.

efficere atque constituere, sed etiam refutare, atque respuere. Præterea & hoc quoque secundo loco respondeo, etiamsi (quod non ita est) ex fratrum dogmate legitime ac necessario concludi posset sacramentum esse adorandum, tamen quod hanc ipsi conclusionem adeo non concedunt, ut etiam mecum oderint, atque abominentur, id mihi satis esse, quominus eorum communionem refugiam. Fieri enim potest, & vero sæpe fit, ut qui thesin aliquam vel concedit, vel etiam defendit, idem tamen ea vel neget, vel certe minime tueatur, aut agnoscat pro suis quę ex thesi tamen consequuntur. De iis nondum fortasse cogitavit; vel si cogitavit, quid sequatur vel tarditate, vel studio, vel aliqua alia caussa præpeditus non vidit. Hodie quidem omnes (quod sciam) Christianorum scholæ concedunt hominum animos mortales fore, si ex parentum substantia in liberos per traducem propagentur; quod scilicet ea in esse (ut loquuntur) suo a materia pēdere necesse esse videantur, quæcumque in *fieri* ab eadem pendebant. Tune ideo putes neminem unquam esse opinatum hominis animam esse ex traduce, qui non idem mortalem quoque esse senserit? Absit, ut hoc putes. Ecce enim & Tertullianus, & alii auctores gravissimi, in quorum sententiam apertissime propendet ipse quoque Augustinus, & prius illud statuunt, & hoc posterius negant. Ita & Hilarius, qui Christum dolorem ullum in passione sensisse negavit, id quod hoc negato negandum quoq; videbatur non negavit tamen, Christum

ſtum ſcilicet ſua paſſione nos vere non redemiſſe. Exempla ejuſdem generis complura in hanc rem colligere poſſem. Sed hæc duo ſatis ſunt, ad id, quod nuper dixi, confirmandum, qui theſin tuetur non ideo ſtatim ei imputandum quicquid ex theſi legitime concludi, atque confici poteſt. Fac ergo (quod non ita eſt) ex fratrum Germanorum dogmate ſequi adorandum eſſe Euchariſtiæ ſacramentum; non ideo tamen hoc ipſis conſectarium jure & vere tribueris, quod ipſi adeo non admittunt, vel agnoſcunt pro ſuo; ut etiam ſtrenue id refutent ac refellant. Ac ut priorum ſæculorum fideles graviter in Chriſtianam caritatem peccaſſent, ſi Tertulliano, & Hilario tætra illa & impia, quæ utriuſque memoratas a nobis ſententias conſequuntur, invitis licet ac reclamantibus impegiſſent, atque imputaſſent, & hoc nomine eorum communionem refugiſſent; ita nunc perperam, ac inique facturi viderentur, ſiqui Lutheranis fratribus ſacramenti adorationem, quam ipſi clara voce inficiantur fortiterque ac palam abs ſe abdicant, tribuerent, eaque de cauſſa ab iis ſecedendum putarent; etiamſi eam (quod non eſt) ex illorum de Euchariſtia dogmate legitime confici ac concludi finxeris. De Latinis res longe aliter ſe habet. Illi enim non modo id, ex quo ſacramenti adoratio neceſſario ſequitur, ſed ipſam illam ſacramenti adorationem diſertiſſime docent. Ac prius quidem clarum eſt. Nam ſi ejus rei, quæ *Euchariſtiæ ſacramentum* dicitur, natura atque ſubſtantia, non panis, (quod nos ſen-

ſibus, rationi, & Scripturis credimus; ſed (quod illi ſciſcunt ac definiunt,) ipſiſſimum Chriſti corpus eſt; cum corpus Chriſti omnes adorandum confiteantur, nemo non videt Euchariſtiam eadem quoque ratione adorari & poſſe & debere. Sed de conſecutione diſputare ſupervacaneum eſt; Illi enim ſacramenti hujus adorationem uſque adeo non inficiantur, aut inficiandam putant, ut nihil ſit in tota eorum diſciplina, quod vel apertius, atque luculentius profiteantur, vel acrius & ſeverius præcipiant, vel denique ſanctius, aut religioſius factitent, atque exerceant. Cum igitur hoc de adorando ſacramento dogma ipſi quidem tum ex ſuæ ſententiæ (ut ſic dicam) *jure*, tum ex publica Eccleſiæ ſuæ praxi profiteantur ac defendant; fratres vero Germani neutro modo id admittant, ſed diſerte repudient; profecto quod horum communionem colendam, fovendamque putamus, eo minime fit, ut illos quoque, eodem loco, ac numero habere debeamus.

CAP. X.

Sacramenti dignitatem minime prohibere quo minus ejus adoratio grave, lethaleque crimen ſit.

SEd utcumque iſta (inquis) ſe habeant, durum tamen videtur, quæ nunc a Romanis Euchariſtiæ defertur adoratio eam illis cultibus comparare, quos olim vel Pagani,

gani, vel prævaricantes Judæi creaturis exhibebant. Hi enim idola colebant; Eucharistia, quam adorant Romani, sanctissimum est Christi sacramentum; ut cum tantum sit inter utriusque cultus objecta discrimen, vos frustra & temere videamini homines terrere, torquentes in Romanos, quæ Scripturæ in veteres illos sive Paganos, sive Judæos passim fulminant. Absit vero a nobis hæc in Dominum nostrum contumelia, ut rem ab eo institutam Paganicis idolis, atque figmentis exæquemus, vel comparemus. Nos Dei gratia longe sanctius, ac reverentius de Eucharistia sentimus, & eam, quod re vera est, sanctissimum Dominici corporis ac sanguinis sacramentum esse docemus ac confitemur; proque sacro ac pretiosissimo quodam gratiæ divinæ instrumento habemus, quo rite legitimeque celebrato communicentur nobis omnes cœlorum thesauri, hoc est Domini caro & sanguis, peccatorum remissio, conscientiæ pax, animæ sanctificatio, & jus beatæ immortalitatis. Ac tantum ab eo absumus, ut profano ac infami *idoli* vocabulo Eucharistiam appellemus; ut ne id quidem simpliciter dicere sustineamus, quod per se tamen verum est, *nihil aliud eam esse quam merum panem*; & siquando nostrum alicui hoc excidat; id veluti de sola rei substantia ac natura intelligendum est; non autem de sacramenti virtute, atque dignitate; quo sane respectu Eucharistiam aliquid esse censemus pane longe excellentius; ut hæc nostrorum, sicubi occurrat, oratio eodem

modo dicta fuisse censeatur; quo Gregorius Nyssenus in argumento simili baptismalem *aquam* dixit *nihil aliud esse quam aquam*, τὸ ὕδωρ οὐδὲν ἄλλο τυγχάνον ἢ ὕδωρ

in Bapt. Chr. T. 2. p. 803.

nempe quod pertinet ad naturam sive substantiam nihil aliud quam aqua est; Nam quod spectat ad *gratiam*, longe aliud esse quam aquam & scripturæ docent, & credunt omnes Christiani, & ipse Nyssenus non uno in loco tradit.

Id. ibid. p. 801. c. & Orat. Catech. c. 33.

Nos ergo Eucharistiæ quæcumque vere sunt ejus præcipua ac decora, integra atque illibata servamus. Cæterum si Eucharistia (quod nos firmissime credimus) vere creatura est, quicquid ipsi dederis dignitatis atque excellentiæ, id te si eam adoraveris, nihil juvabit, aut ab eorum crimine, purgabit, qui res creatas adorant. Deus enim adorari vetat, non modo res vel viles, vel vanas, ut Ægyptiorum allia, & cæpe, & feles, ut multa aliorum Paganorum inania numina, quæ nunquam vel in natura, vel alibi quam in falsa, deliraque eorum imaginatione extiterant; sed in genere & absolute creaturas, quæcumque & ubicumque fuerint, sive in cœlis luceant, sive in aquis natent, sive in aëre volitent, animata, visibilia, & invisibilia, corporea, spiritualia, sacra, profanaque omnia; ac una eademque damnatione, velut ejusdem criminis reos, iisdemque pœnis obnoxios involvit, quicumque creatum aliquid religiosa adoratione coluerint. Nam cum hujus adorationis honos symbolum sit, quo Dei Opt. Max. summam majestatem, supremumque in nos & creata

omnia

omnia jus profitemur atque agnoſcimus, cumque id officium intimo illi amori atque cultui reſpondeat, quem caſta matrona uni marito defert, ac debet; quis non intelligit crimen eſſe ingens aliquid aliud præter ſummum illum Deum adorare, quodcumque demum id fuerit quod adoratur? Rerum inter ſe differentia nullius hoc quidem loco momenti eſt; quæ qualeſcumque de cætero ſint, eo certe pares cunctæ, quod earum nulla eſt, quantumvis præcellens, & reliquis pręſtans, quæ Deus ſit, cui uni cultus iſte debetur; imo a ſumma Dei eminentia omnes immenſis infinitiſque ſpatiis ſejunctæ, ac ſemotæ ſunt. Caroli Borbonii Cardinalis eximia dignitas, & quo Henrico nepoti glorioſiſſimæ memoriæ Principi proxime adhærebat conſanguinitatis nexus eorum non purgat crimen, qui ipſi Regis nomen & cultum in his noſtris Galliis parentum memoria detulerunt. Neque quòd Regis eſſet patruus, eo minus noxii fuiſſe; vel in Majeſtatem levius peccaſſe cenſendi ſunt, qui in illum, ſummi imperii apicem ac titulum nefario ſcelere tranſtulerunt. Neque Potiphari uxorem qniſquam, credo, crimine abſolverit, quod is quem ardebat, Joſephus, ſumma floreret apud ejus virum gratia, atque dignitate, princepſque ab eo eſſet totius familiæ conſtitutus. Quod nequiſſima mulier amorem uni marito debitum in alium transfert, eo ipſo adulterii manifeſta tenetur. Nihil neceſſe eſt quærere, quem amet. Satis eſt ad crimen, quod quem illa deperit, maritus ejus

non eſt. Ergo & tu quoque in diverſo, quidem, ſed tamen ſimili genere reus es, ſi Deus ſummus non eſt, quicquid tandem illud ſit, quod latriæ cultu adoras. Nihil ad cauſam pertinet rei natura, vel dignitas. Unum quæritur, an quod colis id ſummus ille ſit Deus, cui tu uni tuum cultum debes. Si non eſt; evadere non potes, quin majeſtatem ſummi Domini læſeris, & ſanctiſſimi fœderis, quo te ſibi tam imparem jungere dignatus erat, fidem ac ſacramentum omne fregeris. Tu in Regem tuum perduellis; in ſponſum tuum perfidus es. Tanti criminis, neque infamiam, neque pœnam aliter effugies, niſi culpam & veris lachrymis, & forti pœnitentia emendaveris. Sin aliter eſſet, abſolvendi aut certe excuſandi eſſent, qui Solem adorarunt, orbis oculum, ſummi Dei, cujus præcipuus, ac maxime admirabilis in tota natura miniſter eſt, non leviter adumbratam, ſed quibuſdam ſapientiæ atque potentiæ ſuæ radiis clariſſime expreſſam imaginem præ ſe ferentem; defendendus eſſet cultus, quem olim Iſraëlitæ æneo ſerpenti incenſum adolentes detulerunt; quod is ſerpens non caſſum & inane idolum eſſet ſcilicet, ſed eximium divinæ in hanc gentem beneficentiæ monumentum, bonitatiſque inſtrumentum, & quoddam gratiæ veluti ſacramentum a Moyſe Dei ipſius juſſu quondam poſitum, ac inſtitutum. Laudandæ eſſent Collyridianæ ab Epiphanio memoratæ mulieres, quę Virginem Mariam adorabant, quod inſtitutus ab iis cultus ſcilicet, non alicui de ſtramineis

neis Paganorum numinibus, sed mulieri longe omnium beatissimæ, sanctissimæ, atque excellentissimæ exhiberetur, quæ Servatoris mater, ac tabernaculum gloriæ ejus fuit, atque vas quoddam electum, varia ac multiplici gratia, & benedictione refertum. Non essent Ariani eo nomine denotandi, vel reprehendendi, quod Christo suo summum latriæ honorem tribuerent, quem nimirum ita fingebant, ut eum etiamsi meram creaturam facerent, omnibus tamen quæcumque creata sunt multum præstitisse, atque excelluisse statuerent, primariumque æterni Patris ac longe nobilissimum tum in creando, tum in redimendo orbe instrumentum fuisse dicerent. Jam vero non effecit vel harum rerum dignitas, vel ea, quam ad Deum habebant, ratio, quo minus quicumque eas adorarunt, veluti creaturarum cultores, verique nominis idololatrię damnarentur. Quis enim nescit inter nobilissimos idololatras apud Dei Scripturas locari censerique quicumq; Solem, ac Lunam, cæteraque cœli sidera coluerunt? piisque omnis memoriæ summa semper cura divinitus vetitum esse, ne hujusmodi exempla imitarentur? Quis nescit laudatissimum Regem Ezechiam ænei serpentis cultum ita esse abominatum, ut ad eum abolendum, illud ipsum divinorum miraculorum monumentum confringere non dubitaverit, nomenque ejus immutare, ac *Nehustan* per contemptum appellare, quasi vile ac inutile æramentum dicas? Collyridianarum vero mulierum factum tametsi

Vide Job. 26.27.28 Deu. 4.19 & 17. 2. 3. 2. Reg. 23. 5. 11.

2. Reg. 18. 4.

Epiph. hær. 79. p. 100. c. 1061. b.

Athan. Orat. 1. contr. Arian. T. 1. p. 297. a. Orat. 3. p. 385. c. Orat. 4. p. 468. Cyril. in Ioan. 1. 9 c. 41. Thes. 1. 2 c. 1.

ad honorem Mariæ Virginis pertinere videretur (cujus laus maximo ſemper in pretio apud Chriſtianos fuit) adeo tamen exhorruit vetus Eccleſia, ut hoc earum inſtitutum, αἵρεσιν εἰδωλοποιὸν & ἐπιτήδευμα εἰδωλοποιὸν, *hæreſim idolololatricam, & inſtitutum cum idololatria conjunctum* vocaverit; & contra hunc errorem adhibuerit quæcumque de unius Dei adoratione in divinis litteris extant vel documenta, vel exempla. Neque quam Ariani ſuo Chriſto tribuebant dignitatem ea ſãctos illius memoriæ Theologos deterruit, quominus hæreticos iſtos & *idololatriæ* accuſarent, & *idololatras* diſerte nominarent; quod ſcilicet Chriſtum, ut & alii Patres paſſim omni excellentiæ genere ornarent, poſtremò tamen meram creaturam eſſe contenderent; ut meritò velut creaturæ adoratores traducerentur, qui quem creaturam eſſe fingebant, ei debitos uni Deo honores cultuſq; nihilo-ſecius deferrent. Sed quam vana frivolaque ſit iſta cavillatio, ex eo etiam apparet, quod optimi ac laudatiſſimi quique Dei ſervi adorationis delatum ſibi cultum conſtantiſſime ſemper non ſpreviſſe modo, ſed etiam vehementer averſati reperiuntur. Ut enim Joſeph impuriſſimam dominæ ſuæ cupiditatem exhorruit, & quæ unius mariti erant, ſibi alieno prodere, ac in manus tradere molientem repulit, & cum ſapientiſſimis monitis turpem libidinoſę mulieris ardorem reſtinguere non poſſet. etiam poſtremo fugit, quaſi ſe flagitioſæ manus tactu pollùi ac contaminari crederet; ita fideles Dei ſervi eos ſemper abs ſe acriter indi-

gnan-

gnantes rejecerunt, qui sibi deferre tentarunt cultum uni Domino suo debitum; hujusque honorē generis pro summa contumelia habuerunt. Angelo arcana sibi cœlestia revelanti cum cæco quodam animi impetu abreptus semel atque iterum Joannes adorabundus accidisset, semel atque iterum a Sancto Dei Ministro rejectus est, ne hic sibi honos exhiberetur constantissime abnuente, ac deterrente; *Vide* (inquit) *ne feceris; Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu; Deum adora.* Ita & Centurionem Cornelium Petrus Apostolus sibi ad pedes procidentem, seque adorantem, pariter quoque repellens elevavit, & *Surge* (inquit) *& ego ipse homo sum.* Sic Petri collegæ Paulus, & Barnabas, cum sibi viderent Lycaonios divinos honores parare, & quæ numinibus solebant, sacrificia offerre velle, rem adeo indignam putarunt, ut velut dirum scelus aversantes, tunicas suas conscinderent, exclamantes, *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similiter vobis homines.* Neque dubitandum est, quin sibi delatos a Gentilibus cultus & Sol, & sidera, & cætera sensus atque animæ expertia pari cum dolore atque indignatione repudiatura fuerint, si hos motus eorum natura caperet. *Si Sol* (inquit Augustinus) *indignari potest, acerbius indignatur contra falso honorantem, quam contra contumeliosum.* Quod vero contra hæc afferri posse nonnullis fortasse videbitur, Angelos interdum ab hominibus piis adoratos legi, id inquam frustra ac inutiliter objici palam est. Nam & ex ipsis Scri-

Apoc. 19. 10. & 22. 8. 9.

Act. 10. 26.

Act. 14. 13. 14. 15

in Psal. 93. Præf.

Scripturis constat, & apud omnes Christianos confessum est, vel Angelum qui adoratus legitur, Dei unigenitum Filium fuisse, qui Patribus Angeli modo ac specie nonnunquam veteris testamenti temporibus apparuit, vel si is ex creatorum Angelorum ordine vere fuit, adorationem quæ illi a piis delata esse dicitur, honorem fuisse eo cultu longe inferiorem, qui Deo debetur, & vulgo a Latinis, hominibus *latriæ* nomine censetur. Aliter fatendum esset a piis (quod absurdum est) violatũ fuisse primum ax maximum totius legis caput; quo severissime cavetur ne cui præter unum Deum, hæc cultus species deferatur. Eadem est illorum locorum ratio, in quibus Latinus Scripturarum inter pres vetus arcamMosaici fœderis vel *adorandam*, vel *adoratam*, fuisse dicit. Nam vel hæc ex Ebræorum codicum (quod a nostris factum est) ita accipienda sunt, ut simpliciter significent fideles *ad arcam adorasse*, id est ante eam prostratos Dominum Deum adorasse; ex illorum seilicet temporum disciplina, quibus Dei cultum arcæ, & locis in quibus ea erat, suo quodam modo affixum fuisse scimus; vel si ipsam etiam arcam *adoratam* fuisse placet, eo confugiendum erit, ut dicamus illam arcæ *adorationem*, quæcumque demum fuerit, honorem fuisse ea cultus specie, qui uni Deo debetur, multo inferiorem; vel erit hîc usurpanda Augustini subtilitas, qui per *scabellum pedum Dei*, quod
Psal. 99. (Lat. 98) 5. Psaltes *adorari* apud Latinum intepretem jubet, humanam Christi naturam intelligit

Filio

Filio personaliter unitam, eoque ipso vere ac proprie adorandam: vel denique quidvis potius admittendum erit, quam ut everso omnis religionis, ac pietatis fundamento concedamus unquam summam adorationem cuiquam legitime deferri posse, nisi uni summo Deo. *Relativa vero ac mediata adoratio*, nuper a Latinis Theologis inventa quo minus ullum ad hanc disputationem momentum afferre possit, obstant tres inprimis causæ. Primo quod hæc religiosi cultus in *absolutum & relativum, in mediatum & immediatum* distinctio, merum ingeniosorum hominum commentum sit, quod rectis & probis conscientiis minime satisfacit. Nam tametsi qui legatis & signis exhibetur honos, is ad personas, quarum sunt & legati, & signa, referatur; quo fit ut & Princeps in suis legatis, & Deus in ministris ac sacramentis suis honoretur; alium tamen esse palam est honorem, qui his, alium qui illis tribuitur ac defertur. Id in vita communi obviam est. Quis enim eum ferat, qui Regis nomen magistratibus & ministris tribuat, quod illi in suis muneribus majestatem Principis repræsentent, & auctoritatem exerceant? Ad principem redundat fateor, qui iis habetur honos; sed alius tamen ab eo est qui Principi ipsi defertur, ac debetur. Eadem sacramentorum, quæ in religione usurpantur, ratio est. Reverentia, qua sacrum baptisma suscipimus, Christum haud dubie & Spiritum Sanctum respicit; quod scilicet ab illo quidem vim & primam institutionem,

ab

ab hoc veró omnem efficacitatem habet. Non ideo tamen quisquam vere Christianus concesserit eadem illa adoratione quæ Christo & Spiritui debetur, ipsum quoque baptisma coli debere. Ne ipsi quidem adversarii id dixerint. Sed nihil opus est distinctionem istam accuratius hoc quidem loco excutere; qua ne ipsi quidem Latini in præsenti disputatione uti solent. Eucharistię enim, de qua nunc quærimus, non mediatam, aut relativam, sed immediatam & absolutam deferri jubent; quæ scilicet recta in ipsam illam rem fertur atque desinit, quæ istic sub panis & vini speciebus adest; quam illi summo mentis errore realiter ac personaliter esse volunt æternum Dei Filium. Ergo etiamsi hujus distinctionis usus cultum meræ alicui creaturæ delatum purgare posset (quod tamen non concedimus) illud quidem certe constat nihil eam conferre ad molliendam, aut minuendam ejus adorationis religionem, quam isti nos sacramento suo exhibere jubent. Denique etiam si finxeris aliquem esse posse etiam in hoc negotio apud alios, puta apud adversarios, allatæ distinctionis usum, nos quidem, ut palam est, nihil juvabit, qui eam futilem atque vanam putamus, vereque idololatriæ & divinæ maledictionis reos esse arbitramur, quicumque hunc summum unique Deo debitum adorationis cultum creaturæ quolibet nomine & quacumque ratione deferunt; sive is in re adoráta stet, ac (ut sic dicam) conquiescat, sive hanc transvolans, & prætergrediens ultra ad aliam

aliam tendat, ac tandem feratur; Non aliter quam adulterii merito rea & eſt & cenſetur, quæcumque mulier alii viro, quam ſuo, amorem & thorum conjugalem prodit; quicquid vel de ſuo in hoc admittendo facinore conſilio, & animo, vel de ratione, qua eo impulſa ſit, vel de cæteris actionis circumſtantiis cauſſata fuerit. Atque ita ſatis jam, ni fallor, demonſtravimus, ſi Euchariſtia vere (quod nobis eſt perſuaſiſſimum) panis eſt, ejus neque utilitatem atque excellentiam (quam in religione magnam eſſe concedimus) neque relationem ad Domini corpus & ſanguinem (quam pariter quoque confitemur) eo valere poſſe, ut quiſquam vel idololatriæ crimine purgetur, vel iis pœnis, quæ ſunt idololatris divinitus conſtitutæ, liberetur, ſi nobiſcum ſentiens id huic ſacramento cultus atque adorationis detulerit, quod Romani a nobis exigunt.

CAP. XI.

Quod Latini de Euchariſtia ſentiunt id nullam vim habere, ut hoc ſacramentum impune ac ſine crimine adorari poſſit.

SEd hic fortaſſe excipiet aliquis, Latinos quod adorant ſacramentum, id non creaturam nobiſcum, ſed ipſum Chriſtum, gloriæ Dominum, verum & æternum, ac Patri conſubſtantialem Deum, adeoque

adora-

adoratione dignum esse sibi persuadere; ut etiamsi eorum opinioni error insit, absit tamen a cultu crimen, cum id, quod adorant, si id esset, quod ipsi putant, quin adorandum quoque sit negari non possit. At ipsi primum Latini quam nihili faciant hanc erroris in hoc argumento excusatiouem, satis eo demonstrant, quod statuentes (tametsi hoc quidem illi temere ac falso sumant) omnibus præteritis sæculis adoratam semper fuisse a Christianis Eucharistiam, negant *cuiquam dubium esse posse si nihil in Eucharistia præter panem sit, quin tota Ecclesia jam per quindecim annorum centenarios idololatra fuerit, ac proinde quotquot ante nos hoc sacramentum adoraverunt, omnes ad unum esse damnatos; qui creaturam panis adoraverint Creatoris loco.* Ac merito quidem dicerent, si verum esset, quod ponunt, Ecclesiam quindecim retro sæculis Eucharistiam adorasse. Nam si religiosus cultus ex hominum de re, cui eum deferunt, opinione æstimandus est; vix reperies, quem idololatriæ damnare, merito possis. Pagani quidem negabunt se, quod iis objicit Paulus, creaturam adorasse, vel iis serviisse, qui Dii natura non sunt. Afferent enim se ita sensisse, Iovem illum, cui summam adorationem detulerunt, summum Deum fuisse, universi conditorem, ac conservatorem, hominum, ac Deorum parentem, quod ejus apud Poetas nomen esse omnes sciunt; itaque cum nemo neget his nominibus adorationem deberi, se quod Jovem adoraverint, cui hæc nomina vere convenire putaverint,

Joa. Fischer. Roff. 1. 1. contra Oecolamp. c. 2 fol. 3. b.

Rom. 1. 25. Gal. 4. 8.

verint, idololatriæ falſo ac immerito accuſari. Jam ſi Iſraëlitę (quod adverſariorum Theologi concedere plærique videntur) vitulum illum aureum ipſum Deum revera fuiſſe crediderunt, qui eos ex Ægypto eduxerat; poterant eadem illa adhibita ſtropha cultum, quem ei in deſerto detulerunt, omni crimine purgare, cauſſantes; ſcilicet ſe hunc putaſſe Dominum ſuum fuiſſe; errorem ſane fuiſſe, quod ſignum conflatile Deum eſſe crediderint; idololatriam non fuiſſe quod id, de quo ita exiſtimarent, adoraverint. Ita & Collyridianis mulieribus a quibus adoratam fuiſſe B. Virginem diximus, licuit ſe ab Epiphanii, idololatriæ eas accuſantis, criminatione tueri, ac purgare, ſi quod tradit Baronius, ſanctiſmam Virginem non hominem, ſed numen eſſe putarunt. Eſto enim error fuerit, quod Mariam Deam eſſe exiſtimaverint; Certe quod eam de qua ita exiſtimarent, adoraverint, ſi ſtat objecta hypotheſis, culpandæ, vel idololatriæ idcirco damnandæ non videntur; quæ nihil egerint, quod non eſſet errori ſuo conſentaneum, cum ſummum cultum nemo ei deferendum naturę neget, cujus ipſæ Mariam eſſe opinabantur. Auguſtinus teſtatur hæreticos fuiſſę, qui Solem adorarent, & Ieſum Chriſtum eſſe dicerent. Et his licuerit eadem quoque ratione quem Soli exhibebant cultum defendere, negareque eum a ſe creaturæ tribui, qui ſcilicet hunc, cui tribuerent, Chriſtum verum Deum eſſe crederent. Jam vero certiſſime conſtat & Iovi a Paganis, & vitulo

Exod. 32

in Pſal. 93. Præf.

ab Iſraëlitis delatos honores *idololatriam*, & ipſos Paganos, atque Iſraëlitas, *idololatras* a Spiritu Sancto ubique cenſeri; & exinde Collyridianarum mulierum *hæreſim idololatriam*, & *inſtitutum idololatricum* ab Epiphaeio vocari; & honorem, quem Soli hæretici exhibebant, velut Creatori contumelioſum ab Auguſtino damnar. Itaque qui creaturis divinos cultus tribuunt, hi fruſtra ac nequicquam ſuum de eorum, quæ colunt, natura errorem excuſant. Deus vanum colorem rejicit; & quidem merito. Nam ſi valet, nullum erit crimen tantum, quod purgari non poſſit; quod nullum ſit ſcilicet omnis omnino erroris expers. Qui excuſſo legitimi Principis jugo Tyrannum in folium extulerint, & nefariæ conjurationi adhæſerint, rebellionem ſic purgabunt, ut dicant ſe eum, qui tyrannus eſt, putaviſſe verum ac legitimum regni dominum fuiſſe; itaque huic ſuo errori infame rebellionis nomen falſo imponi. Eadem cæterorum criminum ratio erit; ex quibus nullum reperire eſt, cui non ſit erroris aliquid admiſtum. Ignorantiam fateor merito excuſari; ſed involuntariam, cum id, quod neſcimus, hujuſmodi eſt, quod ſcire & cognoſcere etiamſi & voluerimus vehementer, & omni adhibita cura ac induſtria conati ſimus, non potuerimus tamen; ut ſi pro Principe obtrudatur is, qui Principis ita ſimilis eſt, ut diſcerni atque internoſci non poſſit; cives ſane, qui debitum Principi honorem cultumque, huic detulerint, venia digni ſunt. Ignorantia

vero,

vero, quæ non a rei ipsius difficultate vel obscuritate, sed a nostra vel nequitia ac dolo, vel negligentia ac supinitate oritur, adeo crimen non elevat, aut minuit, ut etiam augeat; cum & ipsa vere crimen sit. Qualis eorum apud nos error fuit, qui civilis belli temporibus Borbonium Cardinalem pro Galliarum Rege habuerunt; quos non ipsa rerum obscuritas, sed pravum animi studium in errorem induxit, id sponte nescientes quod in clarissima veritatis luce positum ante omnium oculos versabatur; non Carolum scilicet, sed Henricum Borbonium, qui Magni cognomentum postea ex rerum gestarum gloria nactus est, verum ac legitimum fuisse hujus regni hæredem, ac Dominum; ut minime possit hic istorum error efficere quominus ii ex omni humano divinoque jure gravissimi criminis, rebellionisque nomine ac pœnis dignissimi, rei censeri, atque haberi debeant. Atqui hujus plane generis, imo etiam deterioris eorum est error, qui creatum aliquid pro Creatore habent atque adorant. Quid enim obsecro vel in Iove suo Pagani, vel in conflatili vitulo Israëlitæ reperiebant, quod utrumvis suaderet summum esse cœlorum conditorem, universique orbis rectorem ac Dominum Deum? Imo vero quid in utroque occurrebat, quod non confiteretur, testaretur, atque palam (ut sic dicam) vociferaretur nihil minus istos fuisse, quam ingens illud, optimum, maximumque numen, cujus illis nomen, cultumque & insignia amentissimi homines

extrema quadam, atque incredibili væsania perciti tribuebant? Collyridianæ vero mulieres quid tandem afferre, vel causari poterant, quominus id didicissent quod & recta hominum ratio, & sacra Dei Scriptura luculentissime utraque docet, Mariam scilicet non Deam, sed mulierem esse? Et qui Solem adorabant; quid causæ habuerunt cur eum Christum Dominum fuisse non dico crederent atque constituerent, sed vel levissime suspicarentur? Si unam pravitatem, insanumque studium demas nihil vel in rerum natura est, vel in Dei Scripturis, quod istos in errorem adeo absurdum ac ridiculum abducere potuerit. Horum itaque omnium voluntariam, & sponte potius quæsitam, quam ex ulla necessitate obortam fuisse ignorantiam liquet; quam scilicet non rerum obscuritas, sed unum hominum vitium induxit. Ex quo nunc videre est stulte eam ac frustra excusari; qua cultuum creaturis delatorum impietas adeo non purgatur, aut minuitur; ut ipse ille error, ipsaque illa rerum divinarum, quæ prætexitur, ignorantia unum sit ex istorum criminibus, judicandum olim suprema die; cum quærat Deus cur ea nescierint, quæ a se tam clare, tamque clementer erant omnibus mortalibus manifestata. Iam ergo, ut hæc tandem ad institutum nostrũ referantur, si Eucharistiæ substantia vere est panis (quod nos ex sensuum fide, ex rationis lumine, & ex Scripturæ testimonio firmissime credimus) diversa Latinorum opinatio hoc sacramentum

tum, non panem, sed Dominum Christum esse putantium, non profecto efficiet, ut consentaneum errori suo deferunt cultum is non vere sit creaturæ cultus, eo loco, & ordine dignus, quo divinæ litteræ ejusdem generis cultus censere atque habete solent. Si cum degeret Christus in terris, fuisset in Iudæa iisdem temporibus aliquis vultu, & voce & omnibus lineamentis corporis, Domini Iesu simillimus, sique hunc unus forte ex discipulis nactus Iesum esse ob formæ similitudinem putans adorasset imprudens, error venia (fateor) dignus, actioque ipsa criminis expers fuisset. Vel si fingamus Latinorum *oblatam* (ut vocant) modo a Sacerdote, etiam sine intentione, missificatam adorari impune posse; certe qui aliquam adhuc a pistoris ferro calentem, necdum ab ullo sacerdote tractatam, in altari tamen positam adorarit, neque is ut videtur, jure damnari posset, veluti impii cultus reus, quia scilicet non negligentia neque pravo aliquo animi studio in hunc errorem incidisset, sed innocenter ob summam ipsarum rerum inter se se similitudinem, atque paritatem, quæ efficit ne una ab altera discerni possit. Qui vero Eucharistiam Christum esse imaginantur; eamque pro Christo habent, eorum error omnis a studio est quo tenentur ipsorum animi, non ab ulla re, quæ extra mentem sit. Quid enim est obsecro inter duo illa usque adeo simile, ut horum unum nobis alterum videri possit? Imo quid in utroque est, quod alterum ab altero non secernat, ac dividat? quod nos,

 si vel

ſi vel leviter attendamus, non doceat, atque admoneat res eſſe diverſiſſimas, totoque (quod ajunt) cœlo, a ſe mutuo ſejunctas, ac diſparatas. Euchariſtia (Latinorum quidem certe, de qua quærimus) cruſtulum eſt rotundum, totum unius formæ, ſenſus omnis, motuſque expers. Chriſtus humano corpore præditus eſt, in membra diſtincto, ſenſibus inſtructo; & cæteris, quæ in noſtra natura ſunt, excellenter ornato. Euchariſtia cruſtulum eſt ex farina, in eam quam videmus formam, hodie vel nudius tertius piſtoris arte effictum. Chriſti corpus ſubſtantia eſt eximia, & omni creatura longe nobilior ac divinior ex ſanctiſſimæ Virginis carne ante annos mille & ſexcentos & quod excurrit, ab ipſo Dei Spiritu formata. Sacramentum manibus frangitur, dentibus conteritur, in ventriculo conſumitur. Chriſti natura immortalis eſt, & glorioſa & impaſſibilis. Cætera mitto. Huc accedit, quod & Apoſtoli docuerunt, & omnes Chriſtiani credunt atque confitentur Dominum in cœlis verſari, indeque ſuprema mundi die venturum, Chriſtuſque ipſe cavendum admonuit, ne eorum nos ſermonibus decipi pateremur, ſiqui dicerent, *Ecce, hic Chriſtus eſt, aut illic; Ecce in deſerto eſt; ecce in penetralibus;* quæ vel ſi nihil aliud eſſet, ſatis ſunt, ut eorum, qui Chriſtum in illo cruſtulo ineſſe atque deliteſcere ſibi fingunt, error omnis confutetur, & plane inexcuſabilis fiat. Quam enim iſti quærenti Chriſto ſui in re & per ſe clariſſima, & plurimis iiſque diſertiſſimis

Matth. 24. 23, 26.

ar-

argumentis ac testimoniis confirmatissima tam crassi erroris caussam, quem colorem afferre possunt? Hominibus quidem suum illud, *Hoc est corpus meum*, occinunt, seque ita satis tutos jactant; neque miror. Domino vero cordium scrutatori, in tanta rerum luce, non est credibile tam infirmam, tamque parum probabilem defensionem objecturos. Qui enim Paulum non semel 1.Cor.12
affirmantem *Ecclesiam esse Christi corpus* audi- 27. Eph.
verunt, neque sibi idcirco credendum aut 1.23.
statuendum putarunt *Ecclesiam transsubstantiari*; vel *creaturam esse desinere*, *Deumve fieri*; cur iis quæso ex eo, quod Eucharistia *Christi corpus esse* dicitur, argumentari licet Eucharistiam *transsubstantiari*, *Deumque summum ex pane fieri*? Si quod Ecclesia *corpus Christi* dicitur, eo tamen effici minime existimant, ut Ecclesiæ summus latriæ cultus deferri debeat; cur Eucharistiæ pari hanc adorationem necessario deferendam inde colligunt, quod ea itidem *corpus Christi* dicatur? Vel cur his verbis errorem de Eucharistia suum excusari, & adorationem quam ei tribuunt, purgari ac constitui volunt, qui illis negant ejus opinionem ac factum defendi posse, siquis sit qui propterea Ecclesiam & Deum esse putet, & latria uni Deo debita colat? Si hunc etiamsi Paulus dixerit, *Ecclesia est corpus Christi*, inexcusabiliter tamen peccaturum confitentur; cur iidem quæso, se ipsos excusabiles ideo futuros putant, quod Christus de pane dixerit, *Hoc est corpus meum*? Si hujus locutionis ratio Eucharistiam adorandam esse confi-

cit; eadem profecto conficiet petram, ex qua Moyses aquam in deserto elicuit, ipsam quoque adorari debuisse, quæ teste atque auctore Paulo, *Christus fuisse* dicitur. Erunt & corpora fidelium adoranda, quæ pariter idem quoque Paulus non dubitat affirmare *membra Christi esse.* Neque si hæc valent, caussa erit cur eos hæreticos damnemus, quos tradit Augustinus *Solem adorasse.* Nempe & Solis nomen Christo itidem in sacris litteris tribui scimus. Cum ergo negent Latini, siqui ita erraverint, eos ullum habituros in his Scripturæ locutionibus sui erroris præsidium, eosdem profecto confiteri necesse, neque sibi in his, verbis, quæ Christus eodem modo locutus est, *Hoc est corpus meum*, ullam esse idoneam rationem, cur Eucharistiæ, de qua ista dicta sunt, latriæ cultum putent esse tribuendum; Quod sane satis diserte confitentur nobilissimi eorum Theologi, dum scribunt Christi verba suam sententiam per se adeo non constituere, ut etiam concedant nihil prohibere, quo minus illa eo ipso, quem nos sequimur, sensu accipiantur, præter Ecclesiæ id est (ut ipsi quidem sentiunt, atque interpretantur) urbici Episcopi, & Concilii ab eo probati auctoritatem; cujus unius vi, atque imperio *transsubstantiatio*, unicum adorationis hostiæ fundamentum, ex iis verbis elicitur. Atque ex his patet præter cæcum & obstinatum Latinorum studium, nihil uspiam, vel in cœlis, vel in terris extare, nihil in hominum sensu, atque ratione, nihil in Dei litteris, atque arcanis reperiri, quod eos

1.Cor. 10.4.

Cajet. in 3.Thom. q.75.a.1.

non

non dico cogere, sed vel leviter impellere aut commovere debuerit, ut Eucharistiam quod omnis rerum natura confitetur ac docet, panem vere esse vel negarent, vel dubitarent; quo fit, ut quæ hic ab illis suæ culpæ, prætexitur veri ignoratio ea omnis voluntaria, ac sponte quæsita sit; omninoque hujusmodi, quam excusare non licet ad purgandum eum cultum, quē Eucharistię nulla plane alia de causâ tribuere deprehenduntur, quam quod ipsis ita de ea sentire atque existimare libuit. Neque hoc omiserim, hujus generis excuasationem nulli minus, quam huic loco convenire; quo de summa adoratione summoque cultu quæritur, id est eo actu quo nullus alius est in omni religione sanctior, aut magis eximius, atque singularis; quemque adeo nulli unquam deferre vel decet, vel licet, nisi ei uni quem certissime sciamus Deum ac Salvatorem nostrum esse. Non satis est id suspicari. Res certo tenenda est. Ut matrona non alium in conjugalem thorum admittit, quam quem conjugem suum esse certissime novit; Si de quo dubitat, eum nihilominus admiserit, liquet temeratæ fidei ream esse; Ita & nostra hic cum Deo ratio est. In summi cultus consortium nemo admittendus est, nisi quem nobis Deum vere esse constiterit. Atque hic non possum non laudare veteris cujusdam Monachi Ægyptii judicium, qui cum quædam veluti Christi species se ei offerret, atque objiceret intuendam, adeo eam non adoravit, ut ne aspicere quidem voluerit, sed

Apophthegmimon. Ægypt. l. 15. c. 7. T. 9. Bibl. Patr. p. 286.

clausis statim oculis, *Ego hic* (inquit) *Christum nolo videre, sed in illa vita*; ac si diceret Christum quamdiu in terris sumus, satis esse si spe ac fide amplectamur; non alibi quam in cœlis beatissimo ejus aspectu divinaque præsentia fruituri. Quid? non est veritus, ne Dominus, si is forte vere esset, hanc repulsam ad injuriam suam pertinere censeret? Nam probabile est, qui ei apparebat, Spiritum, Christi formam, ac lumen, orationemque sic imitatum esse, ut facile Christus ipse videri posset. Sed ille nihil istorum metuit; qui Christum probe nosse intelligeret hanc suam repulsam, non ab aliquo in ipsum vel odio vel contemptu, sed a justissimo metu proficisci, ne quod ejus unius esse sciebat, quodque ei uni integrum atque inviolatum servare cupiebat, id alii alicui imprudens tribueret; quod animi nostri consilium atque studium non potest Domino Christo non esse gratissimum. Eodem pertinet alterius de eodem genere Anachoretæ sapiens dictum, qui dæmoni-

Ibid. c. 71

bus an Christum videre vellet rogantibus, *Vobis quidem* (inquit) *anathema, & ei de quo dicitis. Ego vero meo Christo credo, dicenti, si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere.* Neque ab hac cautione

Ibid. c. 69

alienum est, quod iidem Ægyptii anachoretæ dixisse memorantur, *Vel si pro veritate, Angelus tibi appareat, non suscipias facile, sed humilia temetipsum dicens,* Non *sum dignus Angelum videre vivens in peccatis.* Ergo si vel aliqua esset ratio credendi Christum adesse præsentem inhibendus tamen animus, ne-

que

que ei legitima adoratio ante deferenda esset quam plane penitusque essemus de eo certi; quod hic longe sanctissimus atque religiosissimus cultus nulli temere unquam exhibendus est; & qui temere eum cuiquam defert, is gravissime peccat, seque parum reverenter religionem habere testatur. Atqui nihil adversariis in omni hoc negotio vel offertur, vel occurrit, quod non apertissime doceat Eucharistiam, non universi Dominum, sed panem esse. Ergo quod ipsis de eucharistiæ natura imaginari libuit, id multo etiam minus eo valet, ut cultus, qui hoc nomine sacramento tribuitur, ulla ratione constitui, aut excusari possit. Sed & aliud est quod secundo loco respondeo; nempe Romanorum de Eucharistię natura opinionem, etiamsi (quod non est) aliquam vim haberet ad eum cultum, qui ipsi ab illis tribuitur, vel defendendum, vel certe excusandum, in hac tamen disputatione frustra atque inutiliter afferri; in qua, non de Romanis qui Eucharistiam ipsum Dei Filium realiter ac personaliter esse credere se profitentur, sed de nobis quæritur, qui sacramenti hujus substantiam vere panem esse, certissime, constantissimeque & credimus Dei gratia, & confitemur. Neque sane est cur ea de re dubitemus, quam & sensus demonstrant, & ratio persuadet atque confirmat, & Scriptura postremo docet; qui tres omnino sunt certissimi, atque probatissimi, omniumque de quibuscumque scire, & cognoscere possumus, fontes. Horum trium, si vox & testimonium spernitur, nihil supererit in rebus,

bus, de quo certum aliquid ſentire aut affirmare queamus. Cum hæc itaque de Euchariſtiæ natura fides atque ſententia mentibus noſtris penitus inſederit; palam eſt nos quidem eam adorare non poſſe, quin quæcumque Dei præcepta de non adorandis creaturis extant, ea omnia turpiter violemus, morteſque & maledictiones incurramus, quaſcumque creaturarum cultoribus in omnibus Scripturis conſtitutas, graviſſimiſque atque atrociſſimis verbis ſancitas ſcimus. Aliorum conſcientias nunc mitto; neque enim in eo ſum, ut de eorum factis ſententiam feram; quos olim Deus judicaturus eſt; & quæ modo diximus ſatis ſunt, ut illi intelligant eſſe, quod de his ſerio tandem aliquando cogitent. De me loquor; qui quam meram creaturam eſſe certiſſime credo euchariſtiam, eam ſane hac fide & conſcientia adorare non poſſum quin ſimul & Dei leges proculcem, & pietatis fundamenta evertam. Ac etiamſi res per ſe aliter haberet, quam fert fides mea (quamquam hæc quidem tot, tantiſque & humanis & divinis firmamentis nixa, vana eſſe non poteſt) etiamſi euchariſtia (quod non eſt) Chriſtus Dominus realiter eſſet; conſtat tamen ſi eam hoc, quo ſum animo, ac ſenſu, adorarem, meum omnem illum cultum impium, atque idololatricum futurum; qui ſcilicet non Deo, cui uni debetur, ſed creaturę delatus eſſet, in Dei locum errore mentis meæ tranſlatæ, atque ſubſtitutæ. Itaque Arianos vetus Eccleſia idololatriæ conſtanter accuſavit, & cultum

quem

quem illi ſuo Chriſto divinum tribuebant, *idololatriam* & cenſuit, & vocavit, & quidem merito. Nam tametſi & ipſe Chriſtus Deus, æternus, Patri conſubſtantialis, mundi conditor, Eccleſiæque Redemptor, vere ſit; & cultus, quem qui hac fide ſunt, ei iſtis nominibus deferunt, verus quoque ſit, ac legitimus, in divinis Scripturis, non (quod abſit) vetitus, aut improbatus, ſed juſſus, ac luculentiſſimis verbis) præceptus, atque commendatus; tamen qui Chriſtum meram creaturam vel ante, vel poſt conſtitutum mundum, ex nihilo, perinde ac cætera, a Patre conditam, peſtilenti mentis errore putant, ii quoties huic ſummam adorationem exhibent, toties, ut liquet, ea creaturæ tribuunt, quæ ſunt unius Dei propria. Nempe divinum illum cultum; non Ieſu noſtro, vero ac æterno ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ Deo, ſed neſcio cui a ſe fictæ, & fabricatæ creaturæ deferunt; ut effugere non queant, quin graviſſimi illius criminis rei ſint, quod Dominum in Scripturis tam ſæpe, tamque vehementer abominari, ac damnare cernimus. Cum ergo & divinarum litterarum veritas, & veteris Eccleſiæ auctoritas, edicant nōn licere nobis ea, quæ creata fuiſſe credimus, adorare; & ſi fecerimus, manere nos eas pœnas teſtentur; quæ ſunt ſanctiſſimis legibus in eos decretæ, qui ereptam Deo gloriam ſuam in aliud tranſtulerint; certo ſtatuendum eſt neque Romanorum opinionem, neque quicquam aliud eſſe, quod nos ab his cœli fulminibus

atque

atque anathematis liberari possit, si Eucharistiam, quam vere panem esse, non ipsum (quod absit) Christum indubitato ac certissime credimus, eodem tamen cultu ac ritu cum Romanis (qui plane aliter de ea sentiunt) adoraverimus.

CAP. XII.

Graviter eos errare, qui se putant hostiæ Romanæ posse ea quæ ipsi a Latinis decreta sunt, solennia sic deferre, ut eam tamen minime adorent.

SEd erunt fortasse, qui concedant quidem Eucharistiam a nobis ita de ea sentientibus atque existimantibus adorari sine gravissimo crimine, mortalique in Deum peccato non posse; pugnent tamen iidem, ac contendant quæ huic sacramento solennia sunt a Romanis attributa, quæque ab illius communionis hominibus passim ac vulgo usurpantur, ea sic a nobis fieri ac præstari posse, ut ipsum tamen sacramentum (quod isti faciunt) minime adoremus. Qui enim Eucharistiæ sanctissimum sacramentum esse putatis ac confitemini, a Domino Christo in religione institutum, quæ vobis (inquiunt) religio est eam de geniculis sumere, omnemque illum cultum, atque adorationem, non sacramento ipsi, quod meram creaturam esse censetis, sed Christo ejus auctori deferri, quem orbis conditorem ac Dominum, omni cultu, omnique adora-

adoratione dignum, ut par eſt, creditis? Siquis apud vos adultus catechumenus baptizaretur an hunc ſi ſacramentum initiationis Chriſtianæ de geniculis ſuſceperit, aquam adoraſſe, putabitis? Non potius exiſtimabitis hanc honorificam corporis demiſſionem, atque inflexionem multo magis, quam ullam aliam, huic ſanctiſſimo ritui convenire ad ſignificandam animi noſtri in Dominum reverentiam, a quo ſacrum fœderis novi ſigillum, & adoptionem nunc accipimus? Ipſos vero Paſtores manus impoſitionem, qua ad ſacrum munus apud vos ordinantur, nonne de geniculis ſuſcipere ſolenne eſt, quos tamen credo, nemo ſuſpicatur vel ordinatores ſuos, vel certe, qua ordinantur, eorum manum adorare? Quid ergo eſt, quod vereamini Euchariſtiam ſumentes pariter quoque ingeniculari? quæ & ipſa æque cum baptiſmo ſacramentum eſt, ab eodem Domino, & ad ſimilem finem inſtitutum? non alio diſcrimine, quam quod hoc regeneramur, illa nutrimur? hoc in Eccleſiam ingredimur, illa in Eccleſia firmamur, & munimur? Quid hinc refugitis, quaſi metuendum ſit, ne in laqueum aliquem incidatis, & eorum, qui Euchariſtiam adorant crimine ac pœnis involvamini? Atque hæc illi hactenus; quæ confiteor quidem non ſine aliqua veri ſpecie dici, ut incautos etiam non paucos fallant, atque inducant, ſe ſe ad externos & ſolennes Romanorum in euchariſtia ritus inflectere, atque componere, animo interim eadem de rebus ipſis nobiſcum ſentire

ſe ac retinere dictitantes. Cæterum iſta quantumvis primo aſpectu infirmis blandiantur atque arrideant, tamen (ſi tractaveris) caſſa. futiliaque omnia eſſe facillime deprehendes. Quod ut demonſtrem, inprimis reſpondeo nos Dei gratia melius ac ſanctius in Chriſti ſchola fuiſſe inſtitutos, quam ut putemus aliquam eſſe religionem Euchariſtiam de geniculis ſumere. Ita ſumunt vicini in Anglia fratres; neque nos, ſiquando cum iis communicamus, eodem ritu ſumere piget; totaque res ita apud nos libera cenſetur, ut quamquam ſtantes ſacro epulo veſcamur ipſi, pro fratribus tamen & habeamus & colamus, etiam qui vel ſedentes, vel ingeniculati euchariſtiam accipiunt. Itaque ſi nihil a nobis aliud Latini poſtulaſſent, quam ut ſacramentum de geniculis ſimpliciter ſumeremus; fateor nullam nobis ab iis diſcedendi futuram fuiſſe cauſam ſatis idoneam; quando quod poſtularent, id hujuſmodi eſt quod a nobis integra atque illæſa conſcientia fieri poſſet. Sed non ita eſt profecto; & vel ſtupidos eſſe neceſſe eſt, qui nihil aliud Romanos a nobis poſtulare credunt, vel hypocritas, qui hoc ita ſe credere, cum aliud intelligant, prudentes ſimulant. Novit orbis univerſus hoc a nobis Romanos in primis petere, poſtulare, atque exigere, ut quod apud eorum aras, & in ſacerdotum manibus videmus id credamus vere, ac (ut loquuntur) realiter æternum Dei Filium eſſe; neque ullam aliam, quam ipſam ejus ſubſtantiam ſub iſtis, quæ ſenſus deprehendit accidentibus eſſe vel deliteſ-

liteſcere; Tum ut rem illam eandem ex hac præcepta de ejus natura opinione adoremus, ad eamque & corporis in genua incurvati, & animi tota cogitatione ſummiſſi inflexionem, atque humiliationem ita referamus,ut in eo veluti adorationis noſtræ centro omnis actus illius veneratio, omnis honos, cultuſque defigatur, ac conquieſcat. Adhæc quicumque de hujus vel ſententiæ veritate, vel adorationis ſanctitate minimum dubitant, eos Latini palam, & quidem exſertiſſime excommunicant. Hic tu mihi Synodorum decreta, atque canones lege; fidei expoſitiones evolve; miniſtrorum prædicationem auſculta; plebium religiones, & ſacros cultus inſpice; praxin denique omnium qui Romanam communionem ſequuntur, obſerva; duo iſta quæ dixi, ita luculente, atque multipliciter ubique inſcripta, inſculptaque, & adeo eminentibus expreſſionibus inciſa reperies, ut nullum fere extet aliud fidei Romanæ caput, vel clarius atque diſertius expoſitum, & explicatum; vel ſeverius rigidiuſque imperatum. Sacramentum, inquis, cum religioſa quādam reverentia ſumam; non tamen adorabo. Imo, etiam abs te adorari, inquit Romanus, volo ac jubeo. Ac ne adorationis ambiguo aliquam te occultare poſſe putes, venerationem ſumma inferiorem ex eo genere, quod etiam creaturis citra Creatoris injuriam deferre licet, *Latriæ* (inquit) *cultum qui vero Deo debetur, in veneratione Euchariſtiæ exhibeto.* Sit ita ſane, inquis. Sed hunc ego, quem a me exigis

Conc. Trid. ſeſſ. 3.

cultum, ipsi Domino qui in cœlis est, non dominici corporis sacramento, quod est in terris, deferam, atque destinabo. Non hæc, inquit ille, mihi mens est. Quem tu latriæ cultum, dum Eucharistiam sumis, exerces, hunc ego *huic* ipsi *sacramento* in veneratione *exhiberi* volo. Vide quam diligenter, quam accurate, quam anxie ac sollicite sensum hunc suum expresserit? quam caute obsepserit? quam religiose omnes a suo alienos excluserit? Si dixisset debere fideles Christum in sacramento adorare, tametsi quæ mens ejus esset, cætera, quæ docet, dubitare nos non sinerent; hæc tamen oratio ad eum sensum inflecti posse videretur, quo a nonnullis scriptoribus est usurpata, sic ut significet adorandum esse, dum Eucharistiam sumimus, Dominum Christum, cujus nos scilicet per Eucharistiam participes sumus: quo constituto liceret fortasse negare nos a Romanis ad creaturæ cultum cogi. Isti ergo, ut huic interpretationi viam præcluderent, aliis verbis consulto usi sunt, dicentes *illum latriæ cultum huic sanctissimo sacramento exhiberi.* Hic vero nullus superest dubitandi vel tergiversandi locus. Quid enim est, quod isti *sanctissimum hoc sacramentum* vocant? Christus-ne quatenus in cœlis versatur ad Patris dexteram constitutus? Minime gentium. Quid ergo est? Quasi vero non omnes intelligant nihil aliud istos *sanctissimi hujus sacramenti nomine* significare, nisi hoc unum, quod apud aras a sacerdote primum benedicitur, mox in ora fidelium immittitur,

im-

immiſſum denique ventriculo excipitur: Hoc ergo illud ipſum êſt cui tuam a te adorationem proprie dirigi ac deſtinari, ad quod & genuum inflexionem, & totius corporis abjectionem, & interiorem mentis cultum referri volunt. Si aliò reſpicis, ſi genu ob aliud aliquid inflectis, illi te anathema eſſe jubent, hęreticum ac perduellem, ira Dei, gehennæ pœnis dignum judicant. Ac ut demonſtrent non ejus, quæ in hoc myſterio celebratur, actionis ſanctitatem, ſed ejus proprie rei, quæ iſtic oſtendatur ac cernitur honorem a ſe reſpici, hanc (quod notum eſt) non modo in ſacra ipſa communione, ſed etiam extra eam, in viis ac plateis, ac ubicumque denique occurrit, ſubmiſſe ab omnibus obviis coli atque adorari imperant: quo argumento patet hanc eorum vere eſſe, quam ipſi eloquuntur mentem; nimirum ut eam rem, quæ ab ipſis conficitur, geſtatur, atque oſtendatur, pro ſummo omnium ac ſingulorum Deo habeamus, eique exinde omnes ſummo numini debitos honores, ac cultus exhibeamus. Si ergo rem iſtam ex animo credis meram eſſe creaturam; Deo & nobis aperte illudis, teque ipſum miſere falſis, qui ſic ſentiens idem tamen cauſaris te ea ipſa, quæ in hoc negotio exigunt Romani, facere ac præſtare poſſe, neque tamen id adorare, quod ex tua ſententia creatura eſt. Baptiſmum, cujus exemplum eſt in medium allatum ſuſcipere de geniculis fateor adultis citra crimen licere. Sed ſi te Eccleſia ad quam accederes, primo quidem juberet credere

quod in hoc ſacramento aquæ ſpecie videtur, id, non aquam eſſe, ſed ipſiſſimam Chriſti, cœlorum ac terræ creatoris *ſubſtantiam*; tum vero cogeret ipſi huic rei adorationem, ſive cultum latriæ exhibere, eoque fine atque animo in genua procumbere; ſi inquam ita ſe res habeat, nego te hujuſmodi mandato parere, & id quod juberis, exſequi poſſe, quin & conſcientiæ tuæ vim afferas, & ſanctiſſimam Dei legem impudenter violes, teque poſtremo ipſum vero idololatriæ crimine implices, atque involvas. Eadem eſt ratio & miniſtrorum qui apud nos per manus impoſitionem ordinantur, & fidelium qui ſive in Anglia ſive alibi euchariſtiam in genua procumbentes ſumunt. Si enim Eccleſiæ apud quas iſta fiunt, affirmarent illis quidem Paſtores, a quibus manu impoſita ordinabuntur, his vero ſacramenti, quas accepturi ſunt, particulas, vere ac ſubſtantialiter eſſe ſummum & æternum Deum; ſi eædem deinceps vel illos, vel has genibus in terra fixis adorari juberent; quis dubitat, quin noſtram fidem palam negaturi eſſent, ſi qui poſtquam ita docti ac juſſi fuiſſent, genua tali tempore ac loco flecterent? Sed apud Eccleſias noſtras nihil hujuſmodi docetur; Abſit. Nullam miniſtris divinitatem affingimus, quos meros homines, meraſque creaturas eſſe & ſentimus & profitemur; ut nulla ratione poſſit genu flexio, qua ordinandus fungitur, haberi; cum omnis Eccleſiarum noſtrarum doctrina atque profeſſio, non minus quam ipſa rerum quæ geruntur natura,

ra,

ra, ab hoc delirio plane, penitusque aliena sit. Ita & Ecclesia Anglicana palam agnoscit, diserteque docet; Eucharistiæ substantiam vere panem esse; itidemque eam negat adorari citra impietatem posse; ut quæ in eucharistiæ celebratione apud eam, usurpatur genu flexio; pro panis adoratione accipi non possit, neque aliud censeri nisi ipsius Christi in cœlis regnantis cultus. Si Romana Ecclesia pariter quoque senserit, publiceque docuerit Eucharistiam vere ac substantialiter panis creaturam esse, non autem aliquid latriæ cultu dignum; tum sane nulla nobis erit religio apud eam communicantibus genua ad Domini mensam flectere. Quandiu vero, quæ nunc docet, tenebit; quandiu genuflexionem illam, velut veram sacramenti adorationem exiget; manifestum est nos obsequi ac parere huic ejus mandato non posse, quin adoratæ creaturæ rei, propriæ conscientiæ judicio teneamur, ac damnemur; qui sacramentum, quod Romani jubent adorari, meram creaturam ex animo ac fide nostra censemus:

CAP. XIII.

Qui Eucharistiæ substantiam vere panem esse credit, eum quæ huic sacramento apud Romanos exhiberi solenne est, præstare non posse, quin perfidiæ, atque hypocriseos manifestus sit.

SEd jam iis quoque occurrendum est, qui aliter elabi conantur. Satis, inquiunt, novimus eam esse Romanorum mentem, ut hanc genuflexionem, & hanc cujus illa symbolum est, adorationem sacramento istic prostanti destinemus, atque dirigamus. Sed quid nos prohibebit mentem alio intendere? oculosque & corda, & affectus & cogitationes sursum habere, & in uno Christo apud Patrem supra cœlos sedentem defigere? Ita fiet, ut nos quidem una cum Romanis hominibus flexis genibus adoremus; sed aliud tamen quam illi adoremus; Nempe Christum, quem verum Deum esse confitemur, ex animo adorabimus; eucharistiam, quam meram creaturam esse scimus, absit ut adoremus. Sed hæc omnis istorum excusatio nihil aliud est, quam falsa, ac inanis, & quidem, quod multo gravius est, longe periculosissima, carnis cavillatio; quæ, si bene repures, hypocrisi & impietati latam portam aperit, & ipsis religionis fundamentis exitium ac stragem minatur; quod ut liquido intelligatur, rem paulo altius repetemus. Cum Deus

Deus opt. max. noster sit ex asse & Creator & Redemptor, id est cum non solos animos, sed & corpora, quibus constamus, & condiderit, & servarit; justissimum, omnique rationi atque æquitati consentaneum est, ut nos ei (quod sane a nobis merito postulat ac flagitat) non una naturæ nostræ patre, sed utraque hoc est & animo & corpore serviamus; *Glorificate Deum* (inquit Paulus) *in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Ac ut in iis, quæ ad proximos referuntur, sinceros nos esse jubet Deus. sic ut eos & interiori animi affectu diligamus, & opere exteriori ædificemus; ita & in pietate, quæ ad ipsum pertinet, animum & corpus una conjunctim adhibere nos præcipit. Ac ut eum odisset, qui proximum, quem corde amaret, eundem vel lingua, vel manu læderet, vel qui contra, cui eleemosyna nam manu daret, eidem animo malevellet; ita neque eum probare potest, qui se arcana quidem mente veneratur, ac colit, lingua vero blasphemat; vel qui e contra sibi cum ore benedicat, corde maledicit. Frustra vel hic animæ, vel ille corporis officia afferret, ad purganda alterius partis peccata. Ea enim est corporis cum spiritu conjunctio, ut quoties hic valet, suasque partes implet, illud officio suo deesse non possit. Itaque siquis sit, qui cum Deum vel proximum lingua proscindat, affirmet tamen se, quem sic lædit, vere & ex animo diligere, is profecto nobis illudit, aperte & inverecunde mentiens, dignus qui suæ non modo blasphemiæ, sed

1.Cor.6. 20.

etiam impudentiæ pœnas det. Ex his, quæ sunt apud omnes indubitata, nostri esse officii, quæcumque sunt, nobis a Deo de religione revelata, ea non modo in pectus admittere, & *corde*, quod est apud Paulum, *credere*, sed etiam ore profiteri. Altera itidem ex parte, quæ falsa atque impia, divinæque veritati contraria sunt, ea nos non modo non credere, sed neque profiteri, necesse est. Nam si satis est veritatis notitiam atque amórem corde retinere, si eam nonnunquam ore apud homines negare licet; nihil ergo peccavit Petrus, cum Dominum in ædibus summi sacerdotis negavit,(neque enim dubitandum est quin,quem lingua negabat, eum corde atque animò Dominum suum agnosceret.) Ergo nullum crimen erit Christum apud homines negare; Ergo neque necessaria erit oris in religione confessio. Hæc vero quam falsa sint omnes intelligunt. Nam & Petri factum in Evangelio diserte denotatur, apertissime reprehenditur; eumque etiamsi alia deessent, vel suę lacrymæ gravissime in Deum peccasse fatentur. Qui vero se apud homines negaverit, eum Dominus Christus disertissime ipse contestatur se olim apud Patrem cœlestem (hoc est suprema mundi die
Math. 10 in magno illo judicio) negaturum, id est ut
33. liquet, neque pro suo agniturum, neque cum suis beata immortalitate donaturum. Pauli denique est hæc apertissima, ac lucu-
Rom. 10, lentissima sententia; *Si confitearis in ore tuo*
9.10. *Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris; Corde*

de enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Vides, quo salvi esse possimus, exigi a nobis, non hoc modo, *ut in corde nostro credamus*, sed etiam illud *ut in ore nostro confiteamur.* Iam iisdem rationibus conficitur, erroris quoque atque impietatis, non modo opinionem & credulitatem, a corde nostro, sed etiam ab ore professionem abesse debere. Errorem enim profiteri cum impietate conjunctum (id est eum, qui pietatis, sive religionis fundamenta convellit) id clarissime est fidem negare. Ergo cum ex his æternæ maledictionis reus sit, qui errores, quos corde damnat atque abominatur, ore idem profitetur; liquidum certumque est quicumque Romanorum de suæ hostiæ adoratione dogma errorem esse, & quidem a pietatis fundamentis alienum, credunt, eos si hoc ipsum dogma ore profiteantur, & Christi præceptum violare, & in animas suas exitium, ac damnationem æternam accersere. Quis enim est vere Christianus, qui de Eucharistiæ sacramento interrogatus, an sit adorandum; si id meram creaturam esse firmissime crediderit, respondere tamen vel velit, vel audeat *adorandum videri*? quemque si vel metu, vel studio, vel alia perturbatione victus ita responderit, non statim gravis facti pœnitentia subeat? *Adorandum* vero id *Sacramentum* nemo clarius dicit, nemo disertius, vel vehementius pronuntiat, quam qui palam, non uno aut altero teste, sed coram toto populo, abjecto in terram corpore, Romanæ hostiæ eum ipsum externi cultus actum

 defert,

defert, qui eſt apud iſtos ſolennis, & quo hæc ſacramenti adoratio & ſignificatur, & cenſetur, & cônſtat. Adorandum (inquis) lingua non pronuntiavit. Primo vel hoc ipſum his quidem temporibus effugere difficile eſt; quod raros (imo vere, ni fallor, dixerim nullos) Romani ad ſuam communionem admittant, quos hæc & ore & manu, id eſt & viva voce & ſubſcriptione confiteri non cogant. Tum quid te juvat id non eſſe lingua confeſſum, quod toto (ut ſic dicam) corpore confeſſus es? Funeſtis enim ſacris intereſſe, genua venerabundum inflectere, alia cultus illius ſolennia factitare; etiam multo majus eſt, quam adorandam hoſtiam una lingua fateri. Quod animus clam & in arcano negat, atque refugit, id aperto totius corporis actu palam & in publico, confeſſus es. Nam, ne erres, *confiteri* in hoc negotio, eſt edito exteriori aliquo ſigno teſtari, te aliquid vel probare, vel reprobare, vel credere, vel falſum & iniquum exiſtimare; ſive id verbis, & voce fiat, ſive manu, & ſcripto, ſive nutu, ſive quocumque alio ſigno uſitato, & apud homines, noto. In vita quidem communi nemo eſt ita vel ſtultus, vel impudens, qui quę ſigno aliquo ſuæ mentis eſſe ſignificavit, ea ſe confeſſum ideo negandum putet, quod eadem quoq; non fuerit voce ac verbis teſtatus; veluti ſiquis eum cui *homagium* (ut loquuntur) præſtitit, ideo neget a ſe pro rei ſuæ domino agnitum; quod hoc fortaſſe voce & verbis non ſit teſtatus. Atqui ſolennes illi actus, quibus talia ſignificari, atque agno-

agnoscimos est, signa & sunt & censentur, non minus quam verba; imo etiam verbis aliquanto valentiora, atque efficaciora; ut qui iis utitur & mentem aperire, & quid sibi animi sit, significare, disertius atque sanctius videatur, quam si verbis egisset. Iam ante Romanam hostiam in genua procumbere, & ad nolæ ad sonitum caput aperire, & in terram corpus mittere, & die qui ei festus agitatur, publice procedere, & qua gestatur tectorum anteriora aulæis, & linteis velare, & alia hujus generis solennia, ea vero omnia totidem signa sunt, & quidem clara atque illustria, quibus homines significant & testantur hostiam illam suum esse summum numen, totidemque (ut sic dicam) *homagia*, quæ ei hoc nomine præstantur; ut apparet ex eorum mente ac voluntate; qui hæc in Ecclesia Romana vel primum instituerunt, vel nunc quotidie factitant. Qui ergo ante Romanam hostiam vel genua flectit, vel die ejus festo procedit, vel ad ipsius festi pompam suam domum exornat, is profecto se hostiam illam pro suo summo numine habere, censereque, non autem pro creatura, non minus clare diserteque testatur, significat, ac confitetur, quam si id ipsum voce ac lingua totidem verbis distincte enuntiaret.

CAP.

CAP. XIV.

Quisquis eos ritus, cultuſque uſurpaverit, ac factitarit, quos apud Romanos hoſtiæ deferri ſolenne eſt, eum hoc ipſo teſtari ac profiteri hoſtiam a ſe adorari, & pro Deo ſuo, vero & æterno, haberi.

NEque eſt, quod reſpondet, tametſi hæc iſtorum actuum vulgo ſit apud Romanos ſignificatio, ſe tamen eos longe alio ſenſu uſurpare; neque ſibi, dum hæc facit, mentem eſſe, ut illud ipſum teſtari atque exprimere velit, quod iſta ſolent apud ſuos ſignificare. Hæc vero reſponſio non modo vana & abſurda, ſed etiam, quod gravius eſt, periculoſa eſt, ea inducens ac conſtituens, quæ ſunt tum religioni, tum civili ſocietati funeſta atque pernicioſa. Quæ enim ſigna ad res ſive naturæ, ſive religionis ſignificandas ſunt ab hominibus inſtituta, ea ex communi ac publico uſu interpretanda ſunt, non ex arcana, privataque unius, atque alterius mente: plæraque fateor, per ſe & ex ſuo ingenio non hoc magis quam illud ſignificant; & ſi qua ſunt, quæ ad ea, quæ ſignificant, per ſe & tacito quodam ipſius naturæ nata referri videantur, eo tamen non ita neceſſario referuntur, quin ab initio ad aliud ſignificandum traduci potuerint. Verum poſtquam hæc ſemel communis hominum conſenſus, talium ut plurimum magiſter, certæ alicui ſignificationi dedi-

dedicavit, ac quomodo consecravit; isque consensus usu publico testatus est, & confirmatus; ea jam ad aliud significandum in communi vita usurpare, temeritatis profecto est, atque stultitiæ non ferendæ; neque qui id rursus fecerit, vel inepti, vel certe falsi ac mendacis hominis crimen apud æquos, cordatosque rerum judices effugiet; sic exempli caussa, quibus nunc verbis ad aperiendas, atque explicandas mentis cogitationes utimur, ea nullam per se naturaque sua vim habebant ad hoc potius, quam illud significandum. Tam enim potuisset *patris* vocabulum, vel lapidem, vel aquam, vel ignem, significare, quam quod nunc significat longe ab istis diversum; vicissimque ipsa illa *lapidis*, *aquæ*, *& ignis* nomina *patrem* non minus quam ea, quæ nunc significant, per se significare poterant. Et istis & cæteris ejusdem ordinis verbis, quamcumque in communi sermone habent significandi vim, eam non a natura datam, sed hominum voluntate attributam fuisse constat. Sed illa postquam publicus Latinorum usus his, quas nunc significant, rebus addixit, nemini Latine loquenti jus vel olim fuisse, vel nunc esse, ea aliter usurpare, & *patrem* verbi gratia pro *lapide*, vel *ignem* pro *patre* dicere. Iam eadem plane eorum quoque actuum, atque rituum ratio est, quos ex hominum voluntate, instituto, atque usu, vel in civili societate, vel in religione ad certum aliquid significandum adhiberi solenne est; ut est homagium ad ejus, cui fit, dominium testandum; ut est apud quas-

quaſdam gentes annulus & oſculum ad mulierem conjugio (ut ſic dicam) oppignerandam; ut erat olim ſervorum apud Hebręos aurem ſubula perforandam hero prębere, quo demonſtrarent ſe ei æternum ſervire velle; quamquam hic mos non hominum ſimpliciter, ſed Moyſi, ipſiuſque Dei voluntate fuerat inſtitutus. Ita hodie apud Romanos a Cardinalibus Conclavi incluſis in altari collocatur, atque adoratur, quem ſignificant ſe pro ſummo ſuo Pontifice agnoſcere; Ad eundem quoque cenſum pertinet genuflexio coram hoſtia; quo teſtantur ſe eam latria colere, proque ſummo ſuo numine habere. Itaque hæc & alia ejuſdem generis infinita fateor equidem per ſe, & a prima rerum ipſarum origine, non hæc pro quibus nunc accipiuntur, magis, quam alia longe diverſa ſignificaſſe, & ſi ſic libuiſſet inſtitutionum auctoribus, potuiſſe ad alium ſenſum atque uſum transferri. Sed poſtquam & inſtitutorum voluntate, & communi ac publico hominum uſu earum rerum propria facta ſunt, quibus nunc ſignificandis adhiberi ſolent; nemini privato licet aliter ea uſurpare, quam fert communis eorum, apud quos in uſu ſunt, ſenſus. Ac ut ſiquis Latine loquens dicat *ſe credere atque confiteri Papam Romanum Eccleſiæ Chriſtianæ caput & Monarcham eſſe*, omnino eum ipſum ſenſum clariſſime atque diſertiſſime expreſſiſſe intelligitur, qui his verbis apud Latini ſermonis homines ſignificari ſolet, ut ſiquid ipſe aliter de Papa Romano re vera ſentiat, non poſſit qui ſic locutus fuerit,

rit, non haberi vel ſtultus, vel certe mendax; ad eundem quoque modum, ſiquis coram Romana hoſtia in genua procubuerit, vel ad diem ejus feſtum de Latinorum more proceſſerit, vel domus ſuæ parietes ad eam excipiendam aulæis & tapetibus ornaverit; is inquam quodam ſermonis genere, diverſo quidem a ſuperiori, non tamen obſcuriori, neque minus diſerto, ſignificavit ſe hoſtiam illam pro ſuo Deo, vero & æterno rerum conditore, hominumque Redemptore habere, atque adorare. Quod ſi alius eſt viri de his ſenſus, ſi alia in animo ſubeſt fides; omnino neceſſe eſt fateri iſtum, qui aliud ſentiens ſic tamen ſe geſſerit, aut emota ac perturbata mente fuiſſe, aut certe ſplendide atque inſigniter mentitum eſſe; dum externis corporis ſui actibus id ſe credere, atque ſentire palam ſignificavit, ac (ut ſic dicam) juravit, a quo tamen interea vehementer abhorrebat ejus mens, atque animus. Ac ut prioris impudentia omnium ſibilis & cachinnis digna eſſet, ſi mendacii accuſatus reſponderet ſe, cum *Papæ Romani* monachiam confeſſus eſt, ſignificare voluiſſe non urbis Romæ Epiſcopum (qui communis & publicus eſt illorum verborum ſenſus) ſed alium quemdam nempe Chriſtum Ieſum; ita neque hujus poſterioris cavillatio ferenda eſt, qui ut hanc corporis ſui ab animo diverſitatem crimine purget, cauſatur ſe ante hoſtiam genu cum Romanis flexiſſe & alia hujus generis ſolennia feciſſe, non quo ſignificaret

ſe

se hostiam adorare, & pro numine habere (quæ horum actuum communis est & recepta apud Romanos significatio) sed ut testaretur se Christum in cœlis sedentem colere atque adorare. Quod si frigidis istis cavillationibus locum damus, ut unicuique signa publica pro privata libidine pervertere, & ab eo sensu, quem illis communis hominum ac gentium usus imposuit, ad alium nescioquem transferre; actum est de publicis, & domesticis, civilibusque ac religiosis societatibus. Omnia miscebit, ac velut in antiquum chaos convolvet atque complicabit nova ista Satanæ μεθοδεία. Nulla constabit apud homines fides; nulla erunt certa fœdera; nulla vel publicorum, vel privatorum contractuum securitas. Nam si verborum nulla certa ac stata significatio est; si iis, pro sua cuique re, ac novos libidine sensus affingere licet, & prȩter publicum usum loqui; una quoque pessumibit omnis, & promissionum ac contractuum fides, & jurisjurandi religio; qua utraque nescio an quicquam sit ad constituendam ac fovendam hominum societatem utilius ac salutarius. Ita fidem quam quis mulieri dederit se *eam sponsam* accepturum, licebit frangere, caussanti se *sponsæ* nomine, non id, quod hoc verbum in usu communi significat, sed *concubinam* dixisse, atque intellexisse. Et qui apud judicem juratus aliquem a reo *occisum* non fuisse testatus fuerit, a quo vere occisus sit, negabit se perjurii teneri, quod *occisum* quem negavit, eum præter vulgarem verbi sensum, *servatum* negare voluerit;

CAP. XVI.

Martyrum judicium, divinamque constantiam non obscure ab iis sugillari, qui putant licere falsæ, & a conscientiæ nostræ sensu alienæ religionis sacra, cærimoniasque, & ritus usurpare.

SEd huic uni Naamanis exemplo, quod & ex veteris testamenti temporibus repetitur, & perperam sine ratione objicitur, nos omnium sanctorum, qui sub utroque fœdere floruerunt, fidem, praxinque perpetuam merito, & cum ratione opponimus. His enim constat summam semper religionem fuisse, non modo errores veræ pietati contrarios lingua, aut voce confiteri, sed etiam actuum & rituum, qui eo ab erroris Patronis atque cultoribus referrentur, aliquem apud eas exercere, vel usurpare. Nempe ita judicabant viri sapientissimi, apostatas, & fidei desertores non minus esse censendos, qui eam falso, & impio, illegitimoque cultu incestassent, quam qui diserta erroris professione negassent. Quod nisi hanc sententiam Hebræi illi apud Babylonem adolescentes animo penitus perceptam, infixamque habuissent, nunquam profecto Regis potentissimi, patroni ac domini sui optime meriti iram atque odium provocare, fortunisque & honoribus omnibus spoliari, ac in fornacem denique mitti, & flammis, acerbissimo & ignominiosissimo Dan.3.

H suppli-

ſupplicio,abſumi maluiſſent, quam auream Principis effigiem in terram procumbentes adorare. Facile iis erat ſe tanto diſcrimini ſubducere, ſi id quidem quod erat a Rege imperatum, ſed alio animo, & alio, quam imperatum erat,ſenſu feciſſent;adorationemque ſuam, non ſtatuæ, ſed Deo creatori mente deſtinaſſent,ac detuliſſent.Sed generoſiſſimi adoleſcentes de turpi & illiberali techna ne cogitarunt quidem;animoque ſua pietate digno, miſſa omni tergiverſatione, atque deliberatione, ſtatim fortiter atque intrepide negarunt ſe ſtatuam adoraturos;
Dan.13. 18. *Notum tibi ſit*, *Rex* (inquiunt) *quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus*. Intelligebant ſcilicet,cum quæ exigebatur adoratio, pro religioſiſſimi cultus, & ejus, qui numini debetur, honoris ſymbolo vulgo haberetur, & ab omnibus acciperetur, ſe ſtatuam illam inanimem adorare non poſſe, niſi per idololatriam, atque perfidiam, & graviſſime in Deum peccarent, & proximos immani ſcandalo implicarent. Eadem eſt excellentiſſimotum, atque illuſtriſſimorum virorum ratio, qui a Chriſto manifeſtato ad hæc uſque tempora magna virtute ac gloria, neque exiguo numero, cœleſtem Domini veritatem ſuo ſanguine obſignarunt. Nam ſi fas eſſet virum bonum & pium ſic hominibus illudere, impioſque & ſuperſtitioſos ritus impune exercere, ſi modo arcana animi ſui cogitatione ad Deum Creatorem referat,quæ cæteri mortales creaturis conſecrarunt;quid obſecro, cauſæ fuit cur ſanctiſſimi ac beatiſſimi Domi-

Domini testes se se tot tantisque certaminibus objicerent? Quæ erat religio paucula thuris grana præsente ac jubente Principe in ardentem acerram mittere? Cur non mittebant, sed ea (quod facile fuit) mente, non ut idolo, cum cæteris, sed ut Deo Creatori adolerent? vel certe, ut Principi qui aderat, non ingratum odorem incenderent? Si potuit hæc argutiola efficere, ut hic actus vel laudē mereretur, vel crimine certe vacaret; quis iste, fuit maximorum virorum tantus, ac tā incredibilis stupor, ut iis tali tempore res tam facilis, tamq; obvia non venerit in mentem? Planum est omnem sanctissimorum Martyrum virtutem, si his sophistis credimus, nihil aliud fuisse, quam stultam & puerilem pertinaciam. Quis enim eos vel pueros & quidem tardos atque hebetes fuisse non censeat, si stropham tam obviam non viderunt, sed certe stultos, si eā cum intelligerent, tam necessario tempore contemnendā putarunt, fortunasq; omnes suas, & quicquid est in vita dulce, vel carum, ac vitā deniq; ipsam profundere & perdere maluerunt, quam id facere, quod homines quidem vehementer flagitarent, Deus vere non vetaret? Sed præter manifestam stultitiam (siquidē vera sunt, quæ isti narrant) etiam grave fuit Martyrum crimen, quod sibi, suisque rebus tam male consuluerint. Sanguinem enim & vitam sponte & gratis, nulla causa necessaria profundere, ac veluti abjicere, id insigniter in Deum peccare est, qui cum nos vitam proximi violare vetet, nostram nobis multo magis commendat; quiq; cum iis, qui mor-

tem aliis quocumque modo machinati sint, infensus infestusque sit, qui eam sibi ipsis conciverunt eos multo magis odisse putandus est. En quo Martyrum, id est hominum ex omni piorum genere sanctissimorum, ac laudatissimorum gloria, si istos audimus, recidat! Sed prohibeat a nobis Deus impias, & ingratas mentes, ut quos viros omnis Christianorum memoria magnis semper laudibus in cœlum extulit, eorum nos nomen turpissimæ infamiæ labe commaculare audeamus; & qui longe sapientissimi, atque optimi fuerunt, iis stultitiæ, atque immanitatis crimen per summum scelus imponere studeamus, in gratiam timidorem nescioquot hominum, qui quod Evangelicam veritatem, quam in abdito pectoris oppressam, ac conclusam tenent, palam ac publice efferre, atque profiteri præ animi angustia non sustineant, ne sua hæc ignavia pro merito damnetur, vellent quorum ipsi dissimillimi sunt, eorum fortitudinem pro temeritate haberi, ac traduci. Illi vero ab omni temeritate procul abfuerunt, recteque ac sapienter judicarunt, qui se, nisi ultima hæc Dei nutu ac lege oblata discrimina pro Christi nomine atque confessione adirent, neque susceptas Christiani hominis partes implere, neque eam vel infamiam, vel pœnam effugere posse existimarunt, qua digni sunt omnes sanctissimæ disciplinæ desertores.

CAP.

CAP. XVII.

Hanc istorum in pietatis negotio simulationem esse a Domino in Scripturis sacris damnatam.

SUmmus enim ille Deus, a cujus uno judicio omnis hæc causa pendet, futiles argutias contemnit; neque inanes carnis strophas, quæsitosque timidorum hominum colores moratur; qui omni hac minuta, frivolaq; subtilitate id unum student, ut ignaviæ suæ dedecus utcumque obumbrent. Deus vero ut bona fide nobiscum agit; ita neque pro suis agnoscit, nisi qui pariter bona secum fide, simpliciterque ac rotunde, sine dolo ac fraude, agunt. Ille versutos istos, qui inter Christum ac mundum ambigui fallere, & animi vitium ingenio fucare, ac tegere se posse sperant, *in astutia eorum* (quod ipse profitetur) indubie *comprehendet*. Hos enim apud eos dimittet, quorum in partibus hæserunt; quorum sacra, & ritus, etiam repugnante conscientiæ sensu, sectari ac profiteri, quam Christi opprobrium perferre maluerunt. Olim apud Israëlem, cum Achasi, & Jesabelis furore immissa in religionem idololatria longe, lateque grassaretur, non est dubitandum, quin multi tyranni persecutione ac minis fracti genua ante Baal non sponte, sed inviti curvarent, illaque ipsa idola quæ prostrato in terram corpore victi metu venerabantur, in cordis arcano interim devoverent, ac detestarentur. Ne tum quidem defuisse crediderim, quorum animos hæc quoque cogitatio solaretur se ab idolo-

latrię & crimine & pœna immunes futuros, qui suas scilicet mentes castas, ac illibatas Deo servarent, eique uni omnem cultum atque adorationem, interiori quidem certe animi voto destinarent ac deferrent. Atqui etiam hos Deus, spreta omni ista carnis sibi ipsi blandientis causificatione, ex servorum suorum numero excludit, neminem hoc nomine censens, nisi qui nunquam ante idola procubuisset; *Reliqui mihi* (inquit) *in Israël septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Ergo cæteros, qui genua ante Baalis simulacrum curvaverant, Dominus pro idololatris, ac perfidis, & a sua communione alienis desertoribus habuit. Multis antea temporibus, cum esset factus in eremo vitulus aureus, non est credibile Israëlitas usque adeo crassos, ac væcordes fuisse, ut quam ipsi & quidem ipso illo die conflari viderant, pecudis effigiem, eam vere esse putarent summum illum Deum, a quo nuper ex Ægypto educti, ac liberati fuerant. Clamant omnes narrationis circumstantiæ hanc eorum de aureo illo simulacro mentem, atque opinionem fuisse, ut id pro visibili quodam numinis symbolo esset, eodem apud se loco ac numero, quo Moyses (quem periisse putabant) paulo ante fuerat, cæterum sic, ut ad Deum referrentur, ejusque proprie ac potissimum essent quicumque huic simulacro exhiberentur honores. Sed quod hi jam tum cultus ubique terrarum, maxime vero in ea, unde exibant, Ægypto, idololatriæ solennes, ejusque veluti propria quædam insignia essent, Deus Israëlitas, insuper habitis,

Rom. 11. 4. ex 2. Reg. (Lat. 4.) 19. 18.

Exod. 32

quæ

quæ de mente atque consilio in his caussari poterant, tanquam veros germanosque idololatras, & habuit, & vero punivit; quo nomine Paulus quoq; eorum crimen notavit, ac definivit, ubi de ipsis verba faciens; *Neq; idololatræ* (inquit) *efficiamini, sicut quidam ex illis.* 1. Cor. 10. 7.
Quo etiam loco divinus ille Apostolus adeo non concedit nobis, ut aliquid eorum usurpemus, aut exerceamus, quæ superstitiosis solennia sunt, ad testandam suam in ea, quæ colunt, reverentiam atque religionem, adeo inquam ab eo abest, ut etiam Corinthios exserte vetet eorum animalium carnibus vesci, quæ idolis immolata fuisse noverint; 1. Cor. 10. 11. & si vescantur, non dubitet pronuntiare dæmoniorum participes, a Christo vero sanctaque ejus mensa alienos fore. 20. 21. An ergo Christianis, dũ talibus vescerentur, animus erat vel dæmonia, vel idola colere? Nihil minus. His perinde ut aliis, siqui appositi essent, cibis eo simpliciter utebantur, ut corpora reficerent. Sed quod hujusmodi cibos idololatræ sacros, & ex altarium suorum contactu quodammodo sanctificatos censerent, & quod iis in conviviis vesci passim ab omnibus ita acciperetur, ut qui vescerentur eo ipso testari, significareque crederentur se vel idola, & dæmonia, quibus oblati erant, venerari, vel certe purum, atque innoxium censere cultum, in quo essent adhibiti; ideo vult Apostolus Christianos iis abstinere, neq; una cum idololatris vesci. At (inquis) non eo animo vescor, ut iis sanctificer. Cogitationes, laudes, benedictionesq; meas, non ut Pagani idolis, ex quorum altaribus carnes istę dere-

ptæ ſunt,ſed uni Deo Creatori, ac Servatori noſtro,deſtinabo ac dicabo. Cave tibi, inquit Apoſtolus. Nolo enim te participem eſſe dęmoniorum. Scio idolum nihil eſſe in mundo, Scio tibi eo loco ac numero eſſe,quo eſſe decet. Sed ut recte de idolo ſenſeris, quæ tamen ſunt Paganis in ejus honorem ac cultum ſolennia, ea tu exercere vel uſurpare non potes, quin contamineris, & Domini menſa ac calice indignus fias. Atque hanc diſputationem Paulus ſic ingreditur, ut in ipſo ſtatim limine (quod eſt diligenter obſervandum) his ad fideles verbis præfandum putaverit; *Propter quod cariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura.* Clare ſignificat idolorum *culturæ* reos eſſe, qui aliquem eorum actuum exercerent, quos ſolennis idololatrarum mos erat uſurpare ad teſtandam ſuam in idola religionem. Jam cogita, quid iſtis exſpectandum fuerit, niſi diem Domini vera pœnitentia anteverterent. Conſtat enim nullum eſſe hominum peccatum, cui gravior & atrocior pœna ſit apud Dei Scripturas conſtituta, quam idololatriæ. Sed ne eo ſibi blandiantur, quod ſe idololatras negent (tametſi id quidem, ut ex Paulo apparet, falſo negent) ecce ut iis eadem Scriptura eandem damnationem alio quoque nomine denuntiet, quod ipſis adeo clare, proprieque convenit, ut id inficiari, ne ſi velint quidem, poſſint. *Timidis* (inquit) *& incredulis,*
Apoc. 21 8. *& exſecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.* Cogitent quæſo,

qui-

quinam timidi isti sint, quos hic vident una cum deterrimis, ac sceleratissimis peccatoribus in æterna gehennæ supplicia præcipitari: Ego quidem non intelligo, quis hujus loci possit esse sensus, nisi *timidorum* nomine eos significari statuamus, qui mundi odium ac sævitiam timentes, vitæ suæ exteriora, id est os & linguam & corpotis actus ita componunt, ut se se probare atque suscipere eos ritus, cultusque simulent, quos apud se tamen & interioris conscientiæ judicio agnoscunt ac sentiunt impios ac perniciosos esse. Constat inprimis non id hominum genus hic a Spiritu Sancto notari, qui apud sæculum *timidi* vocantur; id est qui in discriminibus bellicis parum forti sunt animo. Neque enim Scripturæ inter ea, quæ nobis sunt ad cœlestem hereditatem adeundam necessaria fortitudinem illam militarem, & animi in acie imperterriti vim recensent, quæ ab hominibus hujus sæculi plurimi fieri solet. Sed neque eos Spiritus hic intelligit, qui errorem palam sectantur, & creaturas aperte, atque ex animo ita colunt, ut nihil in hoc genere exterius faciant, quod non interius quoque probent ac velint. Non enim hi (quod sciam) timidi usquam dicuntur. Qui sunt hujusmodi, eos vero proprioque nomine idololatras statim vocat. Neque sane hypocritas significat, qui veritatem Evangelicam, quam verbis palam profitentur, operibus negant, turpem & sceleratem vitam sub decora hac larva agentes. His non *timidorum*, ut liquet, sed *mendacium*, quod mox sequitur, nomen ad amussim congruit.

Neque vero hoc *timidorum* vocabulo profanos, & atheos homines, apertosque ac manifestos peccatores significari dixeris. Quis enim huic generi, *timidorum* nomen unquam dedit? Qui-nam ergo sunt isti tandem infœlices *timidi*, in prima damnatorum acie ante cæteros omnes gehennæ hæredes locati? Profecto reliquis expunctis soli supersunt, qui hoc nomine venire possint, illi ipsi, de quibus jam disputamus; scilicet aliquo carnis metu victi, vel quam corde vident veritatem, ore palam apud homines non audent profiteri, vel quem corde cernunt atque oderunt errorem, palam tamen apud homines profitentur, aut certe profiteri se simulant. Fuit ergo Christianorum Martyrum summa, non quod isti *timidi* mentiuntur, imprudentia, sed sapientia; quod mortem & cruciatus acerbissimos pati maluerunt, quam veros animi sui vel de pietate, vel de errore sensus vafre dissimulare & occultare. Fuit eorum in se ipsos, non (quod iidem frustra objectant) crudelis aut immanis, sed humanus & amantissimus animus, qui satius esse judicavit vitam ipsam profundere, quam aliqua cultuum Paganicorum superstitione pollui; Prudenter hæc isti inquam, & plane amice ac benevole statuerunt, non minus quam fortiter; scilicet nisi ita statuerent, multo omnibus mortibus atque suppliciis diriores gehennæ cruciatus effugere non poterant *timidis* irrevocabiliter a Deo constitutos. Neque si bene reputes, ullos esse reperies nostris istis suo judicio calli-

callidis, atque astutis versipellibus vel stultiores, vel etiam in se ipsos crudeliores, qui impios cultus & profiteri & exercere se simulant, ut mundi pace fruantur; piorum libertatem ac communionem subdole refugiunt, ne persecutionem cum Christi Ecclesia patiantur. Ut enim viri prudentis est minus bonum vel abjicere, vel spernere quo majus vel quærere, vel tueri possit; ac ut ejus est, qui se ipsum vere amat, malum modicum. ut verbi gratia chirurgici scalpelli ictum, vel cauterii, aut mordacis alicujus pulveris molestiam ferre, quo vitam a letali morbo eripere possit; ita & stultitiæ ultimæ est, bonum ut modicum retineas, summum amittere; & crudelitatis, atque immanitatis extremæ perire in æternum malle, quam leve ac breve seu incommodum, seu detrimentum perferre.

CAP. XVIII.

Illa in pietatis negotio simulatione gravissime & in Dominum Deum, & in homines, id est proximos nostros peccari.

SEd nequis hoc Dei in timidos judicium nimiæ severitatis accuset, age quantum ac quam grave sit eorum crimen breviter expendamus. Ille quidem primo turpissimi mendacii ita manifesti sunt, ut nulla ratione purgari, vel ex-

excusari possint. Suis enim actibus ea se credere, ac sentire profitentur, quæ tamen re vera minime credunt aut sentiunt. Qui verbi gratia ante hostiam Romanam flexis genibus procumbit, is palam fatetur, claraque veluti voce clamat, eam se numen adoratione dignum censere; quæ est illius actus in communi, vulgarique eorum hominum usu significatio, apud quos iste versatur. Idem tamen clam in aurem nobis affirmat se nihil dubitare, quin hostia mera creatura sit, & quidem animæ, sensusque omnis expers, nihil denique minus, quam Deus. Quis non hic animadvertit hujus hominis linguam cum ejusdem animo vehementer pugnare, corporisque actum cordis sensui turpiter adversari? Ac tametsi & Deo summopere invisum, & bono ac ingenuo viro indignissimum per se sit quodvis mendacium, hoc tamen præ cæteris omnibus insigniter turpe est, illiberaleque & horrendum. Cum enim de re gravi multo sit turpius mentiri, quam de levi & ludicra; quid flagitiosius ac scelestius eo homine fingi potest, qui de religione ipsa, qua nihil est in rebus humanis gravius, ac sanctius, palam mentitur, & quidem in eo actu, quo nullus habetur in ipsa religione augustior, ac venerabilior; in quo scilicet id agitur, ut summo numini summus cultus exhibeatur? Iste vero, ut vides, & summam inprimis Dei Opt: Max: majestatem sanctissime in suis litteris testantis nihil se æque odisse ac animam mendacem, & Angelorum, qui actuum nostrorum testes ac spectatores

sunt,

ſunt, ſanctitatem, & hominum, qui natura nobis ſunt conjunctiſſimi, dignitatem contemnit, ac pro nihilo ducit; quibus ſcilicet præſentibus id confiteri, atque affirmare non veretur, quod ab animi ſui ſententia plane eſt alienum; nempe ſe pro ſuo creatore ac Redemptore id ipſum habere atque agnoſcere, quod tamen re vera credit ab hac dignitate multo longius quam terram a cœlo abeſſe. Etiam perditiſſimi homines nonnunquam erubeſcunt, & graves conſcientiæ morſus experiuntur, ſiquando apud judicum tribunalia animi cupiditate victi ſuos eſſe jurarunt, qui alterius erant, boves. Nempe cum animo recurſat, & Senatus majeſtas, & conſeſſus dignitas, & loci ipſius ſanctitas, tum manus ad cœlum elata, & lingua totius perjurii miniſtra, hæ cognittiones ſurdo verbere perjurorum impudentiam frangunt, pœnaſque violatæ veritatis ab iis exigunt; adeo penitus præcordiis noſtris ab ipſa natura infixus hæret mendacii horror. Tibi ergo poſt perjurium longe omnium ſceleſtiſſimum; atque impudentiſſimum, quid nunc animi eſſe debet? Tu non in paucorum Senatorum conſeſſu, ſed in frequentiſſima totius Eccleſiæ concione, ſub ipſius Dei oculis, præſentibus atque inſpectantibus Angelis, mentitus es de re non levi, ſed omnium graviſſima, quæ ad vitam pertinet, non hanc fluxam & evanidam, ſed illam immortalem, & æternam; ac de ea quidem ita mentitus es, ut quod cum animi tui ſenſu pugnat id affirmaris, non obſcure, tacito quodam linguæ murmure in funeſtas voces

ægre

ægre erumpentis. ſed clare ac diſerte, apertiſſimo totius corporis geſtu, & eo denique adhibito ritu quo nullus alius eſt in omni civium tuorum religione luculentior, aut ſanctior. Tunc poſt tantum ſcelus lucem aſpicere, & oculos in cœlum tollere audes? Non te mens, non conſcientia, non anima pungit, aut vulnerat? non ulciſcitur veri, quos cœlitus ſibi inſculptos gerebat, ſenſus, per vim nefariam compreſſos, atque violatos? Illa vero ſi in te hæc infanda auſum non ſævit, ſi parcit, ſi ceſſat, atque feriatur, haud dubie & ipſa quoque periit, tuo una tecum ſcelere profligata, ac exſtincta. Sed præter mendacii fœdum per ſe atque atrox crimen, id inſuper hujus generis peccatis ineſt, quod iis ſummum Dei in nos jus contumelioſiſſime proditur, ac violatur, & quæ ipſi a nobis hoc nomine debetur reverentia, ea indigniſſime proculcatur. Quid enim quæſo civis in Principis ſui dignitatem gravius committere poſſit, quam ſi nomen, honoremque ejus unius proprium in alium aliquem tranſcribere ſe palam teſtetur, atque profiteatur? Non jam quæro, quis ejus ſit, qui hoc profitetur, animus. Si rectum probum (quod tamen difficile eſt) fuiſſe conceſſero; ne ſic quidem nocens non erit. In hoc enim genere ad crimen ſatis eſt, vel verbis, vel etiam nutu defectionem ſimulaſſe, & præ ſe tuliſſe; quod poteſtatum ſummarum majeſtas ita ſit ſacroſancta, ut eam ulla ratione minui, vel violari, vel etiam leviſſime perſtringi ſit nefas, quocumque id, qui audent, animo ſe feciſſe cauſentur. Jam

vero

vero iis rebus, quarum tu naturam divinam esse non putas, cultus deferre, qui his eo ipso nomine ac titulo a civibus tuis vulgo ex communi quodam publicoque usu decreti sunt, id inquam, est clara voce testari te alii, quam Deo, tribuere honorem, qui ejus unius est. Itaque ut exemplum ex hac ipsa causa petatur, qui ante Romanam hostiam vel genua venerabundus flectit, vel domum tapetibus, atque aulæis exornat, is profitetur ac testatur se illi Dei nomen, atque cultum tribuere. Non jam ajo te hostiam adorare; Etiam concedo, imo statuo, mentem tuam ita de ea judicare, ut meram creaturam esse & norit, & credat, & ad Deum unum cultus, sensusque suos referat. Sed utcumque se mens tua in arcano pectoris habeat, tu certe dum corpus ante hostiam illam venerabundus abjicis, hoc ipso testaris, profiteris, ac præ te fers, eam te pro Deo tuo habere ac censere. Nonne nunc vides, quanti sit criminis tam impium, tamque horrendum scelus, non dico committere, ac patrare, sed vel præ se ferre? Neque verò est, quod eo confugias, ut neges hoc præ se ferre, qui ante hostiam venerabundus procumbit; Supra enim est a nobis abunde demonstratum, hanc & hujus, & aliorum ejusdem ordinis actuum, veram, claram, ac propriam esse significationem, neque eos aliter vel usurpari, vel intelligi, aut accipi posse, nisi omnium, quæ sunt in humano genere, vel civilium, vel religiosarum societatum leges, jura, atque vincula solvantur & con-
vel-

vellantur. Denique ad hæc & illud accedit, quod non in Deum modo, sed præterea etiam in homines gravissime peccare deprehenduntur, quicumque solennes hujus generis cultus, ritusque præter animi sui sensum ac fidem factitant, vel eorum sunt aliquo modo participes. Primo enim constat hominem fallere, aut ei illudere, præsertim vero in re gravi, nefas esse; idque siquis ausus fuerit, hunc sanctas & æternas illius caritatis leges violare, quam homines hominibus, omnes omnibus, mutuo debemus; tum ob Dei imaginem, quæ in omni rationali creatura insculpta cernitur, tum ob hanc ipsam naturam, quæ nobis est cum cæteris omnibus communis. Iam vero nemo homines turpius fallit, nemo iis illudit splendidius, quam is, qui cum se fingat ac simulet, & id ipsum, quod illi colunt, adorare, & quos solennes exercent cultus, veros ac salutares censere, alia tamen omnia habet in animo, & id, quod illi colunt, meram creaturam esse judicat, & quos ei tribuunt cultus, vanos ac impios, Deoque exosos credit. Quis vero non intelligit quibus sic illudimus, eos a nobis gravissimam, & cum insigni contumelia conjunctam injuriam accipere? Quod si veros animorum nostrorum sensus sub illa, quam ad eos fallendas induimus, persona tectos atque delitescentes cernerent; dubitandum non est quin essent indignaturi, nosque velut impudentissimos impostores, pro talibus meritis excepturi. Ac si quidem ut iis prodessemus, ita fingeremus, vel si saltem nostra illa simulatio nihil

iis

rit; impudentia illius non absimili, qui cum apud Anglicanum tribunal Londini interposito jurejurando interrogatus esset *num fretum trajecisset*, fidenter negavit, & cum postea trajecisse certo deprehensus esset, perjurium, cujus arguebatur, sic purgavit, ut diceret se *fretum*, non *Caletense*, de quo & rogaverant judices, & omnes qui aderant, rogatum crediderant, sed *Gaditanum*, de quo nemini in mentem venire poterat, intellexisse. Denique si his artibus sit locus, omnis hominum sermo, quo nihil habet nostrum genus ad communem societatem præstantius, non jam erit fidele ac salutare mutuæ inter nos animorum ac sensuum communicationis instrumentum, sed insidiosa quædam fraudis, ac illusionis machina; neque quisquam jam proximi cogitationes oratione explicatas intelliget, vel ei de ulla re affirmanti aut neganti tuto credet; eruntque omnes homines peregrini ac barbari, ac si Babylonica illa vetus confusio hominum iterum labia divisisset, & singulorum a singulis voces mentesque alienasset. Eadem rerum sequetur perturbatio; si actus, quibus aliquid significari solenne est, alio quam quo eos publici consensus auctoritas destinavit, transferre ac traducere liceat. Qui sui Regis hosti homagium quod vocant præstiterit, hujus perfidiæ labem sic eluet; ut ex hac arte causetur se hoc actu non fidem suam tyranno obstringere, sed eum duntaxat civiliter salutare voluisse. Et qui olim apud Israelem se in perpetuam servitutem dare

(ut mos erat) perforata addixerat, ei datam hero fidem frangere licuisset, pertendenti mentem hanc sibi fuisse, ut eo actu servituti renuntiaret, non ut ei sese addiceret. Ita miles in bello gestata hostis insignia, vel dictum ei sacramentum, eadem techna eludet. In sacris vero eo nocentior atque pestilentior erit hæc cavillandi fallendique disciplina, quo sanctiorem atque inviolabiliorem apud homines esse oportet sacrorum religionem. Nihil enim ulla hominum religione ratum fidumque supererit, si actus ejus solennes alio sensu, quam fert communis usus, factitare atque usurpare cuivis privato conceditur. Ut enim tu tibi hoc sumis, ut genua ante Romanam hostiam flectas, neque tamen eam adorasse censearis; ita alius aliquis id quoque sibi concedi postulabit, ut ante imagines procumbere, & accensos cereos iis offerre liceat; neque tamen idcirco imagines veneratus esse putetur. Erit & fortasse alius, qui pertendet sibi licere Turcarum sacris interesse, & externos eorum cultus factitare; neque ideo se Mahumedismi reum fore. Hos enim (inquiet) cultus, non Mahumedis Deo, sed Domini Jesu Patri defero, atque destino. Ad hoc exemplum audebit & qui apud Sinenses deget, ante barbarorum simulacra venerabundus procumbere; atque ita factum tueri, ut dicat se non idolum illud, ante quod gentilibus mixtus jacuit, sed verum ac sempiternum Deum adorasse. Quod si res, atque actus hominum

ab

ab ufitata fignificatione ad alienam ita transferre liceat; cur non & verba licebit? Utraque enim figna funt, & quidem ejufdem naturæ, ab iifdem auctoribus, nempe ab hominibus, & ad eofdem fines inftituta; eo tantum difparia, quod verborum, quam actuum. & rituum natura multo obfcurius ad ea refertur, quibus fignificandis funt inftituta; ut fi utraque inter fe contendas, etiam verborum quàm actuum minor videatur effe debere religio. Ergò ex horum cavillatorum artibus licebit homini Proteftanti (ut vocant) vel Reformato integra confcientia profiteri, & quidem cum jurejurando, *hoftiam fibi adorandam videri.* Quidni? cui parata ex hujus technæ legibus erit excufatio, fe *hoftiæ nomine, non Romanum facramentum. ut vulgus, fed Chriftum Iefum in cruce pro nobis patientem intellexiffe.* Interrogatus a Magiftratu Chriftianus, libere, ac intrepide, pro re nata, & ex fuo commodo refpondebit fe vel Mufulmannum effe, vel etiam Iudæum, etiam, fi libuerit, Ethnicum; & quidem jurabit ita effe, fi urgeatur; apud fuos perfidiam hanc poftea ex mirificæ hujus difciplinæ præceptis fic fucaturus, ut affirmet, fe hæc verba alio fenfu accepiffe quam vulgo folent; *Mufulmannum* cum dixit, *credentem*, vel *fidelem* (id enim valet nominis illius etymon) intellexiffe, & quidem Chrifti, non Mahumedis fidelem; itidem *Iudæum*, non carne recutitum, fed fpiritu Chrifti regenitum, ex illo Judæorum cenfu,

censu, quorum laus a Deo in Christo Iesu; *Gentilem* deniq; quod se sit professus, non de religione (absit) sed de origine accepisse; qua ratione & ipsum & nos omnes Gentiles dici posse nemo negaverit. Cur enim mihi (inquiet) non æque in verbis ac tibi in rebus ludere licebit? Tu quidem dum ante hostiam Romanam genua flectis, negas eo significari te hostiam Romanam adorare. Atqui hanc adorationẽ ille actus in communi Romanorum usu tam proprie, tam clare, tam denique universaliter significat, quam in publico sermone *Musulmanni*, *Iudæi* & *Gentilis* vocabula sectarum istarum homines. Ergo tam mihi istis vocibus, quam tibi illo actu ad aliud significandum abuti licet. Unde postremo quivis intelligere potest, quam periculosa, ac perniciosa futura sit hæc (si admittatur) licentia. Sed neque certe hactenus apud ullas paulo honestiores vel civitates, vel disciplinas recepta est. Absit hæc ab humano genere perfidia atque infœlicitas. Siqui sint, qui funestis hisce artibus uti velint, eos divinæ atque humanæ leges vel pro illusoribus, vel pro perfidis, atque traditoribus habent, gravissimisque pœnis, velut nocentium deterrimos, puniunt. Humanorum quidem tribunalium auctoritas in hunc maxime finem & instituta est, & viget; ut integra conservetur verborum, & aliorum signorum fides, quibus in pactis, fœderibus, aliisque civilibus negotiis mentem nostram testari, atque exprimere solemus. Siquis de muliere in uxorem sibi conjugenda fidem

dem obſtrinxerit, poſtea de liberanda fide in jus vocatus, ita ſit impudens, ut cauſetur ſe quam *uxorem* ducturum erat pactus, *concubinam* intellexiſſe, & *uxoris* verbum hoc ſenſu, quantumvis a vulgari uſu alieno, uſurpaſſe; is ab omnibus non perfidus modo ac perjurus, ſed etiam ſtultus, ac frigidus illuſor habebitur; Neque dubitandum eſt ſi nulla alia habeat cauſæ ſuæ præſidia quin ſtatim ſit a judicibus damnandus. Neque vero vel civis, qui tyranno homagium præſtiterit, neque miles, qui hoſti ſacramentum dixerit, imminutæ majeſtatis, proditioniſque ac perfidiæ vel crimen vel pœnam ideo effugient, ſi dixerint mentem ſibi rectam fuiſſe, & in fide manſiſſe; ſeque externa quidem illa feciſſe, ſed longe alio animo alioque ſenſu, quam vulgo apud homines & fieri & accipi ſolent, Hæc vero abſurda, impudenſque excuſatio reorum peccatum & infamiam adeo non elevabit; ut etiam apud ſapientes & æquos judices ad cumulandum ea pœna iſtorum ſupplicium valitura ſit, quam profligatus pudor mereatur. Quod ſi vel hominum juſtitia hujuſmodi cavillationes non modo aſpernatur, ac repudiat, ſed etiam iis offenditur; ſeque a reis, ſi quos eas adhibere non puduerit, irriſam, contumeliaque affectam & quidem merito, judicat quæ ſpes eſſe poteſt, Deum, cujus judicium multo eſt, quam quorumvis hominum purius, gravius, atque ſanctius, hujuſmodi illuſores impune habiturum, vel dimiſſurum, præſertim ubi de ipſius veritate atque cultu quæritur, quæ

causa est omnium longe gravissima? Ac eum quidem, qui *creaturam latriæ cultu adorandum esse* simpliciter ac diserte dixerit, nemo erit profecto, qui ita purgari ac evadere posse concedat, si causatus fuerit, se, dum ita loqueretur, *creaturæ* nomine non rem aliquam creatam, sed *Creatorem* intellexisse, significareque apud auditores voluisse. Crassior est, atque inverecundior hæc caussificatio, quam ut eum quisquam vel impudentissimus usurpare, vel stultissimus admittere velle putetur. Etiam illi ipsi, qui tametsi nobiscum de fide sentiant, sibi tamen licere volunt ante hostiam genu flexo procumbere, religione tamen aliqua deterrentur, ne sibi liberum esse censeant diserte pronuntiare atque profiteri *hostiam esse adorandam.* Atqui & horum verborum, & actuum illorum ad religionem pertinentium eadem plane est (quod jam diximus) natura, atque ratio. Utraque signa quædam sunt, sive symbola ad significandos animorum nostrorum sensus inventa, atque instituta. Cum ergo ex communi omnium Christianorum consensu satis superque constet, in confessionibus, sive expositionibus fidei nostræ, quas vel viva voce vel litteris scriptis expressas edimus, nefas esse verba alio sensu usurpare, quam quem fert publicus usus, receptaque eo, quo utimur, sermone loquentium consuetudo; certo quoque atque indubitato statuendum est neque nobis licere eos actus, atque ritus qui sunt aliqua in religione solennes, apud homines, qui eam colunt, ad aliud significandum

dum facere & adhibere, quam quo ab ipsis in communi suorum sacrorum usu referri solent. Itaque, ut concedunt quibuscum nunc proprie disputamus, gravissime peccare siquis hostiam, quam meram creaturam esse credit, pronuntiet tamen *latriæ cultu esse adorandam*, quocumque sensu id a se dictum caussetur; ita necessario confiteri debent se quoque ejusdem sceleris reos teneri, qui ante hostiam, de qua eadem cum isto, quem damnant, sentiunt. genua flectere venerabundi non dubitant, quacumque id mente faciant. Cum enim ipse ille actus, quo fungi non verentur, communi ac publico hominum apud quos versantur, usu ad hostiæ adorationem significandam atque exerendam dedicatus sit atque consecratus, profecto quod eum cũ illis usurpant, hoc ipso *adorandam esse hostiam etiam multo* clarius atque disertius loquuntur, quam si hæc ipsa verba totidem syllabis palã pronuntiarent.

CAP. XV.

Solvitur objectio, quæ ex Naamanis facto adversus superiora afferri posse quibusdam videtur.

NEque vero istorum causam hilum juvat quod plurimũ in ore habent, Naamanis Syri exemplum, qui cum ab errore Gentilium, ut est in divinis litteris traditum, ad veri Dei cognitionem esset conversus, tamen siquando Regem, herum suum, officii causa ad templum comitaretur, etiam tum flexis genibus ante aras & simulacra falsorum numinum procumbere erat solitus, quo Regi vel supplicanti, vel sacra

facienti ministraret. Nolo hic eorum expositiones referre, qui locum illum Scripturæ ad sensum inflectunt, ab hoc, qui legentibus primum occurrere videtur, plane alienum. Nos vero istis, id quod maxime cupiunt, concedamus, nempe & Naamanem petivisse, ut sibi cum bona Domini Dei venia templum Remonis una cum Rege ingredi, & se illic, quod Rex manu sua niti soleret, ad hoc officii incurvare liceret, & Elisæum hoc ipsum Dei nomine Naamani condonasse, adeoque non pugnasse hunc ejus actum, siquando eo fungeretur, vel cum pietate in Deum, vel cum caritate in proximum; his concessis ne sic quidem quicquam effici hinc poterit, quod caussam vel istorum sublevet, vel nostram feriat. Non enim Naaman sibi hoc simpliciter condonari postulat, ut se in Remmonis templo venerabundus incurvet. Absit, ut hoc petiverit, quod cum divina lex clarissime ac disertissime vetuerit, nunquam si petivisset, a sanctissimo Propheta impetraturus fuit. Ille vero hoc unum sibi a Deo cōcedi rogat, ut Regi id, quod solebat, officium exhibere ac præstare porro possit, nempe ei apparere, & manum, qua nitatur, commodare (sic enim solent Principes ac magnates viri ministrorum ex intima familiaritate manu, vel humero honoris caussa inniti) quod siquando Rex hujusmodi aliquid in Remmonis hoc est, idoli templo requirat; hoc servitio apud herum fungi id sibi ne crimini, vel fraudi apud Deum sit. Iam hunc actum, si paulo accuratius inspexeris.

xeris, multum ab eorum, de quibus disputamus, natura atque ingenio differre comperies. Nam de quibus actibus nunc quęrimus, hi ad unum earum rerum, quas sibi adorandas homines statuunt, cultum atque honorem absolute ac simpliciter pertinent; Ille vero, qui objicitur, Naamanis actus, ad Regis, ejusdemque heri ac domini, servitium, recta, proxime, ac immediate referebatur. Hi in communi publicoque hominum usu nihil plane aliud significant, nisi eorum, quibus attributi ac consecrati sunt, cultum, atque adorationem. Ille vero contra, præcipue directeque significabat Naamanem pro suo hero ac Domino eum habere æque agnoscere, cui id servitii exhibebat. Quantum ergo est inter creaturæ adorationem, & heri servitium discrimen, tantum hic Naamanis actus ab iis, quos isti sibi licere concediq; volunt, differt. Deus quidem nuspiam vetat servos id ministerium heris exhibere; Id est manum, qua se regant, vel humerum, quo innitantur, commodare, vel in genua se summittere, quo facilius ac commodius id obsequii dominis suis præstent. Imo vero omnes societatis civilis gradus inviolatos atque incolumes servari Scripturæ divinæ clarissime instituunt; diserteque in primis servos cavere jubent, ne pietatis, cujus cognitione divinitus donati sunt, nomine sibi licentius cum heris agendum putent; quasi terrenæ servitutis jura vel tollat vel imminuat cœlestis gratia. Sed qui hæc ita constituit Deus, creaturarum idem adorationem se-

 verif-

verissime, constantissimeque damnat, ac vetat. Non ergo si ea usurpare licet, quibus prior illa servorum adversus dominos suos subjectio significatur; eo fit, ut & actus eos exercere fas sit, quibus homines suam erga res creatas *latriam* atque adorationem testari solent. Hoc unum fateor, cum Naaman Regi servitium hujusmodi in Remmonis exhibebat, ex loci circumstantia tum accidisse. ut ejus actus alio, quam quo fiebat, sensu accipi potuisse videatur. Cum enim actus, quo iste Regi, Dominoque suo ministrabat, re, ac (ut in scholis loquuntur) *materialiter* idem cum eo esset, quo idololatræ Remmonem suum colebant; adhæc cum eodem loco, ac tempore uterque fieret; potuisset fortasse, spectantium aliquis suspicari Naamanem, non Regi super manu sua innitenti, sed Remmoni, cujus simulacrum, quod illic exstabat, cæteri omnes adorabant, illam genuflexionem, vel incurvationem suam detulisse quoque ac destinasse. Atque hinc exortam crediderim eam, quam Naaman de actu hoc suo testatus est, religionem esse. Tametsi enim ipse quidem, non alii, quã Regi, honorem, eumq; civilem exhibere in animo haberet; & vero consuetum, receptumque esset ad civilem illum honorem Regi habendum hujusmodi actus adhiberi; tamen quod intelligeret ex illo temporis, ac loci cum idololatrarum cultibus concursu, fieri posse, ut de suo actu aliter judicarent homines; idcirco non putavit usquequaq; criminis expertem futurum; eoque factum est, ut Dei venia, atque indul-
gentia

gentia opus sibi esse existimaverit ad hoc ministerium Regi suo deinceps exhibendum. Hoc vero id ipsum est, quod ei Elizæus videtur his verbis concedere ; *Vade in pace* ; Quia nimirum siqui sibi ex his persuaserunt Naamanem idolum tum adorasse, cum Regi suo in templo ministraret, eorum opinatio nulla certa, ac necessaria ratione, sed argumento fallaci, ac futili nitebatur. Cum enim Regem super Naamanis manu inniti viderent, satis causæ erat, cur eum ad heri servitium potius, quam ad idoli cultum adesse suspicarentur. Quod Regi hoc momento serviret, eo ipso probabile erat hunc actum ad Remmonis cultum non destinari; quod neque fas, neque mos, vel usus sit sacros religionis actus inter immortale numẽ, & hominem mortalem partiri. Vel hoc unum satis docebat, Naamanem non religioni numinis, sed heri sui servitio, isto loco, ac tempore vacasse. Neque vero erat, cur ejus actus, qui hominis usui ac commodo potissimum impendebatur, laus ac merces, tamquam veri, legitimique cultus, a numine exspectaretur, si vel Naaman idololatra, vel Remmon sensu aliquo, ac ratione præditus fuisset. Ut si forte vir nobilis, dum Principi, ac Domino suo supremo *homagium* (quod dicitur) facit, unius ex suis familiaribus in genua ad eam rem procũbentis manui interim innitatur; nemo erit, qui ideo putet hunc ejus familiarẽ isto actu Principi homagium quoq; fecisse, seq; ejus clientem professum esse. Ille vero nihil hic aliud gessit, nisi quod Nobili amico ministravit. Ac ut id liquido intelligatur, fin-

2. Reg. (Lat. 4.) 5. 18.

finge & hunc ipsum in ejusdem Principis clientela esse, ob feudum quod in ejus ditione possidet. An eum Princeps homagio, quod suo hoc nomine proprie debet, ideo functum putabit, quod amico simili apud se officio in pari causa fungenti affuerit, atque ministraverit? Minime vero; sed homagium suo nomine debitum, ab ipso erit de integro præstandum. Unde liquet diversos, & a se invicem distinctos esse duos istos, quamquam alioqui similes, ante Principem procumbendi actus; alterum, quo ei ideo accidis ut cultum debitum exhibeas; alterum, quo genua non alia gratia flectis, quam ut amico eum proprie colenti ministres; Consimilis erat Naamanis ratio. Syrorum quidem Rex Remmoni cultum religiosum exhibebat. Naaman vero hero ministrabat, non Remmoni, falso & iniquo heri sui Domino. Huc & alia accedebant non pauca, quæ illum Naamanis actum omni crimine abunde purgabant. Is enim in idoli templum nunquam alias ingrediebatur, nisi cum id ministerii hero suo exhibere necesse erat. Una hac causa excepta ad funestam illam ædem nunquam accedebat; nunquam ante idolum consistebat, nulla ei sacrificia, nullos omnino cultus ipse per se suoque nomine offerebat. Ex quibus constare poterat, eum istic, siquando adesset, nulla suæ alicujus in idolum religionis, sed una ministerii hero suo exhibendi ac præstandi caussa adesse. Præterea ille non solum falsis & impiis cultibus abstinebat, sed & palam atque aperte tum verbis, tum rebus

ipsis

psis profitebatur se verum illum Deum, qui apud Israëlem colebatur, agnoscere, timere, atque adorare. Id apud Elizæum Prophetam disertissime testatur; *Vere scio* (inquit) *quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel. Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* Quæ cum ita se haberent, apparet siquando Naaman in Remmonis templo se hero suo ministraturus in genua incurvaret, eas fuisse omnes actûs hujus singularis circumstantias, quæ omni ambiguitatis sublata causa, eum criminis suspicione liberarent, clareque docerent non fuisse hanc Remmonis, hoc est idoli, adorationem. Ut ergo in communi sermone licet viro bono etiam ea verba usurpare, quæ res diversas significant (qualia in omnibus linguis non pauca sunt, quę Grammatici *ambigua*, & *πολύσημα*, Dialectici *homonyma*, vel *æquivoca* vocant) modo iis sic utatur, ut quid significet, satis ipse aperiat, neque videri possit vocum ambiguitate mentem suam de industria celare, auditoremque fallere voluisse; ita & Naamani licuit ad exhibendum hero servitium, testandumque suum ei obsequium etiam hunc actum exercere, tametsi ex loco & tempore, quo exercebatur, nonnihil ambiguum, quando cætera hominis & vita & oratio quicquid suberat ambiguitatis satis discutiebat, apertissimeque docebat hanc ei, siquando in æde Remmonis se se incurvaret, mentem esse, non ut idolum adoraret, sed ut hero suo simpliciter ministraret ac serviret. Atque his ita

ab omni eorum, quos refellimus, causa hic Naamanis actus alienus. Primo enim sibi volunt licere ante Romanam Eucharistiam cũ illius communionis hominibus genua flectere, nulla unquã diserta atque aperta professione docent, quid de ea vere & ex animo suo sentiant. Naaman vero Deum Israëlis palam colebat, eique sacrificia offerebat; clareque testabatur sibi Deum non videri istũ Remmonem cujus sacris aliquando interesse cogebatur, ob eam, quam Regi suo debebat, servitutem. Hi nostri plane contra, in Romanorum, qui Eucharistiam adorant, communione permanent, eorumque religionem palam profitentur, neque unquam vel verbo, vel opere, ejus rei cultui renuntiant, ad quam venerabundi se se inclinare, atque incurvare sæpe cernuntur. Quis ergo istos, nisi divinus sit, aliud de his sentire suspicari possit, vel hanc illorum ad hostiã genuflexionem, corporisque dejectionem aliud esse putare, quam adorationem, & sinceram de objectæ rei divinitate & cultu testificationem? Præterea cum isti ante hostiam genua flectunt, vel domus suæ parietes exornant, non possunt hi eorum actus aliud significare, nisi adorandæ hostiæ consiliũ; qui scilicet in communi ac recepto eorum hominũ, apud quos versantur, usu uno hoc sensu usurpari solent; Naamanis vero, ut docuimus, actus, officium servile erat, hero ex servitutis jure debitum. Nostrorum, ut liquet, plane alia causa est; quorum vel manibus, cum genua ad hostiam flectunt, inniti, vel tectum, cum id exornant, subire nullum dominum, nullum herum

vide-

videmus. Nihil in ſacris, vel in pompa, pręter unam hoſtiam occurrit, quo hi iſtorum actus referri, vel ad quod aliqui ex his uſus, fructuſve redire poſſint. Ergo neq; hi aliter accipi, haberique; vel poſſunt, vel debent, niſi pro totidem religioſi in hoſtiam cultus ſymbolis, quibus iſti clare ſancteque teſtantur, atque affirmant ſe eam pro vero numine habere, & adorare. Itaque iſti, ſi ſapiunt, intelligent tandem aliquando illo Naamanis exemplo ſe non tam purgari, aut excuſari, quam coargui, atque confutari. Qui enim actum illum, licet tam multis modis ornatum, & ab idololatrię ſuſpicione non uno nomine immunem, tamen ob loci circumſtantiam ita extimuit, ut eum aggredi animi religione deterritus non ante auſus ſit, quam veniam a Domino deprecatus eſſet; quid facturum illum putas, ſi ea incidiſſet, quæ nunc agitur, cauſa? quantoq; cum horrore ea repudiaturum, atque abominaturum fuiſſe, quæ iſti nunc detrectanda non cenſent, cnm tamen nihil aliud ſint, quam nuda, meraq; religioſi in creaturam cultus ſymbola, ac teſtimonia? Neque ex Naamanis facto aliud (quod ad hanc quidem cauſam pertinere videri poſſit) aliqua cũ veri ſpecie concluſeris, niſi hoc unũ, piis ſcilicet Regum, Magnatumq; ſervis, ac miniſtris licere dominorum ſuorum, etiã a fidei veritate alienorũ, ſacris intereſſe, modo tamẽ & ad ſervitii, munerisq; ſui rationẽ pertineat is actus, quo tali loco, ac tempore funguntur, & ipſi itẽ nõ obſcure & ambigue, ſed aperte ac palã profiteantur ſe unum Dominũ Deũ timere, neq; id, quod in hujuſmo-

di

di ſacris colitur, pro numine habere aut agnoſcere. Cæterum haud ſatis ſcio an vel huc uſque nunc extendere illius exempli auctoritatem nos ſinat, novi, ſub quo verſamur, fœderis a veteri, cujus temporibus vixit Naaman, magnum ac perſpicuum diſcrimen. Multa enim Deus in illa populi ſui infantia vel indulſit, vel toleravit, quæ in hac Evangelii luce plane penituſque interdixit. Nimirum tanta nunc a nobis, tamque ſuis numeris abſoluta exigitur caritas, ut omnia potius perpetienda ſint, quam quicquam admittendum, quo vel minimam ſcandali occaſionem proximis præbeamus. Itaque tutiſſimum ego quidem eſſe cenſuerim, eas dignitates, quæ nos ad aliquid vel inducunt, vel obligant, quod cum noſtra religione vel in ſpeciem pugnet, mature dimittere, iiſque carere malle, quam ut vanum & umbratilem honorem retineamus, cuiquam mortalium offendiculum objicere.

is noceret; esset sane, quod se a nobis falli minus ægre ferrent. Nunc longe aliter est. Nam illa simulatio magno iis scandalo est. Sic fingere, sic veram mentem abdere, & aliam iis falso prætendere, nihil aliud esse videtur. quam personam ad hoc, ut in incautos ignotus, eoque tutus impune grassetur, assumere. Quibus enim præsentibus, ac spectantibus impios & superstitiosos cultus exerces, eos tu ad eandem superstitionem imbuis, ac (ut eleganter dixit Paulus) *ædificas*, & in errore confirmas; quem tuum scilicet exemplum, multo, quam ulla oratio, potentius suadet, ac commendat. Ut cum verbi gratia genua venerabundus ante Romanorum hostiam flectis; quid tuus hic cultus agit? quid oris, ac oculorum species, ac motus significat? quo totius corporis actus pertinet? Negare non potes, quin omnia Romanum de hoc religionis capite errorem longe gravissimum doceant, atque confirment. Tu hoc ipso, quod ante hostiam sic procumbis, omnibus, qui te vident, auctor es, ut eam colant. Si tacet lingua, corpus certe ad terram incurvatum loquitur, & quodam sermonis genere, multo, quam est oris sonus, clariori atque efficaciori, obtestatur & clamat; & hostiam illam creaturam quidem esse negat, summum vero numen esse affirmat, adorandam definit; eique cultum unius Dei proprium decernit. Hæc actus ille tuus significat; hæc spectatores quidem certe docet. Quidquid de mente dixeris, hinc illi nihil aliud discere, nihil in iis, quæ vident, aliud perspicere, atque

1. Cor 8 10.

intelligere possunt. Itaque qui apud animum tuum, certum, atque indubitatum habes hanc ipsam hostiam meram esse creaturam; negare jam profecto non potes, quin tu istis, quantum in te fuit, adorandæ creaturæ, hoc est tætri atque exitialis erroris auctor, suasorque fueris. Tu incautis id, quod venenum esse non dubitas, porrexisti; quæque ultima est, ac longe sceleratissima perfidiæ fraus, letale poculum, ut cæteri incunctantius, & fidentius haurire auderent, ipse gustare te simulasti. Jam si venefici, qui corporum saluti insidiantur, omnium nocentium tæterrimi, atque perditissimi merito habentur; vide quæso quanta sit tui sceleris atrocitas, qui in tuorum civium, non corpora, sed animas ipsas grassaris, pharmaca iis propinans, etiam tuo ipsius judicio, letalia. Si vero qui *unum de pusillis in Christum credentibus scandalizaverit*, eum pœnæ manent adeo graves, ut Christo teste ac judice,
Matth. 18. 6. satius ipsi fuerit *suspensa ex collo mola in profundum maris demergi*; tu cogita, quid merueris? quibus fulminibus, quaque gehenna dignus sis, qui non uni fratri, sed toti cœtui, tantum, tamque exitiabile scandalum objecisti? Qui creaturam errantes pro Creatore colunt, ii tamen apud Deum sunt inexcusabiles; quod supra demonstravimus; Quam tu ergo veniam sperare potes, qui quod creatum esse non nescis, id ipsum tamen incurvato in genua corpore colis? Nota enim est Domini Christi ea de re sententia; *Ille* (inquit) *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit*
Luc. 12. 47.
secun-

ſecundam voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Atque hoc judicio nihil æquius, juſtius-ve fieri poſſe, aſſentitur etiam communis hominum ſenſus. Cum igitur qui cultus, quos ipſi impios eſſe ex animi ſui ſententia putant, exercent tamen, tam multipliciter & in pietatem, quæ Deo, & in caritatem, quæ proximo debetur, peccent; non eſt mirandum, quod eos Dominus, qui ſic peccant, & damnet inexorabiliter, & æternis pœnis addicat. Ille vero niſi naturam ipſe ſuam, & quod ei Scripturæ conſtanter ubique tribuunt, ingenium exuat, fieri nequit ut aliter inſtituat. Primo veritatis pater non erit, ſi mendacium inultum ſinit. Gloriæ ſuæ zelotes non erit, niſi in ſui contemptum vindicet. Generis poſtremo humani neque judex, neque princeps erit, ſi nullis ſuppliciis in eos animadvertit, qui miſeris mortalibus & contumelioſiſſime illudunt, & periculoſiſſima ſcandala objiciunt. Nunc vero quibuſcumque eſt aliqua æquitatis ac rationis cura, iis judicandum relinquimus, an genua ante hoſtiam Romanam flectere, an domos exornare, an cætera ad ejus cultum inſtituta, ſolenniaque factitare nobis ullo jure liceat, qui hanc, non (quod volunt adverſarii) ſummum numen, ſed meram creaturam eſſe certiſſime (Dei gratia) credimus; an non contra ex perpetuis Chriſtianæ diſciplinæ legibus, ad ultima quæque potius perferenda, ac perpetienda obligemur, quam ut unquam aliquid eorum, quæ a nobis hoc in loco exiguntur, vel præſte-

mus, vel ſimulemus. Si nobis ad hoc, ut pacem cum civibus retineamus, licet aliquando vel mentiri, & aliud ore profiteri, quam quod corde credmus, vel gloriam ſummo Domino, Deoque noſtro ereptam, creaturæ tribuere, vel denique homines fallere, & eos exemplo noſtro, in tætros, ac peſtiferos errores inducere, inductoſve confirmare; fatebor equidem culpa non carere, quod honores iſtos Romanæ hoſtiæ in gratiam civium, proximorumque noſtrorum, qui hoc a nobis impenſe flagitant, deferre noluimus. Sin conſtat, divinæque omnes leges ita jubent, quidvis potius eſſe patiendum, quam horum quicquam committendum, quorum nihil ab homine committi ſine maledictionis, ac gehennæ reatu poteſt; manifeſtum eſt nos, qui de Romana hoſtia ſic, ut dixi, ſentimus, attributos ei ab adverſariis cultus exercere, vel aliqua ratione cum ipſis hactenus communicare non poſſe quin & iram Dei provocemus, &, quod inde conſequens eſt, animas noſtras æterno exitio involvamus. Ergo ſi vel hæc una eſſet inter nos controverſia, ea vero ſatis eſſet ad id, quod nos defendimus, demonſtrandum; nos ſcilicet ab adverſariis, non (quod hi falſo & inique dictitare ſolent) mera animi protervia ac libidine gratis incitatos, ſed ſumma atque ineluctabili neceſſitate compulſos, atque coactos, adeoque jure ac merito diſceſſiſſe; quod quæcumque neceſſaria diſceſſio eſt eadem quoque juſta eſt.

CAP. XIX.

Multa alia esse Ecclesiæ Romanæ dogmata, quæ nostræ & fidei, & salutis fundamenta convellunt, ut de imaginum veneratione, de Episcopi Romani monarchia &c.

SEd præter hoc de adoranda hostia dogma, plæraque alia, ad quorum fidem, ac praxin Romani Theologi nos invitos ac renitentes compellunt, tanti sunt in religione momenti, ut ea non magis, quam hoc ipsum, de quo disputavimus, vel profiteri, vel observare possimus, quin & conscientiarum nostrarum sensum violemus, & in Deum graviter peccemus, & gratiæ postremo, gloriæque divinæ, quæ fidelibus utraque promissa ac reposita est, jacturam faciamus. Nam (ut nonnulla breviter exempli caussa attingam, qui summo Christi beneficio scimus ac credimus nihil imaginibus inesse divinum, quique ex Scripturis tenemus Deum exserte vetuisse, ne nos ipsos ante simulacra incurvemus, alioqui futurum, ut eum gloriæ suę zeloten ac vindicem cum maximo & nostro & posteritatis damno experiamur; qua fide, quave mente possumus ante consecratas passim a Romanis imagines procumbere, genuave flectere, vel apud eas aut cereos offerre, aut thura adolere, aut vota facere, aut ipsas vestibus lineis, sericisve ornare, cæteraque hujus generis innumerabilia facere, quibus isti ex novitiæ disciplinæ legibus suum in sacra hæc

(ut quidem ipsi vocant) signa, honorem, religiosæque venerationis cultum profitentur & præstant? Cum olim in Africa sparsus esset apud Donatistas rumor *venturos esse* in eas partes *Paulum & Macarium* Catholicos, *qui interessent* Eucharistiæ celebrationi, *& cum altaria solenniter operarentur, proferrent illi imaginem, quam in altari ponerent primo, sic sacrificium offerretur, hoc* (inquit narrationis auctor Optatus) *cum acciperent aures, perculsi sunt & animi, & unusquisque lingua in hæc verba commota est, Qui inde gustat, de sacro gustat*; hoc est (ut ego quidem interpretor) de idolothyto. Hæc exsecutus Optatus; *Et recte* (inquit) *dictum erat, si talem famam talis veritas consequeretur.* Ex his patet sanctissimos illos Patres Donatistis concedere, ut Ecclesias, velut pollutas, & Eucharistiam, velut funestum ac contaminatum cibum fugiant, siqua in altaribus posita imago deprehenderetur. Quis ergo eos, qui ita senserunt, probaturos unquam putet, ut Romanorum vel altaribus communicemus, vel sacra colamus, vel Ecclesias ipsas adeamus, in quibus non ex incerto rumore, sed ex certa oculorum & sensuum nostrorum fide, scimus omnia imaginibus referta esse; & veteribus, & nobis, & plebem quotidie videmus ante eas venerabundam procumbere? Præterea qui certa fide credimus unum Jesum Catholicæ Ecclesiæ caput esse, & sponsum; quomodo tandem augustissimos hos titulos, dignitatemque iis significatam urbis Romæ Episcopo tribuemus, vel ei hoc nomine pedum osculum deferemus, & cæteros eodem per-

Optat. l. 3. T. 4. Bibl. Patr. p. 336.

pertinentes honores, ut isti volunt, exhibebimus? Sed neque nos, qui cœlestis doctrinæ veritatem unum novimus fidei nostræ fundamentum, consentaneum est eam ex Synodorum auctoritate suspendere; quod isti tamen adeo vehementer urgent, ac jubent, ut ipsam divinitus inspiratam Scripturam ab iis (quod ad nos pertinet, sive fidei nostræ respectu) pendere contendant. Neque intelligo, quo animo Romani sacrificii & necessitatem, & efficaciam credere ac profiteri possimus, qui unius a Christo in cruce oblatæ victimæ vi atque merito perfectissime expiata omnia nostra peccata agnoscimus, ac defendimus. Neque item fieri ulla ratione potest, ut qui & religiosam per preces invocationem cultus divini partem esse non ignobilem statuimus; neque vero ex Scripturarum cœlestium schola alium præter unum Deum invocandum didicimus, iidem tamen hominibus mortalibus, & quidem jampridem mortuis, sacras preces, religiosasque invocationes ex Romano dogmate & ritu deferamus; ac præter cæteros, qui sunt propemodum innumerabiles, etiam Dominico monacho, etiam Ignatio Loyolæ, etiam Carolo Borromæo Mediolanensi nuper Archiepiscopo, & aliis hujus commatis heroibus; quos, dum viverent, hanc ipsam sanctissimam fidem, qua nos in Domino gloriamur, & acerrime odisse, & crudelissime insectatos esse scimus. Hæc & alia non pauca, quæ brevitatis caussa prætermitto, Romanorum hominum placita, ex iis, quæ de Euchari-

stiæ adoratione fuse supra disputavimus, apparet ipsa fidei ac pietatis nostræ fundamenta convellere, adeoque hujusmodi esse, ut qui hæc aperte publiceque sequuntur ac profitentur, cum iis in religione communionem fovere, ac colere nobis minime liceat.

CAP. XX.

Operis conclusio. Qui de religione eadem nobiscum sentiunt, eos a Romanorum communione discedere debere; qui vero dissentiunt, iis suam fidem ante constituendam ac demonstrandam esse, quam nostram ab ipsis discessionem damnandam.

ATque ita hactenus discessionem a Romanis nostram satis, ni fallor, purgavimus, ac defendimus. Unde videre est, quam miseranda sit eorum conditio, qui de quorum fide ac cultu eadem nobiscum sentiunt, eorum tamen communionem colunt, & nobis, quod discesserimus, dicam scribere non verentur, idque veluti verum crimen incusare, ac denotare. Quod enim pestilens, ac letale esse judices, id fugere, non superstitionis profecto, ut isti dictitant, vanæ atque otiosæ, sed cautæ, ac necessariæ prudentiæ est; quod vero & Dei gloriæ, & hominum ædificationi adversari, & cum tua denique salute pugnare sentias, id tamen quotidie factitare, atque exercere, supinæ est, & plane inexcusabilis oscitantiæ, ac negli-

gligentiæ. Quod si istos, qui in tam periculoso errore versantur, convenire hoc loco, atque affari nobis licet, eos ego per suam in Deum pietatem, perque eam, quam suscipere, ac gerere debent, tum suæ, tum alienæ quoque salutis curam, obsecro atque obtestor, ut de hac omni causa serio apud se cogitent; & quorum fidem non probant, eorum relicta tandem aliquando societate iis se ocius adjungant, quorum omnem de religione sententiam veram, ac cœlestibus litteris consentaneam esse non dubitant. Neque vero sibi de eo blandiantur, quod Romani, apud quos hærent, Apostolorum Symbolum, & summa fidei Christianæ capita, profitentur, atque in ore habent. Non enim sunt nescii, ad ista, quæ vera sunt, plurima Romanos adjecisse falsa & vana; non pauca etiam pestifera & letalia. Jam ut qui præsens venenum in alia cœnulæ particula immixtum sumpsit, non ideo peste, quam in viscera admisit, liberatur, aut evadit, quod alios insuper cibos, bonos ac salubres ederit; ita neque te, si perniciosum & letalem errorem in fidem tuam receperis, hac peste & hoc exitio eripiet vera ac sana doctrina, siquam in cæteris religionis capitibus retinuisti. Non est mali eadem quæ boni hac in parte ratio. Illud quam hoc & multo latius serpit, & agit longe validius. Neque enim servat vel veritas, vel virtus, nisi pura ac sincera fuerit, nullis perniciosis admista; Error vero & vitium etiam eos perimunt, quos aliqua tantum ex parte infecerint. Ac ut qui castus, & modestus est, non ideo tamen ser-

vabitur, si idem avarus, aut maledicus fuerit; ita neque evadet, qui præcipua fidei Christianæ capita confitetur. Atque hæc quidem ad istos hactenus. Sed nunc ad eos quoque oratio convertenda est, qui Romanæ Ecclesiæ communionem simpliciter ac bona fide colunt, omniaque ejus dogmata ex animo probant, ac sequuntur. Vos ergo, qui ita sentitis, per humanitatem atque æquitatem vestram rogo, ut si ea, quæ docemus, non probatis, de nostra certe a vobis discessione moderate, ac benigne judicetis; neve crimini id nobis vertatis, quod ineluctabili quadam necessitate factum videtis. Testem habemus Deum, quam inviti huc compulsi fuerimus; quamque ægre a Principum, civium, & propinquorum nostrorum sacris discesserimus, quos summo semper studio & coluimus hactenus, & in posterum constanter cum bono Deo colemus. Sed in hoc acerbissimæ necessitatis articulo deprehensi quid faceremus? vel qua nos ratione ex his angustiis expediremus? Nos quidem (quod vobis ignotum, aut dubium esse non potest) conscientia nostra urget, terret, excitat, omnibus modis lacessit, ac permovet; cœlum hinc & beatam immortalitatem ostentans; inde gehennam, & æterna supplicia, & quæ etiam pluris quam hæc ipsa, facienda est, Dei optimi atque clementissimi Patris voluntatem, ac legem. Scitis hæc a nobis non fingi; eamque esse videtis fidei, ac sententiæ de religione nostræ rationem, quam hæc omnino, necessarioque consequuntur. Quid ergo? Hæccine-

cine talia ac tanta contemnemus, ut vobis obsequamur? An conscientiis nostris vim inferemus? An infœlices animas, erepta luce ac pace, tenebris ac fluctibus æternis immergemus, summique Dei legem violabimus, ne hominibus displiceamus? Illius-ne iram prudentes, ac volentes incurremus, ut horum commotiunculam caveamns? ac, ut paucis omnia complectar, Deumne, quam homines minus vel verebimur, vel diligemus? Ne vos quidem, sat scio, id probaveritis; quibus hæc in Deum impietas, ac ignavia non potest non summopere displicere. Nam & vos quoq; scitis, verboque ac exemplo docetis, quid quantumque illud sit; quod homines Deo debemus, in iis, quæ ad consciēntiarum religionem pertinent. Date hanc ergó nobis, quæsumus, veniam, ut vestris, nostrisque cupiditatibus optimi, sanctissimiq; numinis voluntatem, ac gloriam anteferamus. Absit, ut Deo primum hunc, quem ei meritissimo jure in affectibus, studiis, atque caritatibus nostris tribuimus locum, homines, & quidem Christiani invideatis. Hoc unum (quod est profecto justissimum) si nobis concesseritis, cætera omnia in quibus non pugnat cum Dei cultu obsequii vestri ratio, vobis & deberi ultro profitemur, & libenter offerimus; parati quæcumque habemus in terris carissima, sanguinem ipsum, ac vitam in vestri gratiam profundere. Unam nobis conscientiam donate, vel (ut verius dicam) Deo, cujus unius illa est, dimittite. In hac ille regnet; in quam quemquam alium regnare Dei contumelia est. Denique si nos, quod de

hac

hac causa ita judicamus, falli & errare putatis, vestrum est, ut videtur, errorem hunc nostrũ leniter coarguere, ac revincere. Nos vero non patienter modo, sed etiam libenter, ac studiose audiemus; & mentes ad hanc disceptationem afferemus dociles, atque benevolas, vestræque victoriæ faventes; quod nostra multo etiam magis, quam vestra interesse non nesciamus, ut in eadem religionis societate, atque communione nobis integra conscientię pace vivere una vobiscum liceat. Sunt in medio apud utrosque sacrosanctæ, cælestes tabulæ, summa Dei providentia, fidei leges ac regulæ Ecclesiæ & initio datæ, & hactenus servatæ. Demonstrate nobis in divinis illis Scripturis vel ea ipsa dogmata, quæ nobis, veluti vera ac necessaria, credenda proponitis; vel certe ea principia, ex quibus hæc clare, ac legitime concludantur. Si hoc præstiteritis, non repugnabimus, quin schismaticos jure censeatis, qui ita docti, convictique in hoc discessionis consilio permanserint. Sin aliter est; si hoc quod profecto æquissimum est, neque præstatis, neque vero præstare (siquid judico) potestis; quod superest quodque & rationi, & pietati consentaneum est, hanc nostram a vobis discessionem ferte, æqui, bonique consulite; neque nobis deinceps invidiosum schismatis crimen impingite, quod non aliis convenit, nisi iis, qui per voluntariam quandam pertinaciam. vel simultate, vel ambitione, vel odio, vel simili animi perturbatione abrepti, a cæterorum Christianorum Societate, nulla vera ac necessaria causa, secedunt.

F I N I S.

Appendicis
PRÆFATIO.

Nescio quo meo fato accidit, ut mihi duo libelli, quanquam mitissime scripti, & ab omni verborum acerbitate, quantum caveri potuit, alieni in varias diversorum reprehensiones incurrerunt. Ac opuscula quidem ipsa nemo, quod sciam, justa ac legitimâ disputatione oppugnare aggressus est. Multi vellicarunt; & quædam ex iis hinc inde pro sua libidine decerpta lacerare satis habuerunt; ea maxime, quæ de communionis Ecclesiasticæ ratione in Apologia constituimus. Fuit nonnemo, qui nos nimium severos putaret, quod Samosatenianos nostræ societatis jure excluserimus: Alii contra nimium faciles existimarunt, quod Lutheranos admittendos cendas censuerimus. Hanc partem Pontificii invaserunt, & acerbissime suo more tractarunt; mihi ut invidiam conciliarent, quæ-

dam

dam partim horrenda, partim etiam ridicula per immanem calumniam affingentes. Utrisque quoad potui, breviter, simpliciterque satisfeci. Sed quæ de hoc argumento scripsi, omnia hic reponere longum ac fortasse supervacaneum foret. Placuit duas seligere defensiones meas, nondum antehac editas; quarum prior est de Samosatenianis rejectis; posterior de Lutheranis admissis, ac de aliis quibusdam capitibus, quæ Gallicani Cleri Conventus invidiosissime exagitavit. Utramque hoc loco, velut superiorum libellorum appendicem, subjicere operæ pretium duximus; quod multa contineat, quæ lucem aliquam iis afferre posse videntur quæ sunt a nobis disputata. Tu lector, inspice quæso, & judica.

De Samosatenianis Ecclesiæ communione cap. Apologiæ 7°. exclusis.

EPISTOLA I.

Eruditissimo Viro, N.

JOH. DALLÆUS

S.



Uæ ad Apologiam meam observasti, cætera quidem levia sunt, de quibus facile tecum transigi potest; Illud vero gravissimum, nec sine vehementi animi motu mihi lectum, quod ferre non potes novos Samosatenianos nostrâ in sacris communione, ac confœderatione submoveri, totusque in eô laboras, ut pax etiam cum iis colatur, non aliter quam cum Lutheranis servandam, colendamque censeo. Ac errare quidem eos videris confiteri; errantes expelli debere, illud verò est, quod pernegas. Itaque pæne indignaris, quod eos *Christianismum subvertere* dixerim; quod *idololatriæ* reos peregerim; quod *æternam* iis *salutem* ademerim. Quod ut immeritò a me factum probes; affers primò plurimos ex istorum grege eâ veri ignorantiâ laborare, quam ego ipse non abnuo excusandam; quippe qui nobiscum sacrarum Scripturarum codicem venerantur, ex eoque unô doceri, ac redargui volunt; meliora, si edocti fuerint, sequi parati. Quod verò nos solemus iis impingere

præ-

præjudicatarum opinionum ſtudium, ipſos viciſſim nobis exprobrare, deque noſtrô dogmate perindè judicare ac nos de eorum ſententiâ; nimirum id planè alienum eſſe a Scripturis; quô locô etiam putaſti quædam Socini recitanda, in quibus ille gloriatur, homines ſuæ de Chriſti naturâ ſententiæ permultos extitiſſe primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, eoſque ſcilicet cum numerò, tum auctoritale cæteris aliquandò Chriſtianis ſuperiores fuiſſe. Hæc ſunt, ni fallor, quæ in primô defenſionis tuæ articulô poſuiſti; ad quæ ſic ego breviter reſpondeo.

Principiò fateor aliquam eſſe veri ignorationem, quæ eadem & veniâ digna ſit, cum res, quæ neſciuntur, tam ſunt obſcuræ & abditæ, ut ſciri & indagari, certoque explorari nequeant. Sed eô locô ac numerô cenſenda eſſe, quæ Sociniani neſciunt, ego quidem hactenùs videre non potui. Quid enim? An non Scripturæ in apertiſſimâ luce poſuerunt quã iſti negant, Domini Jeſu antequàm is ex Virgine naſceretur, τὴν ὕπαρξιν? An non clariſſimè teſtatæ ſunt, ejuſdem, quam illi ſugillant, divinitatem, atque æternitatem, & eam, quam iſti tantoperè exagitaverunt, ſatisfactionem? Quid de baptiſmi neceſſitate atque efficaciâ? quid de hominis in ſalutis negotiô infirmitate? quid de Dei præſcientiâ, atque infinitudine? quid de cæteris, quæ infauſtiſſimus ille Fauſtus aut palàm, aut certè per cuniculos oppugnavit? Equidem ſi ſunt iſta in Scripturis obſcura, quid in iis clarè ac perſpi-

ſpicuè traditum dici poſſit non video. At homines minimè mali profitentur ſe Scripturas ſuſcipere, ſe quicquid ex iis docebuntur, ſincerâ fide amplexuros. Quaſi verò non ſit eadem omnium ſectariorum excuſatio. Tu putas a Papiſtis ſecedendum. Atqui Papiſtarum illa etiam vox eſt. Ille ipſe Chriſtianus Franken, quem Socinus tanquàm Semichriſtianum (ſic enim eum indigetat) proſcribit, quod is Chriſtum negarit adorandum, ille ipſe inquam eadem, quæ Socinus, de Scripturis cauſſabatur; ut intelligas etiam ex iſtius hominis, quem tu aſpernandum non putas, judiciò, juſtas interdum eſſe ac neceſſarias cauſas ab eorum communione ſecedendi, qui Scripturas ſe ſe admittere profitentur. Quid ergo eſt? Nimirum non eſt ſimpliciter ſpectandum, quid quiſque profiteatur (Nemo enim hactenùs in iis, qui Chriſtiani videri volunt, uſque adeò ſtultus repertus eſt, qui & rationis & Scripturarum vel odium, vel contemptum præ ſe ferret) ſed quod quiſque profitetur, quàm verè id profiteatur, attendendum. Itaque ſi ea eſt, quam ipſi præ ſe ferunt, Sonianorum in Scripturas reverentia, haud equidem requgno, quò minùs ii in noſtrorum fidelium album admittantur. Sed quis non videt omnem iſtorum jactationem nihil aliud eſſe, quàm inane verborum ludibrium? Cum enim quæ in Scripturis clariſſimè, ac frequentiſſimè tradita ſunt, atque commendata, iſti tanquàm falſa ac periculoſa non modò rejiciant, ſed etiam infenſis animis, infeſtiſque ſignis oppugnent;

eos nemo non intelligit Scripturas re verâ contemnere, ac ludibrio habere, earumque adeò nomen, atque auctoritatem falsò ostentare. Quod enim sperat Faustus omnibus, quibus est integer & a fascinô liber animus perspicuum ex novi Testamenti libris fore Apostolos, non putasse Christum, antequàm ex Mariâ nasceretur, in rerum naturâ extitisse, id verò immane est hominis causæ studiô inebriati βάκχευμα; quod nemo ferendum putabit, qui clarissimas eâ de re tum Domini ipsius, tum Apostolorum sententias expenderit; unaque spinosas illas, ac portentosas cavillationes examinarit, quibus iste tenebrio tantum Sòlem obscurare, malâ fide, pessimis artibus nequicquam molitur. Quod verò gloriatur de suorum hominum in alios olim Christianos imperiô, id equidem dictum non miror à virô (quod ex ipsius scriptis apparet) Christianæ antiquitatis imperitissimô: A te, qui doctus es, descriptum non laudo. Nam quis vel mediocriter in veterum monumentis versatus nescit, neque Pauli Samosateni, neque Photini Sirmiensis sectam admodùm nobilem fuisse? in ipsis pænè cunabulis clisam, atque oppressam? fœdissimam, nullaque specie commendabilem hæresim summâ vi oppugnantibus, non tantùn Catholicis, sed etiam. Arianis? Arianorum labem latiùs grassatam fateor sub Constantiò, & Valente Principibus; moxque nonnihil repressam erupisse in Africâ, & alibi sæviùs sub Gothis, & Vandalis. Sed nihil ad Socinum Ariani; quos ille passim

exa-

exagitat tum in librô *de mortalitate Adami adversus Puccium*, tum in colloquiô, quod cum Joanne Erasmi totâ hac de caussâ habuit, aliisque subindè locis; ipse vicissim, ab Arianis explosus, ut vel ex Ariminensi Arianorum Symbolô satis liquere potest.

Sed tibi, ut video aliqua religio est homines simplices, & innoxios, vitaque ac moribus probos, maladicto figere, salutisque extorres pronuntiare. At ego nunc quidem in istorum dicta, factaque inquirere supersedeo. Satis mihi, quod monuit Apostolus, quod ipsa experientia luculentissimè testatur, etiam malos dæmones lucem aliquandò induere, & honestissimam fucatæ sanctitatis speciem sceleratissimæ, perniciosissimæque menti obtendere. Vide in eô, quem damnas, Papatu quam multæ oberrent Angelorum larvæ, quibus, si externa spectes, nihil ad absolutissimam innocentiam deesse videbitur. Quamquam equidem vix capio, quæ possit esse istarum Fausti gregalium sanctimonia, qui pietatem, unicum omnis sanctimoniæ fundamentum, subruunt, qui de naturâ Dei, de Christi majestate, amore, atque meritô tam abjectè, tamque illiberaliter sentiunt; qui animos nostros interire, atque extingui somniant, qui hanc, quam nunc gestamus, carnem negant eandem numerô resurrecturam; affirmant alii nescio cui, velut de Epicuri intermundiis, suffecto homini suorum certaminum laureas, ac premia cessuram; qui vivaces inferorum ignes, tormentaque in mor-

tuos sævitura sustulerunt; qui denique(nam longum est omnia persequi) Deo paucissima, nobis ipsis plæraque nos debere putant. Jud.v. 2. Quod vero Michael Archangelus nè diabolo quidem ausus est judicium inferre, id alisorsum spectat; nimirum nè potestates a Deô institutas, quanquam suâ auctoritate abutentes, temerè aspernemur, sed eâ, quâ par est, reverentiâ prosequamur. Nam siquid valeat in hac caussâ id exemplum, conficiet profectò nullius omninò hæretici aut sententiam, aut consuetudinem esse damnandam; cum eo, cui a Michaele parcitum est, nemo scelestior, vel impudentior esse possit: quæ conclusio, quam falsa sit vides, quam perniciosa, quam sanctissimæ Apostolorum disciplinæ contraria, qui hæreticos & repulerunt ipsi acerrimè, & verò repellendos, vitandos, omni sacrorum consortiô arcendos, denique anathematizandos, quiqui tandem fuerint, vel si de cœlo delapsi spiritus, luculentissimè edixerunt. Illud libens fateor summâ semper caritate prosequendos homines, etiam qui turpissimè, & perniciosissimè errant, omnemque movendum lapidem, quò ii melius, ac sanctius instituantur. Sed quemadmodum non obstat ille, quem etiam flagitiosissimis peccatoribus debemus, amor, quò minus liberrimè eos pronuntiemus nihil cum Christô commune habituros, qui in adulteriis, rapinis, aliisque ejusdem notæ sceleribus vitam deguut; ita neque prohibet illa dilectio, quam hæreticis, quin & Judæis ipsis, atque Musulmannis impen-

den-

dendam concedimus, quò minus eorum falſa de religione dogmata liberô anathemate feriamus, iisque omnibus certiſſimam pernicien denuntiemus, qui in illorum fide ac cqmmunione viuunt. Itaque fruſtrà hic adhibitus eſt omnis iſte ignorantiæ, ac ſanctimoniæ color, quô tu iſtorum hæreſim incruſtari, ac fucari poſſe putaſti. Nam ſi ex Scripturis certò, liquidoque conſtet letalia eſſe, quæ ii profitentur dogmata, illique aut pietati in Deum, aut caritati in proximum contraria, quæ nobis eſt ad conſequendam beatam immottalitatem neceſſaria; planè liquebit ipſos meritò vapulaſſe, juſtiſſimaque de causâ fuiſſe ab Eccleſiis noſtris exterminatos. Quod tu ipſe non obſcurè videris agnoſcere, qui relictô hoc argumentô aliò confugis, pertendens trium in unâ Dei eſſentiâ perſonarum, itidemque duarum in una Chriſti perſoná naturarum fidem non eſſe ad ſalutem neceſſariam. Obſecro, agamus bonâ fide. Si de verbis ac formulis intelligis, nolim equidem acriùs certare; quanquàm & iſtas certorum verbornm formulas non fuiſſe temerè, neque ſinè graviſſimis, juſtiſſimiſque rationibus in Eccleſiam invectas & ſciam & defendam. Sin de re ipsâ loqueris, quid clariùs, quàm inter primaria Chriſtianæ fidei capita cenſendum eſſe utrumque hoc de Trinitate, deque duabus Chriſti naturis dogma? Tu verò eos mihi objicis, qui Chriſtô Domino adhuc in terris degente crediderunt, quique non videntur hæc capita habuiſſe perſpecta, cùm nemo ſit tamen, qui de eo-

rum ſalutê dubitet. Sed non vides eâ te ratione pariter confecturum nè nunc quidem eſſe ad ſalutem neceſſarium Dominum Jeſum pro Chriſtô agnoſcere? Nam ex eô ipsô, quod tu hîc refers Chriſtum Apoſtolis mandaſſe, nè cuiquam inter prædicandum hoc arcanum revelarent, ex eô inquam, patet potuiſſe tum contingere, ut quis plenâ certaque fide omnem Apoſtolorum prædicationem ſuſciperet, atque adeò ſalutis fieret compos, qui tamen idem Domini Jeſu dignitatem atque officium neſciret. Itaque ſi, quod tu ſumis, id obtinet, nihil jam nobis ad hoc, ut Chriſtiani ſimus, cognitu eſſe neceſſarium, quod non iſtos quoque tum temporis ſcire oportuerit, vides profectò ne nunc quidem vehementer contendendum, ut vel credant homines, vel confiteantur Dominum Jeſum eſſe verum Meſſiam; quippè qui ex tuâ hypotheſi pro veris Chriſtianis habendi ſunt, etiamſi illam fidei noſtræ partem ignorent; quod quàm ſit abſurdum, atque deteſtandum, quamque a diſciplinæ Chriſtianæ rationibus alienum, vel ipſi Socino judicandum permiſerim, qui quanquàm facilis, ac profuſus, ſui tamen copiam non facit, niſi iis, qui Jeſum pro Chriſtô colunt, & quidem eodem cultûs genere, quem bonus Theologus Deo Patri exhibendum putat. Quid igitur eſt? Nimirùm tu communi quidem & tralatitiô; ſed tamen gravi multorum errore confundis diverſarum Dei diſpenſationum rationes. Nam certum eſt Dei revelationem humanæ fidei regulam eſſe ac modum; adeo

ut

ut quisque ea modò cognoscere atque credere teneatur, quæ sunt divinitùs clarè & evidenter patefacta. Jam variam fuisse divinæ illius revelationis lucem, variosque lucis gradus, & Apostolus exsertè pronuntiat, & totius Biblicæ historiæ series reapse comprobat. Nam quis non videt, quàm leviter atque tenuiter ante diluvium micuerit illius sapientiæ radius? quàm lentè mox accreverit hoc lumen primò Abrahæ, indè Mosi, tum aliis ex ordine Prophetis affulgens, neque tamen eâ copiâ, ut justum, ac plenum diem efficere posset? Noctem diceres primùm raris sideribus, dehinc lunâ ipsâ illustrem. Venit tandem Christus in terras; sed qui regnum cœlorum priùs fundaret, quàm prædicaret. Itaque quamdiù hæsit in terris, neque Mosis disciplinam solvit, neque suam palàm, ac plenè promulgavit, neque Apostolorum animos, aut crassis illis, quas tu denotas, ignorantiæ tenebris plane liberavit, aut perfectâ mysteriorum suorum cognitione imbuit. At postquàm consummatô redemptionis nostre opere in cœlos enisus, vim divini Spiritûs largissimè effudit in Apostolos, Mosique abrogato Euangelium suum suffecit; tum verò longè alia esse cœpit fidelium conditio. Anteà quidem cùm pauca revelata essent, pauca cognoscere satis erat. Nunc cùm multò plura Dominus patefecerit, non possumus citrà gravissimæ ingratitudinis crimen, fidem iis quæ patefacere dignatus est, negare. Undè jam clarissime nisi fallor, perspicis, quàm infirmum sit tuum illud argumentum,

tum, quô sufficere nobis hodiè generalem quandam Messiæ fidem ex eô collgis, quod hujusmodi fides iis olìm suffecerit, qui Christô adhuc in terris versante, necdum planè penitusque revelatô vivebant. Ego verò ex eâ comparatione mihi videor multò validiùs concludere posse Ecclesiæ sententiam. Nam cùm eorum temporum fideles non possent citrà gravissimum crimen ea quæ ab Apostolis audiebant, respuere; quis non intelligit neque jam nobis licere cætera abjicere, quæ humano postmodum generi ab Apostolis summô Dei beneficiô annuntiata sunt?

Tertia restat tua pro Samosatenianis velitatio, in quâ labefactare conaris, quod ego dixeram eos *idololatras* videri, qui Christum, quem creaturam putant, adorant tamen. Atque hic primùm objicis non eundem illos cultum Christo tribuere, quem Patri; ac in eam rem profers quædam Socini verba, quibus iste negat cultum, qui Christo debetur, esse æqualem cultui qui debetur Patri. Atqui vel ex ipsis illis verbis liquet ejusdem tamen generis esse utrumque cultum; quique Christo impenditur ab eô, qui Patri debetur gradu tantùm & ordine, non etiam statu & specie differre. Alioqui cur iste defendit passim gloriam omnem, quam sibi se uni servaturum profitetur Pater, etiam cum Filio fuisse communicatam? Cur & tam acriter de hoc argumentô cum Christiano Franken, & Franciscô Davidis concertat? Eadem planè olim fuit Arianorum de hoc Chaisti cultu sententia. Itaque qui ab illis Christo

con-

conceditur cultus idem reapse est cum eô, quem Patri deberi consentiunt, summâ mentis demissione, fide, invocatione, gratiarum actione, & cæteris hujusmodi constans, quæ soli vero Deo, nulli autem creaturæ convenire ipsi ultrò profitentur. Hoc tantùm volunt, eum honorem atque cultum primò & per se Patri convenire, & ex ipsius rei naturâ; Christo verò non ex suâ naturâ, sed ex Dei voluntate atque beneplacitô, cæterum necessariò esse tribuendum, postquàm Christus a Patre *Deus* factus est per inaugurationem in munus suum, per resurrectionem, & ascensionem in cœlum. At vel ipsa Socinianorum Catechesis docet in expositione Decalogi interdici a Dominô non modò nè quem præter ipsum pro summô Deô habeamus, sed etiam nequem præter ipsum divinis honoribus afficiamus. Undè colligunt (meritò meâ quidem sententiâ) eum cultum, qui sanctorum manibus a Pontificiis tribuitur, illicitum & idololatricum esse. Ergo quicquid illi de cultûs istius differentiâ garriant, manifestè rei sunt *idololatriæ*, & quidem αὐτοκατακριτοὶ, cùm cultum, qui ipsis fatentibus, uni Deo debetur, Christo tamen deferunt, quem ipsi ψιλὸν ἄνθρωπον esse autumant. Vel hoc certò constituendum, vel fatendum est fumos esse & nugas quæcumque sacræ litteræ tam atrocibus verbis in creaturarum cultores detonāt. Sed hìc vereris nè ego istis hominibus Pontificiisque adeò ipsis, distinctionis illius, quam inter cultus religiosos statuunt, usum firmaverim, quô locô arcam

a veteribus suô quodam modô, adoratam fuisse concedere videor. At tu observare potes me eô locô; non ex animi mei sententiâ, sed ex aliorum hypothesi loqui; quorum sententiam a nostrorum hominum expositione disertissimè discrevi, eam non quidem veram, sed tamen illâ alterâ minùs incommodam pronuntians, quæ λατρείαν arcæ delatam fuisse ponit. Tum & illud velim ut memineris, illam arcæ adorationem, siquam ponerem, eam æquivocè me fuisse intellecturum pro illô honoris & venerationis genere, quod sacris religionis instrumentis, puta sacramentis, & aliis ejusdem ordinis deberi apud omnes in confessô est; a quô ad latriam immanis est intercapedo. Quod verò Pontificios largiùs, graviusque peccare contendis, quàm aut nostri temporis Samosatenianos, aut veteris Arianos, per me quidem id licet; qui de utriusque pestis comparatione parùm sum sollicitus, dum modò utramque pestem esse constet, & quidem letalem, necessarioque vitandam. Quô locô mihi monendus es te perperàm cepisse, quæ in Apologiâ in hæc verba expresseram; *Non sum in alienam conscientiam curiosus; neque jam in eô sum, ut de aliorum factis sententiam feram. Illos olìm Deus judicaturus est &c.* Ista enim perindè accipis, ac si ego simpliciter statuerem nobis nefas esse de cujusquam dictis, factis, aut fide judicare; quod a me portentum avertat Deus. Quid enim? Anne de latronum quidem, & sicariorum, & parricidarum sceleribus, de Mahumedanorum & Sinensium idolola-

c. p. 18.

tra-

trarum, de Pontificiorum & hæreticorum fide judicare licebit? Absit. Sed si attentiùs me legas, videbis hanc mihi eô locô mentem fuisse, non exigere eam, quam illic ago causam; ut qualis sit Pontificiorum de Eucharistiæ negotiô sententia, vera-ne an falsa, anxiè inquiram; Satis esse ad meum institutum, quod mea fides ab illorum dogmate planè sit aliena; Hoc enim semel constitutô liquere, mihi nefas esse invitâ ac repugnante conscientiá cultum, quem illi edicunt, Eucharistiæ deferre. Quod addis *Deo suas judicis partes committendas*, assentior, Id verò quid faciat ad tuam hypothosin, non video. Nam idem ille Paulus, qui Deo integram de hominibus sententiam relinquit, Corinthium tamen illum thori paterni violatorem, mucrone Spiritûs ferire non dubitat; non dubitat iis anathema minari quicumque resurrectionem negant, aut ex lege justificari student, aut quicquam denique *præter* suum *Euangelium annuntiant*. Sed & priscos veteris Ecclesiæ doctores sugillas, quod Arianis *idololatriam* exprobrarent, ipsi in Sanctis, utique creaturis, æquè superstitiosi. Sed quod pace tuâ dictum sit, istorum sæculorum Patres cultum, quem Ariani Christo, eundem sanctorum manibus detulisse, neque tu probas, neque sanè verimile est. Eum verò, quem tu in hanc rem laudas, *de sanctissimâ Deiparâ* Κηρυκτικὸν, non esse Athanasii res & oratio clamat, & Baronius, ac Bellarminus fatentur; neque ullum contrà iturum arbitror, qui genuina Athanasii opera aliquô cum studiô ac judiciô

ciô legerit. Sed neque cæteros illius ævi Patres in eâ fuisse, quam te ipsis affingis, sententiâ, vel ex eô ipsô satis constare potest, quod hoc argumentum contrà Arianos non unus, aut alter, sed plærique, imò omnes (quantum quidem meminisse possum) adhibuerunt. Quis enim credat viros non hebetes, neque infrunitos id tam constanter, tamque vehementer adversariis fuisse objecturos, quod in ipsos retorqueri nullô negotiô poterat? Enimverò, quid argumentis in re clarâ opus? Nam Augustinus, quod tu ignorare non potes, luculentissimè testatur, & quidem non unô in locô, sanctos vitá functos eô dilectionis ac honoris genere a Christianis cultos fuisse, quô homines fide ac sanctimonia insignes, adhuc in hac vitâ constitutos prosequi solemus. Si Arius olim, si nuper Socinus nihil aliud Christo suo deferunt, fateor me iis immeritò tribuisse, quod Christum illum suum adorent. Jam quæ subjicis de mente ac voluntate,retexere piget. Sic enim de his disputas, quasi nullum sit in humanâ mente peccatum. At infidelitatem, ac perfidiam, illamque mentis cæcitatem, quam totiès tam graviter Christus Pharisæis exprobrat, tune crimina fuisse negaveris? Tune scelleratorum numerô eximes stultos illos, ac dementes, quos Scriptura passim, maximè in Salomonis Proverbiis, exagitat? Tu-ne pertendes eô non peccasse sapientes sæculi, quod Christi sapientiam non cognoverint; quod saluberrima ejus monita repulerint; neque eam lucem in animum admiserint?

Atqui

Atqui miseri eam mentis ignorantiam, atque cæcitatem gravissimis olim suppliciis luent. Quô jure, si ea peccatum non fuit? Non est ergo quod in his aliquod præsidium quæras novarum, quas tu ais (de Ephraimitidum credo, genere) *columbarum stultitiæ*. Meritò eas censura nostra vexavit, Oze.7.11 quæ in tam fœdum errorum barathrum seque, & alios non paucos per summam insipientiam præcipitarunt. Nam ut cætera missa faciam, in quibus Sociniani *columbarum* tuarum pullities, evidentissimè desipiunt, tam clara sunt Scripturæ testimonia contrà istorum dogma *de Christi naturâ & cultu*, ut neque Socinus pro Christianô habeat; qui non ex Scripturis didicerit Christum esse adorandum, neque Franken ex eadem disciplinâ edoctus, pro non idololatrâ, qui Christum meram creaturam putans, adorat tamen. In his claram ac perspicuam esse Scripturam vel una hujus Bitii cum isto Bacchio digladiatio comprobat; in quâ cum neuter ictus adversarii ullâ arte satis declinare possit, uterque postremò alter alterius telis confossi ruunt. Quid ergo superest, nisi ut vel istorum disputationibus docti, neutrum nos pro Christianô habeamus, neque qui Christum non putat colendum, quem ut Deum coli Scripturæ exsertissimè imperant, neque qui cultum Deo & Christo debitum putat creaturæ impendendum, quam Scripturæ coli non minus clare exserteque prohibent? eum vero demum pro germano Christiano habeamus, qui cultum neque Christo impera-

peratum negat, neque creaturæ impendit vetitum? qui Christum adeo, quem serio colit, vere & ex animo, non creaturam, sed *Deum magnum*, & *in sæcula benedictum*, ut est, ita esse credit? Nam si quod isti causantur se hoc ex Scripturis hactenùs videre non potuisse, id eos crimine liberat, non video quod jam crimen vel in Ecclesiâ, vel in Republicâ jure damnari queat, cùm nemo sit nocentium, qui non possit similem errorem suo sceleri obtendere. Ubi est in apertô veritas, frustrà occlamat reus se eam videre non potuisse. Ipsa illa ignoratio, quam prætexit, crimen est. Quid enim obstitit, quò minùs legem a Dominô suo clarissimis verbis conceptam ac promulgatam intelligeret? Atque de istis quidem hactenus; quô locô mihi temperare non possum, quin te pro nostrâ amicitiâ obsecrem atque obtester nè de Domini nostri JESU contemptoribus tam molliter sentias; ut qui Christo æternitatis, ac veræ deitatis gloriam per summum nefas eripere moliuntur, cum iis tu habere sustineas, vel in hoc, vel in alterô sæculô, ullum vitæ ac religionis commercium. Neque verò illud ex pestilenti istorum scholâ occinas, non debere nos esse sollicitos quis qualisque sit in se aut Deus, aut Christus. Fateor summa illa esse magnâ religione tractanda, & hoc ipsô istorum impudentiam merito abominor, qui nobis Dei & naturam & scientiam & potentiam circumscribere, Christique Domini mysterium, tanquàm aliquod de Stoâ, aut Academiâ dogma, scrutari, excutere, & pro libi-

libidine refigere insolentissimâ temeritate ausi sunt. Sed tamen illâ modestiæ, & humilitatis specie, vel stuporem pecuinum, vel Academicam licentiam quidvis de Deô opinandi, in Ecclesiam induci non patior. Quasi verò nihil ad pietatem intersit, utrum Deum corporeum & finitum fingas, an incorporeum & infinitum credas? Christum utrum verè Deum, vereque hominem, an vel Dei, vel hominis larvam esse statuas? Certè si hæc placent, tandem etiam concedendum erit profanis hominibus, ut & Deum & Christum cucurbitam esse somnient. Huc etiam pertinere video, quod sollicitas verba illa mea, quibus *corpus Christi adorandum* duxi. Sed res plana est. Nam si homo ille, Christus scilicet Jesus, e Mariâ Bethlehemi natus, & in cruce a Pilatô interfectus, verus est ac æternus Deus, Creator cœli & terræ, quod omnis apertissimè & docet Scriptura, & credit Ecclesia; non video quô modô committi possit meum hoc pronuntiatum cum illô alterô, quô unum Creatorem adorandum definio. Fateor, quod homo iste divino honore colitur, id non deberi ejus vel corpori, vel nativitati, Si tamen homo iste Deus est, & quidem æternus, negari non potest quin divinô honore coli & possit & debeat; tantumque abest, ut hoc posterius dictum cum illô superiori pugnet; ut contrà ex eô evidentissimè conficiatur. Nam si (quod priori locô posui) summum illum Deum, Creatorem cœli & terræ fas est adorare; quis non intelligit, & hunc hominem de Mariâ natum

natum, adorandum esse (quod dixi posteriori locô) quandò is ille ipse est æternus Deus, qui omnia ex nihilo creavit? Eadem mihi mens, quæ Danæo, quæ aliis orthodoxis in hoc argumentô versantibus. Quod postremò annotas de vocabuli *substantiæ* homonymiâ, quod aliis pro essentiâ, aliis pro personâ usurpatum, verum est; neque negandum Athanasio maximam deberi laudem, quis logomachiam olim in Ecclesiâ indè ortam sapientissimè repressit. Atque utinã Socini grex tantùm hactenùs a nobis dissideret, ut de verbis tantùm controversiam faceret; res ipsas intactas sineret! Sed nisi nos ipsi volentes fallimus, confitendum est longe alius esse generis, quàm nobis movit litem. Homo enim impurissimus, & quô post veteres Gnosticos nemo judiciô meô unquam extitit audacior, non verba nobis aut syllabas, sed res ipsas, & quidem gravissimas, ac pænè universas, vocat in controversiam. Quid enim reliquit intactum, qui non Christo, non ipsi Deo pepercit? qui omnia Christianæ religionis dogmata aut evertit planè, aut certè labefactavit? ut nil aliud pensi habuisse videatur, quàm ut quæ omnes omnis memoriæ Christiani sanctissimè crediderant, unus aut velut falsa elideret, aut velut dubia & incerta derideret? Vale, & amori in te meo condona, quod hanc causam fortassè paulò, quàm soleo, commotior tecum egerim. Dat. Lut. Par. a. D. 1634. Non. April.

Episto-

Epistola II.

JOH. DALLÆUS

Viro Eruditissimo N.

S. P. D.


Pistolam tuam accepi d. 15. Maii datam; tam variè temperatam, ut mihi aut facilè fuerit de tuô sensu atque animô statuere; ita disputationi paræneſin, assensui objurgationem ubique permisces. Ego, missis quæ de humilitate, lenitate, aliisque sanctimoniæ Christianæ partibus omnibus confessa aspersisti, quid mihi sit mentis in singulis controversiæ nostræ capitibus breviter, ac bonâ fide repetam, quæque contrà affers, ea pro virili explicare conabor.

Novos Samosatenianos Ecclesiæ communione proscribendos censueram. Tu meam hanc sententiam reprehendendam putavisti, Ego eam, quoad potui superioribus litteris meis confirmavi, & quæ ei impingebas inhumanitatis, & immodestiæ crimina, ut mihi quidem videtur, depuli. Tu quid ad hæc? Perstas in sententiâ tuâ, & meam etiam quam anteà acriùs exagitas, Cæterum nihil, quod equidem animadverterim, novi affers quô vel mea evertas, vel tua affirmes. Nam quod tu mihi invidiam facis, velut Dei munus invadenti, ac de *alienis servis* præter fas *judicanti*; id verô frustrà ac immeritò mihi objectari, jam satis erat

L demon-

demonstratum. Nam si isti, quod defendo, sunt idololatriæ rei, profectò patet non meum, sed Dei esse judicium illud, quod tibi visum est asperius. Neque verò hos sublevat ea, quam obtendis, ignorantia, cùm homines in sacris litteris assiduòs quæ tam clarè istic revelata est, Christi Domini divinitas, atque æternitas minime latere debuerit. Quod si licet salvâ pietate illud Christianæ religionis caput in novi fœderis luce ignorare; non video quidnam tandem creditu necessarium dici possit: Nam & sanctimoniæ documenta similibus nominibus labefactabunt homines sæculo addictiores, eoque tandem deveniendum erit, ut qui vel pluribus mulieribus polygamiæ prætextu miscentur, eos in Ecclesiâ feramus, quod boni viri, & quidem aliô quodam Italô, ipsô quoque Senensi, † duce, sanctissimè dejerabunt se hactenùs ex novô testamentô intelligere non potuisse id genus flagitii a Deô prohiberi. Scio *Dominum irrideri non posse.* Sed an isti & ejusdem farinæ alii *Dominum irrideant*, id vero est, quod quæritur. Nam si ex verbis, si ex professione reverentiæ in sacras literas res decernenda est, profectò non hi magis quàm Sociniani damnandi erunt. Sin verò ex factis, & rebus ipsis (quod nemo, ut puto, negaturus est) non Socinianos magis, quâm istos absolvi par est. Aut de Scripturæ sensu certum aliquid & immotum constituendum est, quod ab ipsâ rerum veritate, non ab hominum judiciô, atque opinione pendeat; aut fatendum est (quod absit) Scripturam inanem nihil aliud

† Bern. Occhino

aliud futuram, quam atque inutilem verborum strepitum. Illa quidem exsertè verbi gratiâ pronunciat *idololatras regni cœlestis extorres esse.* Profectò constituendum est *idololatriæ* vocabulô rem aliquam certam significari, quæ quotiès adsit, homines, qui eam admittunt, facit *idololatras*, quicquid tandem aut ipsi de se, aut alii de iis sentiant. Nam si ad hoc, ut aliquis pro *idololatra* habeatur, id prætereà requiritur, ut ipse se verè *idololatram* esse & sentiat, & confiteatur; clarum est neminem eô nomine donari posse; cùm non modò Pontificii, sed ipsi etiam Pagani, quantumvis eos cultus exerceant, quos Scriptura hoc vocabulô censet, putent tamen ac jactent se ab idololatriæ crimine longissimè esse remotos. Itaque si vis efficere Socinianorum communionem esse tolerandam, tibi horum alterum probandum incumbit, aut non adorare istos creaturam, aut certè creaturæ adoratores non esse ab Ecclesiæ communione arcendos. Nam si hæc duo vera sunt, quicquid ipsi de se vel senserint, vel dixerint, certissimum est eos ab Ecclesiæ communione citrà ullam temeritatem, aut immodestiam proscribi posse; imò etiam debere. Neque eò, quod sic sentio, puto me ullum in alios imperium sumere, aut verò singularem aliquam Dei revelationem, aut eximiam denique morum sanctimoniam mihi arrogare; quod si facerem, meritò sane illa in me vibrares, quæ paulò commotior stilô pæne declamatoriô interrogas, *An a vobis sermo Dei profectus est?* & cætera, quæ apud te sequuntur. Fateor

 enim

enim ultrò me neque ullô esse singulari ingenii acumine, neque verò eâ morum excellentiâ, ac puritate, cui solet Deus Parascleti sui lucem eximiam affundere, neque denique eâ in Scripturis versandis diligentiâ, quæ non quemvis deceat mei ordinis hominem. Sed quantumvis cætera penitiùs introspicere tum ingenii tarditate, tum peccatorum labe præpeditus non potuerim, illud tamen mihi videor ex Scripturis per Dei gratiam hausisse atque didicisse, nullum esse religionis commercium cum iis hominibus habendum, qui creaturam aliquam divinis honoribus prosequendam putant. Fateor Christum frustrà jactari ab iis, in quorum moribus & vita nulla elucet caritas. Sed neque iis propitium fore Christum arbitror, qui pietatem Deo debitam in alia transcribunt, quantalibet affulgeat in eorum vitâ caritatis atque honestatis species. Neque sanè adduci possum, ut credam eos Scripturas verè & ex animô venerari, qui tam liquidum, tamque constans earum dogma aspernantur. Itaque quos tu tibi fingis Socinianos eam, quam verbis profitentur, reverentiam verè & re ipsa Scripturis exhibentes, eos ego habeo pro tragelaphis. Ii enim si Scripturas ex animô venerarentur, eam, quam istæ totiès, tamque clarè deprædicant, Christi nostri æternitatem confiterentur. Sed ais istos nobiscum in plurimis consentire. Quasi verò ulla fuerit unquàm vel hæreticorum, vel etiam Paganorum secta, quæ non complura nobiscum communia habeat. At (inquis) ea de quibus

bus consentiunt, fundamentum sanctimoniæ magis constituunt, quàm ea in quibus dissentiunt. At (inquam ego) fundamentum sanctimoniæ eò planè evertunt, quod pietatem uni summo Deo debitam, alicui creaturæ putant exhibendam; Non enim eum, credo, pro sanctô habebis, qui idem sit impius. Sanctimoniæ illud, quod ais, fundamentum ex pluribus dogmatis constat, quorum si vel unum labefactaris, ipsam indubiè sanctimoniam subruisti. Itaque quod Socinus aliqua ex pietatis & sanctitatis fundamentis integra servavit, eo non est magis ab istô, de quô agimus, crimine immunis, quàm qui subversô unô, atque alterô ædificii fundamentò reliqua sivit intacta. Sed & ipsa illa, quæ retinuit Socinus, quàm miserabiliter deformavit? Christo ut divinitatis, sic mediationis titulum non invidit (fateor) rem ipsam planè sustulit. Quod autem Christo in hac parte reliquit, id ad sanctitatem aut nihil, aut parùm valet. Nam is, qui Christo debetur amor, & quô unô præcipua sanctimoniæ pars continetur, idem ipse est cum eô, qui debetur Deo Opt°. Max°. At quæ Christo tribuit Socinus, illa (fateor) eô valent, ut Christum tanquàm magnum aliquem, & sanctitate ac virtute præstantem virum diligamus, ac vereamur; Ut verò eum tanquàm Deum, amemus, atque colamus, eò certe non valent, teste ipsô Franken, & aliis ex istorum grege, qui quod de Christi naturâ paria cum Socinô sentiant, honores ei divinos præfactè negant. Sed vetas me alicubi

istius cum Faustô diffidia in hanc causam trahere, nè scilicet Pontificii nostrorum cum Lutheranis certamina in suam quoque scenam inducant. Equidem assentior nemini exprobrandum, quod non omnibus placere potuerit. Scio veritati id sæpè, ac pænè semper contingere. Neque verò mihi mens fuit Frankeni a Socinô divortium, tanquàm idoneum totius causæ elenchum afferre. Tantùm id volui, quod dixi, vel ipsas istorum inrer se disputationes nos monere Christum æternum esse Deum. Hactenùs de communione Socini. Virum ipsum dixi antiquitatis imperitum. Quid-ni dicerem? Sic enim mihi visus est, dum ipsum legerem. Neque aliud suaserunt paucula, quæ interdum ex Ignatiô (ni fallor) & Irenæô & Justinô, & Lactantio aspergit. Nam si pro antiquariis habendi quicumque hujusmodi flosculis opera sua coronant, profectò nemo non erit hoc quidem sæculô antiquarius. Sanè qnod tu ex Sozomenô adfers Photinum ingeniô, & quâ valebat facundiâ multos ad se pellexisse; vides ipse quàm id longè absit ab eô quod jactabat Socinus fuisse olìm tempus quô sui commatis homines numerô atque auctoritate cæterisChristianis anteirent nonnullis in regionibus. Jam ad illud venio, quod dixeram, quodque tu aliô in locô putasti vexandum, diversas fuisse Dei cum humano genere salutis dispensandæ rationes. Objicis *Christum Iesum unum & eundem esse heri & hodie, & in sæcula*; neque *aliud nomen datum sub cælo, in quo sit salus*. Sed quis id negat? Non ego quidem

dem certè; qui firmissimè credo neminem unquàm mortalem, nisi per unum Christum, servatum esse; quod profectò non credit Socinus. Hoc tantùm volo, salutem illam, quæ & unica, & ab unô Christô est, variis temporibus diversimodè hominibus fuisse revelatam, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως; Itaque (quod exigebat præsens causa) non omnium temporum & locorum homines ad eadem aut credenda, aut agenda fuisse omnes pariter obstrictos. Cæterùm quæ Deus semel clarè in verbô suô revelavit, quæque credi jussit, ea homines, quibus illius verbi fit copia, credere debere, neque posse sinè gravi peccatô veritatem revelatam respuere, ego quidem arbitror. Tu verò id-ne concedas, an neges, scire velim. Tua enim omnis oratio ita hoc locô perplexa mihi visa est, ut mentem tuam penitiùs perspicere nequiverim. Huc etiam pertinet, quod in extremâ epistolâ mones nè ex novi quidem testamenti libris apparere excellentiorem jam a nobis exigi caritatem, quàm quæ olim a fidelibus sub Mosis disciplinâ exigebatur. Certe & a fidelibus illis exigebatur caritas, & quidem ejusdem cum nostrâ (ut loquuntur) *speciei*. Omnium enim fidelium, quotquot unquàm extitere, sanctimonia sita est in sincerô & eximiô Dei & proximi amore. Sed neque obscurum est diversos esse illius sanctimoniæ, veluti lucis diurnæ, gradus; & a nobis sub novô testamentô accuratiorem quandam, magisque exquisitam sanctimoniam posci, quàm quæ a veteribus requirebatur; idque

 equi-

equidem miror abs te fuisse negatum. Nam cui plùs concessum est gratiæ & lucis, ab eô quoque plus deberi amoris & obsequii satìs constat. Nobis verò plùs gratiæ & lucis sub novô Testamentô, quàm Judæis olim sub veteri, donatum esse, & tu ultrò confiteris, & verò res ipsa clamat. Sunt enim nobis reserata quæ cæteris generationibus fuerant ab æternô clausa immensæ Dei misericordiæ mysteria. Christus *per Euangelium vitam & incorruptionem illuminavit*: Summum ac pænè incredibile divini in nos amoris specimen exhibuit, peccati fœditatem planissimè patefecit, viam immortalitatis disertissimis præceptis, ac luculentissimis exemplis munivit; omnia denique argumenta, quibus animus humanus aut a vitiis absterreri, aut ad sanctitatem incitari potest, in lucem multò, atque incomparabiliter, quàm unquàm anteà, majorem protraxit, omnibusque mortalibus ob oculos posuit. Itaque nos Deo multò nunc arctiorem, atque accuratiorem, quàm unquam anteà, fidem debemus, ideoque & ardentiorem proximo caritatem, cum gemini hujus amoris eadem sit ratio. Undè est quod Paulus veteres illos *servis*, nos *liberis*; illos *pueris*, nos *adultis* comparavit. Jam ab adultis, quàm a pueris sanctius atque nobilius obsequium exigi nemo nescit. Sed cætera propero. Dixeram immeritò castigari Pharisæorum cæcitatem, si mentis error peccatum non est. Tu respondet isto tam ignorantiam doli & arrogantiæ minimè fuisse expertem. Ego, inquam, istorum arro-

rogantia (si tamen ea voluntatem infecit) reprehendi debuit; ignorantia (si ipsa peccatum non est) aut laude, aut certè commiseratione, non autem animadversione, digna fuit. Atqui ea reprehenditur, & quidem gravissimè. Eam itaque ipsam peccatum fuisse necesse est. Rogas, quid sit peccati in simplici mentis opinione? Quasi verò non peccet, qui Deum opinatur aut injustum esse, aut mendacem. Boni, malique nomina habituum moralium complexonem in homine denotant, quorum sedes partim in mente, partim in voluntate. Eô fit, ut neque bonos, neque malos dicamus, quibus mens sola aut viget, aut laborat. Sed nè eos quidem istis nominibus appellamus, quorum sola voluntas aut sana, aut ægra. Fingamus enim (si tamen fingi potest animô tam horribile portentum) fingamus, inquam, hominem qui in Deum, rectaque omnia cœcô quodam appetitu feratur, non secùs ac belluæ in objecta suæ naturæ congrua, sinè ullâ intellectûs & cognitionis luce. Is profectô non erit bonus. Is enim demùm bonus est, qui virtutem atque sanctitatem, non impetu, sed judiciô, non brutô instinctu; sed certâ ratione sectatur. Hoc unum fateor, quod non semel monui, tum minimè noxiam esse ignorantiam, ubi vel res in obscuro latent, vel deest acies, quâ cernantur in apertô positæ. Quò spectat illa Domini vox, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Nam si Pharisæis vel nulla, vel obtusa mens fuisset; si nullâ divinorum oraculorum cognitione imbuta; si omnibus iis

copiis, atque opibus destituta, quibus Christi divinitas certo deprehendi poterat; quis dubitat, quin eorum in repudiandô Christô peccatum, longè levius futurum fuerit? At in tantâ lucis copiâ tam clarè fulgentem veritatem ignorare, gravissimum fuit scelus; quô nomine & *cæci* alibi dicuntur; quod licet in ipsô meridie positi res objectas nihilò magis cernerent, quàm si oculis ac mente capti fuissent. Ex his jam vides, quàm vel *ἀπροσδιόνυσα*, vel infirma sint, quæ subjicis; *Vbi non est lex, ibi non est trangressio. At mihi lex non est, quæ mihi non innotuit, quamcumque adhibuerim orando & laborando operam.* Nam si de iis agatur, quæ vel planè abdita in mentis divinæ mysteriis delitescunt, vel tam obscuris, tamque involutis verbis expressa sunt, ut (quod Aristotelem de suis opusculis dixisse ferunt) *pro non editis haberi possint*; haud equidem pugno, quò minùs talia sinè crimine ignorentur; dummodò revelationis vel obscuritatem, vel perspicuitatem ex ipsis rebus, atque ex iis, quibus explicatæ sunt vocabulis, non autem ex hominum judiciis atque sermonibus metiamur. Nam vitilitigatoribus Sol ipse obscurùs est; ut repertum olim ferant, & quidem de philosophorum gente, qui juraret atram sibi nivem videri, Quò minùs mirere si nostri illi de Socini schola sophistæ sanctissimè dejerant nullis se unquàm laboribus, nullis lucubrationibus, aut studiis in Scripturâ deprehendisse, quam cæteri pænè omnes mortales nullo negotio statim in ea pervident, Christi nostri divinitatem. Sanè neque

neque Christi cultum atque adorationem in eadem videre Franken potuit, quantumvis facem præferente & allucente Sociniô. Nimirum homines vel suis præjudiciis jam excæcati, vel gloriæ studiô, vel pravô aliô affecta præpediti Scripturas ideò evolvunt, non ut earum magisteriô divinam sapientiam addiscant, sed ut clarissima quæque & maximè in iis obvia suis offuciis obscurent & implicent. Una hæc eorum cura; unus labor; Eò collineant omnes istorum lucubrationes; quod vel Socini testimonio satis liquet alicubi narrantis suam illam longe absurdissimam, atque impudentissimam in Johannis 8. 58. cavillationem, multis jejuniis, multisque lacrymis, atque orationibus suo nescio cui præcentori Lælio constitisse. Quæ postremo subjicis de inscrutabili numinis naturâ, ea lubens exosculor, dummodò nè præclarô illô ἀκαταληψίας nomine Deum nobis *fungum*, aut Christum *crustulum* somniare concedas: quod Augustinus, sat scio, nunquam fecerit, quantumvis in Deô indagandô sobrius. Nam & *illa Dei posteriora*, quorum intuitu te tuosque posteros beari cupis, atque etiam optas, non video cur tota ad nos referri censenda sint; non autem aliquatenùs ad ipsum etiam Deum, qualis in se est, pertinere. Utcumque sit, illud certè non negabis fas esse nobis pro certô & exploratô habere Christum esse verum hominem, & verum Deum; quod mihi satis est ad jugulandam totam hanc tuam de Samosatenianorum communione disputationem. Vale. Dat. Lutetiæ Paris. d. 9. Kal. Sext. a. D. 1634.

Ad Aurelianensis Episcopi orationem

Responsio APOLOGETICA.

De admissis ad communionem nostram Lutheranis, ac de aliis quibusdam capitibus. a. D. 1636. scripta Gallice, neque antehac edita.



Uper prodiit oratio D. Nicolai Denets Episcopi Aurelianensis, die XVII Februarii proxime elapso, Cleri Gallicani nomine apud Regem habita; in qua ille de sui ordinis in nos lenitate, caritate, ac συμπαθείᾳ, deque sua moderatione quædam diserte præfatus, Ecclesias nostras trium insignium ac capitalium criminum reas sane haud leniter agit; primo quod leges publicas effræni licentia violare ausæ sint; tum quod nullas in
p. 10. suis Psalmis preces pro Principis salute atque incolumitate concipiant; denique quod res sacras multis modis prophanare, ac blasphemiis impetere non dubitent. Gravis accusatio, si res verbis responderet. Sed non adeo obscura est nostra innocentia, ut una adversarii affirmatione possit vel obrui, vel etiam in suspicionem vocari. Ac id inprimis quod queritur Episcopus leges publi-

blicas a nobis violari, ne speciem quidem ullam habet. Cui enim fiat verisimile siquid hujusmodi a nobis tentaretur, id impune in eo regno futurum, cujus magistratus sunt & vigilantissimi, & a nostra pæne omnes religione, ab omni adeo in nos gratia, aut favore alieni? Pugnat tamen accusator nos edicti Regii, sub cujus umbra ac tutela vivimus, fidem ac legem violasse; quod ut Regi persuadeat, narrat primo Synodum Nationalem a. D. 1631 a nostris Carentonæ habitam decrevisse, ut Lutherani ad sacræ Cœnæ communionem apud nos admittantur; Tum addit Dallæum, Carentonensis cœtus ministrum, multo longius postea progressum, Græcorum de Spiritus Sancti a solo Patre processione errorem elevare, & Romanam religionem cum Genevensi permiscere, & ex omni hæreseon colluvie non plures, quam octo quasdam sectas rejiciendas, ac proscribendas, cæteras omnes, velut adiaphoras, ferendas, & sine discrimine habendas edicere. Hæc sunt, quibus Episcopus calcatam a nobis demonstrat edicti Regii majestatem; ob quæ Principis in nos animum inflammat; ob quæ ignem & ferrum expediri, & in nos velut omnium nocentissimos animadverti deposcit. Nos jam ad singula consistamus, & horum unumquodque quam vanum, ac futile sit demonstremus. p. 12.

Quod de Lutheranis primo loco objicitur, ita se habet. Lugduni (quam civitatem nemo nescit peregrinis hominibus tum ob situs opportunitatem, tum ob mercaturas,

& alias artes, abundare) cum Germanus quidam vir pius, & in nostrorum cœtibus frequens, ex eo Protestantium ordine, quos Lutheranos vocant, testatus esset se cætera doctrinæ ac disciplinæ nostræ ita probare, ut etiam nobiscum communicare & cum quodam e nostris affinitate conjungi paratus esset, modo nequam apud suos hausede Dominicæ in sacramento præsentiæ ratione sententiam mutare cogeretur; fratres, qui in nostri ritus Ecclesia istic præsident, quod nullum aliud simile exemplum vidissent, & scirent brevi tertio aut quarto abhinc mense habitum iri Synodum, rem dignam censuerunt, de qua ad eam referrent. Itaque Synodus, quæ Carentonæ eo ipso anno, hoc est 1631. cum bona Principis venia, præsente V. Clarisso. Augusto Gallando, Regio, ut loquimur, Commissario, convenit, a Burgundicarum Ecclesiarum, in quibus Lugdunensis censetur, Delegatis ea de re consulta, in hunc modum respondit, ut ex Actis Synodi patet, quorum verba ipsa hic discribere operæpretium putavi; *Quæsiverunt provinciæ Burgundicæ fratres, an Germanos, & alios Augustanæ confessionis fideles in Ecclesiis nostris liceat absque prævia eorum, quæ aliter quam nos sentiunt, abjuratione ad contrahendum cum nostris mulieribus matrimonium, & ad offerendos ad sacrum baptismum parvulos admitti; Synodo placuit, Quando Augustanæ confessionis Ecclesiæ cum cæteris Reformatis de veræ religionis principiis, fundamentalibusque capitibus consentiunt, & cultu utuntur puro; & ab omnis idololatria, & superstitio-*

stitio-

ſtitione immuni. ut ſi qui dictæ confeſſionis fideles ad pnblicas religionis noſtræ collectas cuus caritatis, veræque pacis ſpiritu conveniant, & cum noſtris communicare cupiant, eos liceat abſque prævia abjuratione ad ſacram menſam participandam, ad matrimonia cum noſtræ confeſſionis perſonis contrahenda, & ad parvulos ad baptiſmum offerendos admittere; ita tamen, ut apud presbyterium ſancte ſpondeant nunquam ſe hujuſmodi perſonas vel directe vel indirecte ad quicquam ſollicitaturos, quod cum recepta apud Eccleſias noſtras doctrina non congruat. Hæc omnino fuit illa Synodi noſtræ ſententia, quam nunc adverſarii tantis clamoribus exagitant; quam univerſus Cleri Gallicani conventus apud ipſum Principem deferendam, dirique criminis atrocibus verbis accuſandam exiſtimavit; veluti *eâ ex compoſito ac meditato ſcelere manifeſte contumelioſeque violata ſit a noſtris edicti Regii majeſtas.* Orat. p. 11. 12. Hic in primis mirabile eſt Synodi crimen *manifeſtum*, ac (ut ipſi loquuntur) *notorium* fuiſſe; non fuiſſe tamen a Gallando, viro univerſi noſtri juris conſultiſſimo, notatum: Ille, cum procax, & in Principis edictum contumelioſa ſententia rogaretur, cum diceretur, cum pronunciaretur, cum in tabulas referretur, præſens in Synodo aderat; pro Principis jure ab ipſo lectus & miſſus cum ampliſſima poteſtate, vigilabat. Non interceſſit; non eſt queſtus violari publicas leges. An jus neſcivit? Atqui ei omnes edicti apices melius noti, quam vel ſuæ Epiſcopis mitrę. An Principem volens prodidit? Atquihoc de viro fidei toties a Principe in hujus generis negotiis probatę, laudatęq; ne

ipſi

ipſi quidem Epiſcopi ſuſpicabuntur. Sed quid ego in Gallando hæreo? Ille ſoluto conventu omnia Synodi acta ſtatim ad Principis Conſiſtorium detulit; cum Comitibus Conſtitorianis, viris ampliſſimis, communicavit, & in ſacris ſcriniis depoſuit. Ne eorum quidem quiſquam fuit, qui hoc ingens ſcilicet, & *notorinus* crimen in Synodo notarit, deprehenderit, nobis exprobrarit, ad Regem, cujus res agebatur, detulerit. Totos annos quatuor ignotum jacuit, ac latuit Synodalis ſententiæ crimen. Soli id Epiſcopi anno demum quinto deprehenderunt; imo ne ipſi quidem deprehenderunt, ſed a Franciſco Verono, notiſſimi pudoris ac judicii homine, crebro moniti & excitati tandem exclamarunt. Sed & Miniſtros Regios (quod non eſt prætermittendum) idem ille Veronus non minùs antea fatigarat quam nunc fatigavit Epiſcopos; apud cancellos Principis, apud Cognitorem Regium aſſiduus fuerat; in concionibus, & circulis tumultuatus erat; libellis in vulgus ſparſis Synodum laceraverat; neque tamen quemquam Miniſtrorum Regiorum commoverat. Ergo vel ex his liquet Synodalis ſententiæ crimen *notorium* non fuiſſe; imo ne fuiſſe quidem ullum, quod ſi fuiſſet aliquod, fieri profecto non potuiſſet, ut Gallandum, ut Regios miniſtros, juris, edicti, legum ſtudioſiſſimos tamen lateret. Totum id crimen unus pro ſua ſapientia, pro ſuo pudore, pro ſuo in nos amore finxit Veronus. Fraudem ac impoſturam hominis facile vidiſſent ipſi Epiſcopi, niſi inveterata quic-

quorundam in nos odia obstitissent; quibus quicquid contra nos dicitur, statim verisimile, verumque est. Quod enim est, obsecro, nostrum illud tam invidiose vexatum crimen? Quam hæc Synodi sententia legem pulsavit? Quod edicti regii caput, quem apicem violavit? Lutheranos ad sacra nostra admisimus. Quæ lex id vetuit? Evolve totum regiarum de nobis legum codicem. Nullum paragraphum reperies, quo id sit interdictum. Certe Synodis ex edicto licet, quæ ad Ecclesiæ nostræ disciplinam pertinent, ea tractare, definire, constituere. Jam quis non videt ad Ecclesiæ disciplinam id pertinere, de quo quæsiverunt fratres, an Augustanæ confessionis hominem ad communionem nostram a nobis admitti fas sit? Ergo Synodus quod hanc quæstionem vel tractavit, vel definivit, eo nihil in edictum commisit, sed plane ex edicti lege se gessit, dum potestate sibi a Principe in edicto concessa usa est. At vobis (inquit accusator) ex edicto Regio unam vestram religionem in Francia exercere licet; cujusquam alterius exercitium inducere non licet. Synodus autem vestra aliud statuit, dum Lutheranos admittit. Hæc sparsisse, ac suggessisse Veronum, non miramur; Eadem Episcopos jactare, merito, ut nobis quidem videtur, indignamur. Nam illum quidem, qui rationi nuntium remisit & bellum publice indixit, ea cogitare ac loqui, quæ a vero, & a ratione abhorrent, consentaneum est; Hos, quibus ipsa status sui dignitas veritatem, ac gravitatem com- Orat. p. 11.

mendat, non decebat homini vaniſſimo credere, & quæ ille temere mero calumniandi ſtudio ſomniavit, ea arripere, & apud Regem ipſum proferre. Quid enim vanius, aut mendacius dici poteſt, quam quod his ſuggeſſit Veronus, Synodum ſcilicet *aliud religionis exercitium apud nos induxiſſe? Aliam religionem, aliud religionis exercitium inducere*, eſt, ut liquet, eâ deſertâ, quam hactenus ſecutus ac profeſſus eras, aliam diverſam ſequendam ac profitendam decernere, vel aliis certe tua auctoritate concedere, ut a recepta religione deſciſcant, & ab ejus cœtibus diſcedant, alios ipſi ſeorſum inſtituant, in quibus diverſa a ſolennibus ſacra faciant. Palam eſt Synodum nihil hujuſmodi tentaſſe. Nullum in tota ejus ſententia verbum eſt de alia religione apud nos inducenda; nullum de re ulla præter conſuetum apud nos ritum innovanda. Non aliam, quam quæ hactenus apud nos fuit; vel Cœnæ Dominicæ, vel publicarum, ſolenniumque collectarum formam, aut rationem inſtituit; Nihil ſuo loco vel ordine movet, omnia integra & intacta ſinit. Neque vero Lutheranos e ſedibus ſuis excitos in Galliam noſtram evocat, vel iis concedit, ut hic proprias ac peculiares, ſui nominis, ſuive ſeorſum ritus Eccleſias deinceps habeant, & tertium quoddam religionis corpus conſtituant; quod ſi faceret, in Regem, cujus hæc unius poteſtas eſt, graviter (fateor) peccaret. Sed neque iſtorum quicquam vel fecit, vel dixit, vel cogitavit Synodus. Hoc unum tantum, quod ſui ex edicto

dicto juris est, decernit, *siqui ex Augustanæ confessionis fidelibus* (iis nempè qui apud nos, permittente Principe, vel sedes fixerunt, vel certe peregrinantur, & ad tempus commorantur) siqui, inquam, ex istis, *cum caritatis, ac pacis Spiritu* publicas Ecclesiarum nostrarum in hoc regno collectas frequentent, & ad eas conveniant, & cum iis communicare cupiant, ut hos ad sacram cœnam admitti fas sit. *Collectas* dicit, sed nostras: non sectæ alicujus recens superinductæ occultas, sed Ecclesiarum nostrarum *publicas*. Cœnam itidem intelligit, non alienam, sed nostram. Hæc ergo sacra, quorum nobis exercendorum potestas edicto Regio facta est, manere vult immutata & illibata; nihil aliunde superinduci patitur: Ad hæc ipsa, non ad ulla alia, Augustanæ confessionis homines admittit. Ac eos quidem (quod observandum) ad hanc communionem non cogit invitos, non urget abnuentes, non allicit incautos, non de aliis cogitantes sollicitat, sed ultro venientes suscipit, suoque se judicio ac voluntate offerentes colligit. Non concedit, ut in diversam communionem coëant; sed cupientibus suæ copiam facit. Quid modestius, quid sanctius fieri poterat, aut ab omni novandæ religionis consilio remotius? Quo & illud pertinet, quod ne alios quidem admittit, quam qui *caritatis & pacis Spiritu* præditi, adeoque ab omni turbarum, ac novitatum studio alieni sunt, ut siqui ex istorum genere lites serere, constituta convellere, composita dividere, aut novum aliquid inducere velint, vel conen-

tur, eos Synodus procul a nobis, & a nostris facessere jubeat. Quin & illud diserte insuper cavet, ne istis fas sit *nostros directe a doctrina apud Ecclesias nostras recepta avocare, vel abducere.* Ex quibus jam constat falsissimum esse, quod Veronus Episcopis per immanem calumniam suggessit, ac persuasit, hac Synodi sententia *religionem a nostra diversam apud nos contra publicas leges induci, & Lutheranismi, vetitæ sectæ exercitium, in Galliam admitti.* Atqui nullius religionis, præter quam nostræ, vel collectas, vel sacra, vel ullum omnino publicum, ac solenne exercitium a Synodo vel institui, vel concedi, vel etiam nominari, aut significari, palam est. Quod vero negant adversarii Lutheranos recte a Synodo ad sacrorum nostrorum communionem admissos esse; id alio pertinet, & ab invidioso edicti violati crimine procul abest. Illa enim quæstio, *an Reformatus Lutheranum secum in sacris communicare volentem a mensa sua arcere, an ad eam admittere debeat;* Theologica est, non politica; in scholis non in Principis consistorio; vel apud judicum tribunalia, agenda ac ventilanda. Hanc decebat Episcopos, si nostræ Synodi decretum minùs probabant, graviter ac modeste agitare, suæque nobis sententiæ rationes placide, ac sedatè explicare; non, quod fecerunt, nos apud Principem iniquissima, atque odiosissima accusatione immerentes, ac innocentes insectari. Sed quando omnis ista invidia jam satis a nobis depulsa esse videtur; age nequid supersit in hac causa dubium, vel obscurum, breviter nunc duo quæ-

quædam refellamus quæ adversarii huic Synodi de Lutheranis judicio objiciunt; quorum prius quidem inde petitur, quod Lutherani de quibusdam religionis capitibus, maxime vero de Eucharistia, aliter quam nos, sentiant; posterius vero a majorum nostrorum auctoritate, sumitur, quos isti aliter de Lutheranis olim judicasse volunt, quam nostram nuper Synodum; priorem objectionem Synodus ipsa occupavit, dum in hoc suum decretum ita præfata est, *Quando Augustanæ confessionis Ecclesiæ cum cæteris Reformatis de veræ religionis principiis, fundamentalibusque capitibus consentiunt, & cultu utuntur puro, & ab omni idololatria & superstitione immuni &c.* His enim verbis tria quædam suæ sententiæ sapientissime præstruit; quorum primum est, Ecclesiarum Christianarum dogmata ac instituta non esse omnia unius ejusdemque generis; sed alia quidem ad ipsius salutis fundamenta ita arctè pertinere, ut absque iis haberi non possit salus; alia vero non ita cum salute, & fide, quæ ad eam necessaria est, cohærere, ut qui ea vel nescit, vel etiam repudiat, servari non possit. Secundum est, qui prioris generis dogmata evertunt, nullam cum iis in sacris communionem esse vel colendam, vel ferendam; qui verò aliquod posterioris generis dogma vel nesciunt, vel etiam respuunt, si modo ipsa veræ religionis fundamenta teneant, & nobiscum vivere, nostraque societate frui animo placido velint, eorum communionem tolerandam esse, non aspernandam. Tertium denique est Lutheranos ipsa

ſa Chriſtianiſmi fundamenta nobiſcum Dei gratiâ retinere omnia; neque quicquam vel docere, vel ſequi, quod ea per ſe ac recta fronte oppugnet, vel evertat. Ex his porrò ita poſitis, neceſſario ac evidenter ſequitur, quod Synodus poſtremò decernit, nimirum ſiqui Lutherani ſint, qui ex vera ſinceraque caritate nobiſcum placide vivere, noſtriſque ſacris uti ac frui velint, licere eos ad communem Domini menſam admittere, tametſi de paucis quibuſdam aliter ſentientes; jam nemo non videt, quam caſſa fluxaque ſit adverſariorum objectio. Quod enim afferunt, iſtos, quos menſa noſtra dignamur, aliter quam nos de Euchariſtia, deque aliis nonnullis minoris momenti ſentire; id nunc omnes intelligunt nullam per ſe ad hoc, quod inde concludunt, conficiendum vim habere poſſe, niſi prius demonſtraverint, vel cum iis ſolis eſſe communicandum, qui nobiſcum plane de omnibus, etiam minimis in religione, conſentiunt; vel certè non eſſe ea, de quibus Lutherani a nobis diſſentiunt, ex eo rerum genere, in quibus aliqua, etiam inter fratres, diſſenſio ferri poſſit. Prius pugnat non modo cum recta ratione, ſed etiam cum omnium Chriſtianorum praxi; quorum vix
Rom. 14. 2, 3. Phil. 3, 15. ulla unquam fuit ſocietas, quæ non ferret aliquos aliter de quibuſdam ſentientes. Paulus, cujus exemplum lex nobis eſt, tradit fuiſſe quoſdam, qui licere ſibi non putabant omnibus veſci, & hos tamen ab iis, qui omnia manducare licere ſibi credebant, ſperni vetat. Idem alibi diſerte præcipit, nè

eos

eos abjiciamus, qui aliter quam nos, ſapiunt. Juſtinus Patrum, quorum ſcripta ſuperſunt, Clemente excepto, vetuſtiſſimus, teſtatur nonnullos Chriſtianos ſuo adhuc tempore Moſaïcos ritus obſervaſſe; quos non diſſimulat a quibuſdam ita rejectos fuiſſe, ut neque hoſpitii cum iis communionem habere auderent (Neque enim unquam ferè deſunt tales præfervidi ingenii zelotæ) Quid ad hæc Sanctiſſimus Chriſti Martyr? Ille vero ſe profitetur hanc ſeveritatem minime laudare; ſtatuitque oportere ipſos illos Judaizantes, ſi modo de cætero in Chriſtum credant, & Euangelicam diſciplinam teneant, & cum aliis Chriſtianis, & fidelibus vivere velint, neque eos ſecum Judaizare cogant, *recipere, & ad communionem rerum omnium, ut eorumdem viſcerum homines, ac fratres admittere,* προσλαμβάνεσθαι καὶ κοινωνεῖν ἁπάντων ὡς ὁμοσπλάγχνοις καὶ ἀδελφοῖς. Lutheranorum a nobis diverſitas non modo non major, ſed etiam multò minor eſt quam iſtorum a Juſtino, & ab aliis Chriſtianis fuit. Merito ergo ſanctiſſimi viri lenitatem Synodus in Lutheranos æmulata eſt. Scimus proximis poſt Juſtinum temporibus Polycarpum ab Aniceto Romæ Epiſcopo, tametſi aliter de Paſchate ſentientem, ad ſacram menſam, non modo admiſſum, ſed etiam invitatum fuiſſe. Et cum paulo poſt ab Aniceti lenitate diſcederet Victor, ſcimus non fuiſſe ab eximio, vereque ſui nominis viro, Irenæo laudatam ejus ſeveritatem. Sed & ſecutis temporibus Dionyſium Alexandrinum legimus plurimorum Patrum, qui vel paulo

Juſt. Dial. cum Tryph. edit. Comme. p. 206. lin. 20. & ſeqq.

Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 26. edit. Gr. ibid.

ibid. l. 7. c. 23, 24.

ante vixerant, vel tum etiam florebant, de millenario apud Hierosolymam regno errorum strenue refutasse; quemquam ob eum errorem excommunicasse non legimus. Cypriani par fuit in dispari causa caritas, qui Stephanum, & alios multos de ministrato ab hæreticis baptismo, plane contra quam ipse cum suis Afris docebat, sentientes, ferendos tamen, neque a sua communione rejiciendos existimavit. Hieronymus, tametsi alias acris & ardentis animi, Dionysii tamen moderationem non paucis post eum annis, est imitatus, Chiliasmum somniantes sic refellens, ut etiam demulceat, pæne timens ne eorum amicitiâ multetur. Eandem Hieronymo mitissimus Augustinus reverentiam exhibuit, sic in nonnullis ab eo dissentiens, ut communionis & fraternitatis, jura integra servaret. Dies me deficiet si hujusmodi Christianæ antiquitatis exempla omnia referre voluero: ex quibus cuivis constare potest veteres illos putasse (quod alicubi est apud Augustinum) præter ea, *quæ ad ipsa fidei fundamenta pertinent* (in quibus scilicet omnes consentire necesse est) *alia esse, in quibus inter se aliquando doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores salva fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius.* Sed nihil opus est vetera & aliena referre, cum palam sit & nos, & adversarios ita instituere & factitare, ut etiam apud utrosque multi ferantur diversa sentientes. Apud hos quidem *de Dei gratia & auxiliis* aliud Jesuitæ, aliud Dominicani, & Oratorii Presbyteri sentiunt

Aug. l. 1. contra. Julian c. 6. T. 7. p. 370. edit. ult.

tiunt ac docent. Notum est quanta apud eosdem fuerint, quantaque etiam hodie sint Canonistarum cum Sorbonicis, *de Papæ supra Concilium potestate*; quanta Franciscanorum cum Dominicanis *de B. Virginis conceptione* certamina. Et nunc fervent Sorbonæ *de Episcopatus in qualibet Ecclesia necessitate*, deque *Confirmationis sacramento*, & aliis non paucis nobilissimæ adversus Jesuitas disputationes. Quid Theologorum cum Canonistis *de Papæ in temporalibus potestate*, quid Episcoporum cum Monachis *de religiosorum statu*, quid Thomistarum & cum aliis *de crucis adoratione*, & cum Scotistis de omnibus fere religionis capitibus lites, rixas, ac digladiationes memorem? Tanta sententiarum est apud istorum Theologos de rebus Iren. c. sacris diversitas, ut Pareus noster ad 239. 26. quæstiones numeravit, de quibus illi inter se dissentiunt. Et tamen hi omnes, licet inter se discordes, in unius, ejusdemque Ecclesiæ communione feruntur; unius ejusdemque, religionis Catholicæ (ut loquuntur) Romanæ esse dicuntur; Neque suum altare, vel Jesuitæ Dominicanis, vel Theologi Canonistis, vel hi illis invident. Quo exemplo patet non omni sententiarum de rebus Theologicis atque Ecclesiasticis diversitate statim perimi, vel dissolvi ipsius fidei, ac religionis unitatem; & sæpe fas, interdum etiam utile, & necessarium esse aliud de quibusdam capitibus sentientes in nostram communionem suscipere. Unde jam liquet, quam temerè, quàm falsò, quàm denique contrà suam ipsorum sententiam, ac praxin

clament accusatores *aliam* a nobis *religionem* eo induci, quod Lutheranos non plane de omnibus eadem nobiscum sentientes ferendos, & ad nostræ Synaxeos sacra admittendos censeamus. Nam si Jesuitis altare suum cum Dominicanis, tametsi secum *de gratia* certantibus, communicare licet, si Episcopos, & presbyteros fas est multos ex Monachorum ordine, quanquam secum non una de re litigantes, sacrorum suorum participes facere; quæ obsecro, invidia est nos Lutheranum nobiscum de omnibus fidei fundamentis accuratissimè consentientem, de unô tantùm aut alterô doctrinæ Christianæ non *fundamento*, sed *apiculo*, diversa sequentem complecti, & mensa non tam nostra quam Christi dignari? Quorum par, atque idem factum est, eos profecto pariter vel absolvi, vel damnari decet. Jam nemo illos accusat vel *violatarum legum*, vel *scissæ unitatis*, vel *inductæ apud suos peregrinæ, aut novitiæ religionis*. Nos igitur qui nihil aliud designavimus, quam quod isti quotidie factitant, horum criminum reos agi, iniquum & indignum est. Ac istorum quidem eò major est in omni hac accusatione iniquitas, quod non nesciant hoc & nobis placere, ut cum iis Ecclesiastica communio colatur, quicumque Christianæ pietatis fundamenta verè ac sincerè retinent, etiamsi de nonnullis levioris momenti quæstionibus aliter, quàm nos sentiant. Neque enim ignorant Anglos, quorum de cæteris eadem est nobiscum sententia, presbyteri cum Episcopo paritatem quam nos affirmamus, negare. Et Anglos ta-

tamen ſciunt menſâ noſtrâ Eccleſiaſticâ vel a nobis, vel a majoribus noſtris nunquam fuiſſe vel excluſos, vel rejectos. Palam illi, ac frequenter cœtibus noſtris inter ſunt, & cœnam Dominicam nobiſcum ſumunt. Nemo nos adverſariorum de hac noſtra cum Anglis communione hactenùs pulſavit. Nemo nobis ea de re crimen apud Principem intendit. Nemo conqueſtus eſt *novam* a nobis *religionem* præter patrias leges induci; aut hierarchiam in Eccleſias noſtras præter majorem noſtrorum conſuetudinem invehi. Ipſe Princeps hanc noſtram cum Anglis in religione communionem adeò non neſcivit, vel ægrè tulit, ut viros ampliſſimos ex Angliâ apud ſe legatos ad Eccleſiæ noſtræ conventum regiô ipsô curru vectos aliquandò fuiſſe meminerimus. Sed negabit fortaſsè accuſator eandem eſſe utriuſque controverſiæ rationem; concedenſque hanc, quæ nobis *de Hierarchiâ* cum Anglis eſt ferri poſſe, contendet, illam, quæ cum Lutheranis *de Euchariſtia* eſt, alterius generis eſſe cenſendam. Hæc (ſi ita ſtatuit adverſarius) probare, & claris argumentis demonſtrare debuerat. Neque enim neſcit nos planè aliter ſentire, exiſtimareque Lutheranorum *de Dominicæ in euchariſtiâ præſentiæ ratione* dogma cum Chriſtianæ ſalutis fundamentis conſiſtere poſſe; quæ quoniam ſunt a nobis in Apologiâ fuſiùs diſputata nihil neceſſe eſt hoc locô repetere. Quod verò accuſator, obiter & aliud agens, ſignificat Lutheranum illud dogma, quod nos ferendum putamus, *noſtra ab Eccleſia* (id eſt, ut ille

Apol. c. 7. 9. Orat. p. 12.

ut ille intelligit, a Pontificis Romani communione) *discessionis præcipuam causam fuisse*, id inquam falsô, & temerè affirmari clarum est. Si enim hoc vult Orator, nos a Latinô Papâ ideò discessisse, quod is in genere credat Christum verè præsentem esse sacramentum suum manducantibus, & qui id digne sumunt, eos Dominici corporis ac sanguinis verè atque realiter fieri participes, sciunt omnes nos semper ita sensisse, & nunc etiam Dei gratiâ sentire, ac docere. Si verò hanc Dominicæ carnis præsentiam propriè ac in specie intelligit adversarius, quam Papa Romanus definivit, eam nimirum, quæ per *panis & vini transsubstantiationum* fieri fingitur, fateor equidem peregrinum hoc & prodigiosum dogma causam, vel, ut verius dicam, unam ex causis fuisse, cur ab ejus communione discedendum putaverimus, & nunc etiam putemus. Id verò dogma, quod a Lutheranis unà nobiscum explodi, atque oppugnari notum est, quis Lutheranis sanus tribuerit? vel, quod ipsorum neque est, neque verò fuit unquam, id in iis a nobis ferri dixerit? Non ergo demonstravit adversarius Lutheranam sententiam esse ex eô opinionum genere, quas in Ecclesiâ diximus sinè salutis discrimine ferri non posse. Undè & illud quod initio posuimus, liquidò conficitur, nempe nullâ eum ratione Synodum nostram accusasse, quod Lutheranos, siqui nobiscum communicare voluerint, ad sacra nostra admittendos decreverit. Neque aliud probant duæ a Veronô contrâ allatæ rationes, quarum prior indè

indè ducta est, quod nostri olìm Lutheranis objecerint, istô eorum dogmate naturam Christi humanam suis veris, ac necessariis proprietatibus spoliari. Nos enim etiam adhuc hodiè hæc eadem illis objicimus, quotiès de istâ controversiâ disputamus: cæterum non ita objicimus, quasi hoc sit unum ex eorum dogmatis, quod iis sanè non potest sinè calumnia imputari, qui hoc, quod Eutychis fuit dogma in Chalcedonensi Synodô damnatum, nobiscum rejiciunt & abominantur; Sed hæc iis objicimus, ut absurda, quæ ex ipsorum de cœnâ dogmate necessariò sequi judicamus, ac (ut nobis quidem videtur) validè probamus; quò talium consequentiarum horrore a suô illô dogmate abducantur. Atqui non eandem esse rationem dogmatum, quæ in thesi ab aliquô affirmantur, & eorum, quæ indè per consequentiam quidem deducuntur, sed a Theseos tamen assertoribus negantur, & nos alibi docuimus, & ipsa adversariorum praxis confirmat; apud quos Dominicanæ *de gratiâ* sententiæ sectatoribus Iesuitæ strenuè objiciunt *Deum per eam fieri peccati auctorem*, neque eos tamen a suâ communione arcent; quod ista scilicet non ab ipsis ponantur aut defendantur, sed ex iis tantùm, quæ ponuntur, vi ratiocinationum deducuntur. Non enim est dubitandum, quin eos Romana omnis Ecclesia excommunicatura esset, si dirum illud portentum, quod eorum dogmati objicitur (*Deum* scilicet *auctorem esse peccati*) ipsi in thesi rectà, exserteque docerent. Eadem

Apol. c. 9.

nostra

nostra est, ut liquet cum Lutheranis ratio. Sed & hoc secundô locô objicit Veronus, quod ego alicubi scripserim *neminem nobiscum communicare posse nisi qui Ecclesiam nostram pro verâ fidelium societate habeat. At Lutherani* (inquit) *Calvinianos, non fideles, sed Satanæ filios censent.* In hac ille objectione exsultat, & nescio quot loca ex Lutheranorum Theologorum libris, seu vera, seu ficta recitat, in quibus nostrę communionis homines miris coloribus depinguntur. Sed non vidit subtilis disputator suô hoc palmariô argumentô totam hanc accusationem, cujus ipse unus fons est, planè penitusque everti. Nam si (quod iste decernit) Lutherani omnes nostram Ecclesiam habent pro diabolicorum hominum societate; planum est Synodum nostram nullos ad suam mensam admittere Lutheranos; quæ non alios admittit scilicet, quàm *qui cum caritatis & pacis spiritu ad nostras collectas conveniunt, & communicare nobiscum cupiunt*; quod qui *cupiunt*, ii profectò nos non habent pro *Satanæ filiis*; neque adeò Lutherani sunt, ex Veronô quidem. Itaque falsa & iniqua est omnis illa invidia, quæ nobis & a Veronô, & ab Episcopis non aliâ de causâ creatur, quàm quod Lutheranos ad sacram cœnam admittimus, quos tamen (ipsô decernente, ac definiente Veronô) nullos planè ad cœnam admittimus. Ita gladiator nimiùm animosus suô se ipse vel gladiô confodit, vel laqueô implicuit, ac strangulavit. Ego verò & scio & doleo nimiùm multos & fuisse, & fortassè etiam nunc esse Lutheranos, quibus aversissimus

ſimus eſt a nobis animus, & lingua in nos ſæva. Sed quid facerem? Si me fratres oderunt, non ideò & mihi eos vel odiſſe vel inficiari licet. Etiamſi me conſciderint & calcaverint, germanitatem doctrinæ noſtræ negare nec poſſum, nec volo. Ac quamquàm omnes purgare, vel excuſare nolim, non dubito tamen quin plærique non tam caritatis, quàm notitiæ defectu peccent. Oderunt, quià nonnullorum maledictis decepti putant nos de rebus divinis horrenda quædam ſentire; quod ſi, ut ipſis perſuaſum eſt, verum eſſet; non ſanè eſſet injuſtum eorum odium. Fieri poteſt, ut nos quoque peccaverimus; neque ſatìs ea, vel quibus fratrum offenſio excitata eſt, caverimus, vel quibus certè excitata mitigari ac tolli poterat, curaverimus. Meum votum eſt, ut meliorem utriſque mentem donet Deus; & iis quæ utrimque peccata ſunt, benignè propter Chriſtum Ieſum remiſſis, ſic nos Spiritu ſuô lucis & pacis afficiat; ut tandem omnes, qui verè ſimus, inter nos agnoſcamus. Donec id fiat, manifeſtum eſt Veronianos illos Lutheranos ſiqui ſunt, (utinam verò nulli ſint!) ad menſam noſtram, neque acceſſuros ipſos, neque ſanè a nobis, quamdiù hoc in nos animô erunt, admitti poſſe. Nam & Iuſtinus ſuprà, & Iuſtinô major Paulus, ipſos illos Iudaïzantes, quos, (ſi mites fuerint, & ſecum vivere voluerint) admittebant & ex caritate ferebant, hos inquam ipſos, ſi ſuperbire, & fratres ad Iudaïzandum cogere cœperint, repudiant, & a ſe faceſſere jubent. Cæterum in tantâ honeſtorum, piorum,

rum, sanctorumque hominum, qui Lutherani audiunt, copiâ fieri non potest, quin sint non modo aliqui, sed multi leniori & amiciori in nos animo. Spero & plures in posterum futuros. His sciat Veronus aditum ad mensam nostram a Synodô permitti. Aliis, ea quæ fastidiunt, certè non desiderant, absit ut invitis ingeramus. Nunc ad alterum venio, quod Synodico decreto ab adversariis objici dixi, *quod* scilicet *pugnet cum hactenùs apud nos recepta de Lutheranis sententiâ*. Itaque Orator *novitatem* esse ait, quod Lutheranos ad sacrá nostra admittamus. Sed qui novam esse apud nos hanc Synodi sententiam affirmant, eorum erat demonstrare communionis nostrę homines vel hic olim, vel etiam nunc alibi de Lutheranis aliter vel statuisse, vel statuere. Atqui nihil hujusmodi in medium attulit vel Orator, vel is, qui totam hanc calumniam Episcopis suggessit, Veronus. Nullum in utriusque libellis reperi vel majorum nostrorum, vel certè fratrum exterorum seu antiquum, seu recens decretum, quô Lutherani mensâ nostrâ prohibeantur. Ait Orator *multa & a nobis in Lutheranos, & in nos vicissim a Lutheranis excussa ac vibrata esse fulmina; multùm utrimque profusum sanguinis, quô partes opinionibus suis pondus darent*. Ego vero hanc accusatoris orationem, qui grandem ac terrificam esse confiteor, veram esse pernego. De Lutheranis quærere supersedeo; quorum dicta factaque, siquid in me peccarint, præstare non debeo. Nostros verò homines fulmina in Lutheranos, & quidem non semel

p. 12.

Ibid.

nisisse

misisse, vel cum iis bella gessisse, ferroque & cruore suam sententiam confirmasse, velim equidem scire ex quibus Annalibus hauserit facundissimus Episcopus. Nobis sanè hæc fulmina, hæ fraternô sanguine redundantes acies, hæc bella, hæc dira prælia neque lecta hactenùs, neque audita fuerant; quę suo sibi commodo finxit accusator, ut in his grandior atque alacrior exsultare posset oratio. Quod verò narrare ausus est Veronus morem antehac apud nos fuisse, ut Lutheranis liceret quidem cœtibus & concionibus nostris interesse, & sermones, siqui ad plebem de suggestu haberentur, audire; id inquam totum immane est, & hoc homine planè dignum mendacium. Sciunt omnes nostri, sciunt quicumque de exteris apud nos aliquandò versati sint, scit ipse fabulæ pater Veronus, qui Carentonæ, qui alibi frequens sacris nostris interfuit, nunquàm apud nos visum, nunquàm auditum, ut Lutherani, vel ullius ordinis homines de cœtibus nostris exire jubeantur, quô tempore Cœna Dominica fidelibus distribuitur. Neque verò novum esse apud nos, ut Lutherani ad sacra nostra admitti posse putentur, ex eò rectè concluseris, quod id in Synodô Carentonensi annô demum 1631 decretum sit. Non enim nova esse, necesse est, quæcumque recenti memoriâ in cœtu aliquô definiuntur, aut decernuntur. Interdum de rebus etiam vetustissimis decreta apud Synodos recentes fiunt. Aliter nova esset tota Papæ Romani religio; de quâ nuper tam multa Tridenti parentum nostrorum memoria facta

ſunt decreta. Ea ſcilicet ſæpè incidunt, quæ Synodos cogunt res etiam receptas novis decretis ac definitionibus confirmare, vel illuſtrare. Atque ita accidiſſe in præſenti negotiô ex iis ſatis patet, quæ ſtatim initio diximus. Cùm enim, quod nondum fortaſsè antea contigerat, quidam ex Lutheranorum numerô teſtatus eſſet ſe nobiſcum communicare velle; ex eâ occaſione factum eſt, ut quæſtio ad proximam Synodum deferretur, Synodus de quęſtione propoſitâ decerneret: Hoc verò Synodi judicium, non modò (quod temerè & ſinè ullâ ratione affirmant accuſatores) novum & ab aliorum Reformatorum ſenſu alienum non eſſe, ſed communi eorum omnium ſententiæ ac diſciplinæ congruere, & ex eâ ita neceſſario atque evidenter ſequi, ac profluere, ut Synodus aliter judicare non potuerit; quin & a majorum, & a cæterorum fratrum judiciò diſcederet; ego nunc paucis demonſtrabo. Atque hic illud in primis pono, quod a nemine Chriſtianô negatum iri arbitror, quem tu pro tuô in Chriſtô fratre cenſeas, atque agnoſcas, ei licere faſque eſſe tecum ad eandem menſam accumbere, communiſque Domini ac patris epulum tecum unà guſtare. Ergo an Lutheranos pro fratribus in Chriſtô ſuis, & majores noſtri, & alii omnes Reformati habuerint, atque agnoverint, nemo dubitare poterit, quin ex eorum mente atque ſententiâ decretum ſit, Lutheranos, ſiqui nobiſcum communicare voluerint, ad Domini menſam eſſe admittendos. Jam verò & majores

jores nostros, & cæteros cum ipsis consentientes reformatæ religionis professores eô semper locô ac numerô habuisse Lutheri discipulos, manifestissimum est. Principio cum annô superioris sæculi 29 utriusque partis principes Marpurgi convenissent, ac de cæteris quidem consensissent, de hoc verô unô capite dissentirent, nihilominus ita discessum est, ut utrique sponderent unam partem alteri Christianorum dilectionem, quantùm cujusque conscientia ferret, *declaraturam*; nostri verò, id est Oecolampadius, Zuinglius, Bucerus, & Capito, hoc insuper cuperent, atque urgerent, *ut a Lutherô fratrès agnoscerentur & haberentur.* Atque hanc Oecelampadii in illa sententiarum diversitate mentem jam ab initiô fuisse, patet ex libro, quem a. 1525, de genuinâ verborum Domini, *Hoc est corpus meum,* expositione ad Suevos fratres peramanter scripsit; in quo hoc inter cætera disertè constituit, *Error* (inquit) *condonari potest, modo fides adsit in Christum.* Jam quanti Lutherum Johannes Calvinus fecerit, notum est; quamque non refugerit ejus communionem vel indè constare potest, quod & Augustanæ Confessioni se libenter subscripsisse ipse testetur; & a. D. 1541. unâ cum Augustanæ confessionis fidelibus Ratisbonæ in colloquiô sederit. Sequutis temporibus eò res in Poloniâ & Lithuaniâ processit, ut quæ sunt in illis partibus tum Reformatorum, tum Lutheranorum Ecclesiæ, in unum corpus Ecclesiasticum coaluerint, suam quidem singulæ de Eucharistiâ sententiam retinentes,

c. 4. op. edit. Jen.

Calv. ep. 188. Beza in Calv. vita.

ſed tamen amicè inter ſe & fraternè in ſacris communicantes, quæ unio a. D. 1570. in Sendomirienſi primùm Synodô conſtituta, diverſis poſteà Synodis Cracoviæ, Petricoviæ, Vlodiſlaviæ, & Toruni tandem a. 1595. Inculentiſſimè confirmata eſt; ut ex Actis & in ipsâ Poloniâ primum publicatis, & poſteà Harmoniæ Confeſſionum apud nos excuſæ inſertis patet. Polonicarum Eccleſiarum exemplum ſequutæ ſunt a. 1575. quæ illis temporibus in Bohemiâ erant Lutheranorum, & noſtrorum Eccleſiæ, earumque tamdiù manſit in illô regnô unio, quandiù utriſque fuit religionis ſuæ libertas. Noſtrorum in Germaniâ idem quoque fuit in Lutheranos animus. Nam & Gaſpar Peucerus, & Henricus Mollerus, & alii Melanthonis diſcipuli, quos de Euchariſtiæ negotiô idem nobiſcum ſenſiſſe conſtat, ultrò tamen & conſtanter cum Lutheranis quotiès & quamdiu per hos licuit, communicarunt. Ludovicus quidem 8. Elector Palatinus, noſtræ confeſſioni addictiſſimus, cùm Polonorum Evangelicorum unionem ex eorum litteris. a. 1578. d. 28. Febr. datis intellexiſſet, reſcripſit ſe plurimùm illis de eâ cummunione gratulari, optareque ut Eccleſiæ Germanicæ pari quoque inter ſe concordiâ aliquandò gaudeant. Illuſtriſſimum quidem hujus, qui nunc vivit, Palatini Electoris avum rem tentaſſe conſtat, deque ineundâ cum Lutheranis concordia ad Neuburgenſem Palatinum, ad magnæ Britanniæ Regem Iacobum, & ad fœderatos Belgii Ordines a. D. 1607. ſcri-

Vide hiſt. carc. Peuc.

Par. Iren. c. 23. pag. 125, 134.

ſcripſiſſe. Idem quoque in ſuæ ditionis provinciis tentaſſe Electorem Brandeburgicum, qui noſtram confeſſionem profitetur, certum eſt. Sed nihil neceſſe eſt ſingulas Germanorum Reformatorum ſententias perſequi. Locupletiſſimum de univerſis teſtem habemus Davidem Pareum, virum inter noſtros magni ſuô meritô nominis, ſacrarum litterarum in Heidelbergenſi quondam Academiâ profeſſorem celeberrimum, cujus de hoc unô argumentô inſigne extat opus a. D. 1614. *Irenici* titulô ſcriptum, atque editum; in quô fusè ille atque accuratè quæcumque ad hanc rem pertinent, exſequitur. Demonſtrat enim primò nos de præcipuis, ac neceſſariis fidei capitibus cum Lutheranis planè conſentire. Tum Lutheranorum proprium *de modô ac ratione Dominicæ in Euchariſtiâ præſentiæ* dogma hujuſmodi eſſe, ut eô nullum ex noſtræ ſalutis fundamentis evertatur rectâ ac per ſe aut labefactetur; Itaque non obſtare hanc illorum a nobis diſſenſionem, quò minùs inter nos optimâ interim fide communicemus, donec utroſque clementiſſimus Dominus ad unam eamdemque de hoc etiam capite ſententiam Spiritus ſui luce ac gratiâ perduxerit; poſtremô verò quæcumque contrâ objiciuntur, ea diligenter ac copiosè diſſolvit. Jam quæ noſtræ ſunt in Belgiô Eccleſiæ libellô eâ de re a. D. 1579. editô ſatis teſtatæ ſunt quantoperè ipſæ quoque in hoc unionis conſiliô cum Germanis conſpirent, quamque optent, ut inter utroſque, Reformatos ſcilicet ac Lutheranos,

Grot. Apol. pag. 69.

Irenic. p. 66. 68. 69. 285. 286. 298. 219. 331. 332. 333. 337. 338. 340. 342. 343.

Grot. Apol. p. 69.

quæ in Poloniâ inita erat societas ac confœderatio, ea in Germaniâ pariter iniretur ac constitueretur. Sed & Britannicæ Ecclesiæ idem jam olim fuisse, idemque nunc esse tota hac de re judicium, patet. Nam olim quidem Iuellus, Satisburiensis Episcopus, in Apologiâ Ecclesiæ Anglicanæ nomine scriptâ, atque editâ, & a Petrô Martyre maximis, verissimisque laudibus ornatâ, quô locô de Ecclesiæ unitate disserit, & nostris a Pontificiis Theologis objectam religionis

Pag. 61. edit. Londin. a. 1581.

inter nos diversitatem solvit; *Illi quidem* (inquit) *quos isti contumeliæ causâ appellant Zuinglianos, & Lutheranos, re autem verâ sunt utrique Christiani, & inter se amici ac fratres; non de Principiis, aut de fundamentis religionis nostræ, non de Deo, non de Christo, non de Spiritu Sanctô, non de ratione justificationis, non de æterna vita, tantùm de unâ, nec ea ita gravi aut magna, quæstione inter se dissentiunt.* Hæc Iuellus. I-

Grot. Apol. pag. 69.

dem ex eô quoque constat; quod Elizabethæ illustrissimæ Anglorum Reginæ legati a. D. 1577. utriusque nominis Protestantes (id est Lutheranos & Reformatos) Francofurti ad concordiam inter se in Germaniâ ineundam cohortati sunt, & ad eam conciliandam ac promovendam operas suas contulerunt. Quid verò hodiè judicet magnæ Britanniæ Ecclesia, clarissimè docet trium illustrium Episcoporum; Sarisburiensis, Dunelmensis, & Exoniensis antè hoc biennium scripta, Londinique excusa, atque edita sententia. Illi enim de hac quæstione ab eruditissimô quodam virô consulti unò atque eodem animô pariter respon-

ſpondent, negantes propriis quibuſdam Lutheranorum opinionibus convelli, aut ſubrui Chriſtianæ religionis fundamenta, eoque affirmantes mutuæ inter nos & Lutheranos communionis jus liberum eſſe. Ex his liquet, exteras omnes, quotquot ſunt Euangelici nominis, Eccleſias conſtanter, jam ab initio ad hæc uſque tempora, in eo conſenſiſſe, ut a nobis Lutherani fratrum loco ac numero cenſeantur. Nunc ad noſtras Eccleſias venio, id eſt eas quæ in Gallicani imperii ditione ſunt. Nos-ne ergo Reformatorum ſoli Lutheranorum antehac communionem refugimus? vel iis anathema diximus? Profecto hic tantus aliorum omnium Reformatorum, quibuſcum in cæteris conjunctiſſimi ſemper fuimus, de propoſita quæſtione conſenſus ſatis, ſi vel nulla alia argumenta extarent, doceret quod noſtrorum fuerit de his judicium. Neque enim credibile eſt Gallos noſtros de Lutheranis triſtius aut immitius ſenſiſſe, quam vel Polonos, vel Germanos, vel Anglos fratres: ſed & ipſi adverſarii, quæ noſtrorum antehac fuerit de hac quæſtione ſententia ab Hieremia Ferrerio diſcere poterant, de ſuis uno, & quidem hujuſmodi, qui cum apud nos diu & ſacro miniſterio functus, & Theologiam in Nemauſenſi Schola profeſſus eſſet, Eccleſiarum noſtrarum ſenſum & mentem optime omnium calleret: is enim in ſpiſſo illo volumine, quod ante annos viginti lingua patria de Antichriſto contra nos effudit, inter cætera noſtris hoc nominatim objicit, quod ipſi, C. 8. p. 109. 110. 111.
 qui

qui Pontificios, a quibus invitantur, refugiant, Lutheranos, a quibus repudiantur, prensent, atque appetant, eorumque communionem cupidissime ambiant. Jam quam vere hoc de nostris testatus sit Ferrerius, multa demonstrant. De Calvino, quem adversarii Patriarcham nostrum nominant, jam dixi supra. Theodorus Beza ejus discipulus, Lutheranorum Theologis, quibuscum erat de religione in Montispelicardi oppido collocutus, societatem ac fraternitatem Christianam discedens obtulit, tametsi de quibus actum erat doctrinæ capitibus vehementer alioqui ab iis dissentiens. Adhuc accedat scriptor apud nos nobilissimus Antonius Sadeel, id est Chandæus, qui fuse docet, quis nostrorum esset, quo tempore scribebat, id est a. D. 1583 de Lutheranis sensus. Primum enim eos ad veram, quæ una est, Ecclesiam pertinere defendit; tum confessus eos a nobis in capite de cœna Domini nonnihil dissentire, mox id a Jesuita Posnaniensi, cujus theses refellit, objectum solvens, *Sed tu-ne* (inquit) *ob illam dissensionem nobis vel unitatem Ecclesiæ, vel verum nomen Ecclesiæ eripies? Primum nego, quod ad hanc controversiam attinet, ullam esse dissensionem in ipso fidei fundamento. Omnes enim sacrosanctam cœnam a Iesu Christo servatore nostro institutam, & pie summaque reverentia fidelibus celebrandam, & in ea fideles corporis pro nobis traditi, & sanguinis Domini pro nobis fusi vere fieri participes credimus. De re igitur constat; de modo controversia est, quod alii ipsum Christi corpus non tantum sacramentaliter, sed etiam*

Refut. Assert. Posnan. p. 366. 167.

etiam re ipsa adesse cum pane existiment; alii doceant ipsum Christi corpus re ipsa & essentialiter nunc alibi non esse, quam in cælo, sed symbolis usque adeo efficaciter nobis repræsentari, ut nihilo minus per Christi potentiam ac virtutem credentes fiant spirituali modo, per fidem illius corporis & sanguinis vere participes, non ut corpora nostra corpus Domini contingant, sed ut ex ipso vitam æternam hauriamus. Tum multa & veteris Ecclesiæ, & communionis ipsius Romanæ exempla profert, quibus demonstrat hujus generis dissensione minime tolli Ecclesiæ unitatem. Possem Chandæo alios non paucos partium nostrarum scriptores adjungere. Sed unum habeo omni exceptione majorem testem, hujus ipsius edicti, quod accusator hac Synodi sententia violatum clamitat, conditorem, Henricum Magnum gloriosissimæ memoriæ Regem Ejus extant in illustrissimi viri Philippi Mornæi Plessæi commentariis mandata quædam ad Jacobum Segurium Pardallianum, Navarrenæ domus præfectum, suum in Angliam & Germaniam Legatum, in quibus luculentissime docet, quid ipse, qui tunc temporis religionem nostram profitebatur (sunt enim ista a. D. 1583 scripta) quid nostri homines, quid omnis nostra, quæ in Gallia erat, Ecclesia de Lutheranis judicaret; Segurium enim inprimis, jubet suo nomine Protestantium Principes ac Civitates obtestari atque urgere, *ut primo quoque tempore Synodus habeatur ad procurandam ac constituendam nostrorum cum Lutheranis pacem, atque concordiam; interea vero, dum exoptata illa illucescat*

Mem. de du Pleff.

Ibid. p. 118.

Ibid. p. 118. *cescat dies, ut partium utrarumque homines velut amici ac fratres, unius patris liberi, partæque a Christo salutis una hæredes, amice ac fraterne inter se degant.* Jubet Daniæ nominatim Regem docere ac monere (Lutheranæ confessionis Principem) *se in eadem cum eo reli-*
Ibid. 8. *gione a Deo conjunctum, atque unitum esse*; jubet apud Lutheranos jmperii Germanici Principes testari, *hoc omnibus vere Christianis esse persuasissimum, quod nos idem cum ipsis de religionis fundamentis sentiamus: nempe de gratuita peccatorum remissione uno Christi veri Dei filii, ac unici hominum Mediatoris sanguine credentibus omnibus quæsita. Quin & invectos in Ecclesiam a Papa Romano ejusque assectis errores & superstitiosos ritus palam esse communibus utrosque argumentis, ac rationibus impugnare; in illo etiam ipso, de quo uno controversia est, Eucharistiæ negotiò, ipsam sacramenti rem, ac substantiam utrosque pariter tenere (apud utrosque enim juxta certum ac confessum esse, Christi corpus fidelibus vere communicari) Quibus ergo una tantum superest de præsentiæ modo controversia, indignum, & intolerabile videri eos in quærendo modo nullum adhibere modum, modum omnem*
Ibid. p. 220. *excedere.* Itaque dum Synodus ad hanc componendam litem, pacemque plane constituendam haberi possit, *consultissimum sibi videri, ut interim contentionibus & invectivis abstineatur, & acerbis seu libellis, seu etiam orationibus silentium utrimque imponatur; amicitia, VNIO ac FRATERNITAS, inter utrosque, tametsi de hoc capite aliter, atque aliter sentientcs, maneat, seduloque ac religiose colatur & observetur. Se quidem tum suo, tum Eccle-*

sia-

siarum Gallicarum nomine spondere, ac a suis diligenter summaque fide præstitum iri, seque ut ita fiat, daturum enixe operam. Quod autem Rex hic ait de *Ecclesiis nostris*, id in aliis ad eundem Segurium mandatis disertiùs explanat, narrans *totum suscipiendi, tractandique hujus negotii consilium in Nationali nostrorum Synodo, quæ Vitræi in Armoricis a.* 1583 *habita est, communibus omnium, ut loquuntur, Deputatorum suffragiis initum ac conclusum fuisse.* Acta Synodi manuscripta extant, in quibus ea de re, quæ describenda hic putavimus, verba hæc leguntur, *Cum relatum esset de procuranda Ecclesiarum Germanicarum cum nostris unione & concordia; placuit Synodo, ut Antonius Chandæus in Germaniam ad eam rem curandam mittatur, vel certe Ioannes Serranus, si Chandæo detrectandæ profectionis causa idonea fuerit; utque Salvartus re cum I. V. Philippo Mornæo Plessæo diligenter communicata, litteras sacri hujus conventus nomine atque auctoritate ad Germaniæ Proceres, ac Theologos perscribat, easque Chandæo perferendas in Germaniam tradat.* Ex eorumdem Actorum sectione proxime præcedente, apparet Phil. Mornæum tunc temporis Vitræi fuisse, a Serenissimo Navarræ Rege ad Synodum missum. Atque ex his jam, ni fallor, omnes intelligunt Carentonensem de admittendis ad sacram mensam Lutheranis sententiam, non unius nostræ gentis propriam ac singularem, sed omnium omninò Reformatorum communem; neque recens natam, sed jam inde a primis majorum temporibus ductam, neque, quod fingunt malevoli sophistæ, ex

Ibid. p. 212.

Act. Syn. Nat. Vitr. Fact. Partic. s. 27. 28.

Ibid. s. 26.

septen-

ſeptentrionalis neſcio cujus venti afflatu, ſed ex perpetuis, conſtantibuſque religionis ipſius principiis hauſtam ac perceptam fuiſſe. Cum enim a noſtris parentibus jam ante annos quinquaginta publice in Nationali Synodo decretum fuerit, & a Rege maximo teſtatum, atque approbatum, ut cum Lutheranis, tametſi in pauculis illis capitibus a nobis diſſentientibus, *unio tamen, & amicitia & fraternitas colatur, atque obſervetur;* nos profecto, qui nunc vivimus, & paterna illa lex, & Regis pro nobis apud Lutheranos agentis, ac ſpondentis, fides, eo neceſſario obſtringunt, ut eos benigne ad ſacra noſtra admittamus, quicumque ex illo hominum ordine *cum caritatis & pacis ſpiritu* ad nos accedunt. Neque hujuſmodi hominibus menſam noſtram, aut aliam ullam ſacri & Eccleſiaſtici commercii partem negare poſſumus, quin eadem opera & a majorum ſententia deſciſcamus, & decretum ab iis factum abrogemus, & novitatem denique in religionem inducamus. Regem verò ſapientiſſimum, qui hunc in Lutheranos ſenſum atque animum, & ſibi olim ipſi cum apud nos verſaretur, fuiſſe optime meminiſſet, & nobis omnibus etiam nunc eſſe probe ſciret, non eſt credibile cum publicata edicti ſui lege nobis retinendæ exercendæque avitæ religionis libertatem conceſſit, non & una illud quoque conceſſiſſe, quod ad eam pertinere intelligebat, ut cum Lutheranis, volentibus quidem ac cupientibus, in ſacris communicare liberum nobis, & ſolutum eſſe putaremus. Cum ergo ſatis demon-

demonstratum sit nihil Synodico de Lutheranis ad sacram mensam admittendis decreto inesse, quod vel edicti Regii auctoritatem pulset, vel a recta ratione Christianæve caritatis lege abhorreat, vel denique ab avita majorum nostrorum disciplina discedat; ad alia jam veniamus, in quibus violatas esse a nobis affirmant publicas nostris hominibus a Principe latas leges.

Altera autem hæc primæ Episcopalis accusationis pars me unum tota petit; in qua sibi Orator ita indulsit, ut nesciam intemperantiusne ac licentiùs, an futiliùs ac debiliùs se gerat. Me quidem passim sic despuit, ac proculcat, sic probris & maledictis perfundit, ut eum credidisse appareat sibi, non cum homine, sed cum luto rem esse. Magnifica oratio horribili atrocium criminum, grandiumque convitiorum sono perstipit. Sed ea, ut inane tonitru, in unum aërem disploditur, ac desævit; Me, cui minatur, adeo non ferit, ut Oratorem nostra; quæ tam indignis modis lacerat, ne legisse quidem, aut vidisse credem; adeo a meis aliena sunt quæcumque in nos jacit vel epicheremata, vel crimina. Maledicta quidem ejus mitto, quæ etiam a Pontifice audire immerentem, si est apud homines probrum, apud Christum certe, cui nos uni vivimus, lucrum est. Satis verò erit ipsa crimina, quæ mihi accusator impingit, depellere, & a calumniis innocentiam meam purgare. Prima ergo criminatio ea petit, quæ in Apologia de Græcorum errore dixi; *Dallæus* (inquit Episcopus) *eo processit impuden-* Apol. c. 7.

den-

Orat. p. 13. *dentiæ, ut ausus sit Ecclesiam nimiæ severitatis insimulare, Græcos erroris, & hæreseos ideo damnantem, quod Spiritum Sanctum negent a Filio æque ac a Patre procedere. Hunc ille errorem temere audacterque pronuntiat, nihil fidem lædere; negat si res consideretur attentius, capi animo posse, quodnam is error pietati præjudicium faciat; cum tamen verissimum sit, planeque constet augustum Trinitatis mysterium eo errore everti; quo scilicet divinarum inserse personarum oppositio, adeoque consequenter etiam distinctio solvitur.* Hactenus Episcopus. Ego vero antequam objecta refello, duo quędam observo; quorum prius est, totum hoc, quodcumque est crimen, nihil ad violatum Edictum pertinere; quo vetari fateor nequis novam religionem; & a duabus, quæ in Gallia obtinent diversam inducat; vetari nego, nequis suam in Theologica disputatione de aliquo diffidentium errore sententiam aperiat. Errorem Græcorum ferendum putare, si modo cætera eorum dogmata sana sint, nemo non videt longe aliud esse, quâm novam & peregrinam in Gallias religionem invehere, ejusque palam ac publice exercendæ jus schismaticis attribuere. Secundo hoc quoque observandum est, utcumque se res ipsa habeat, falso tamen & immerito *Dallæi audaciam & impudentiam denotari*; quasi scilicet hoc unius Dallæi proprium sit ac singulare pronuntiatum. Ille de Græcorum errore neque solus, neque primus in hunc sensum scripsit. Similia ante eum scripserunt insignes apud nos Theologi; e quibus unus Molineus, quem honoris causa nomi-

no,

no, in opere celeberrimo, omnemque noſtram Galliam longe lateque pervagato, non ita dudum edito, hanc Græcorum cum Latinis controverſiam diſertiſſime dixit *imaginariam potius quam veram eſſe controverſiam, eamque ſolo partium ſtudio ali ac foveri.* Nemo nobiliſſimum Theologum ex tammultis adverſariis, quos infenſiſſimos experitur, violati Edicti, vel cujuſquam alterius criminis, quod hæc ita ſcripſerit, apud Regem accuſandum putavit. Sed noſtros mitto. Ipſe Romanæ ſcholæ magiſter Lombardus ante annos 540, & quod excurrit, hunc Græcorum errorem in verbis, non in rebus ſitum eſſe ſcripſit; & Scotus, & alii celeberrimi Latinarum partium Theologi eadem (quod mox docebo) tradiderunt. Nulla ergo fuit invidia Dallæum eum errorem ſcribere ex Chriſtiana caritate ferri poſſe, quem tales viri in nudis verbis ſitum eſſe dixerunt; nulla fuit ejus *audacia*, nullo *impudentia* id audere ſequi, in quo præſtantiſſimi utrarumque partium viri præiverant. Nunc ad ipſam criminationem accedamus; in qua primo id evidentiſſime falſum eſt, quod me iis ſuccenſere ponit Epiſcopus, qui hoc Græcorum dogma *erroris* damnant. Ego-ne hoc dogma ab errore abſolvi? O ſingularem accuſatoris confidentiam, qui me ea negare fingit, quæ eo ipſo in loco, quem accuſat, non modo non negata, ſed etiam apertiſſime affirmata leguntur! Hæc enim in loco, quem ex Apologia mea ſugillat, totidem verbis ſcripta extant; *tametſi enim error ſit negare Spiritum Sanctum ex filio procedere* &c.

Nouv. du Pap. l.6.c. 56. p. 197. edit. ult.

Apol. c. 7.

Ergo

Ergo qui Græcos erroris damnant uſque adeo non reprehendi, ut eos ipſe quoque diſertiſſime *erroris* damnaſſe comperiar. Sed & hanc Græcorum opinionem *erroris* eo ipſo ſatis inſimulavi, quod eam ſcripſi caritate Chriſtiana ferendam mihi videri. Nam ſi veram, ſi ab omni errore liberam eſſe putaſſem, profecto non dixiſſem *verendam eam videri*, neque ad hoc ut feratur, Chriſtiana caritate opus eſſe conceſſiſſem. *Ferentur* enim, non quæ recta & firma ſunt, ſed quæ alia ex parte laborant; *feruntur* errores; non quæ veræ & rectæ ſunt ſententiæ. Quid ergo eſt? Nempe ego dixeram durius & immitius cum Græcis mihi actum videri, qui ob hunc errorem diro anathemate perculſi ſunt. Jam vero omnes intelligunt dogma aliquod anathemate defigere longe aliud eſſe, quam idem erroris ſimpliciter damnare. Dominicani Moliniſtarum de auxiliis dogma erroris damnant: non ideo tamen & anathemate feriunt; neque ejus aſſertores Ieſuitas Eccleſiæ communione excludunt. Impoſtura ergo eſt accuſatoris non ferenda, qui Græcorum dogma erroris a me ideo abſolvi affirmat, quod ego id anathemate dignum non putaverim. 2. Sed & illud eſt in accuſatoris oratione falſiſſimum, quod Eccleſiam a me dicit nimiæ ſeveritatis reprehenſam. Ego Eccleſiam neque nominavi, neque ſane intellexi. Et hanc ſeveritatem ſi Eccleſiæ tribuiſſem, falſo profecto tribuiſſem; quæ, ut mox dicemus, hunc ipſum errorum olim magna lenitate, & caritate in quibuſdam tulit. Dixi *hunc errorem*

ulti-

timus sæculis diro anathemate perculsum fuisse; ab Ecclesia perculsum fuisse non dixi. Viderit Eugenius, siquod in hunc errorem anathema vibravit. Nihil ad Ecclesiam pertinet Eugenii & ultimorum sæculorum severitas. 3. Id quoque falsum esse vel ex inspecta Apologia mea patet, quod ait adversarius *me audacter pronuntiare fidem hoc Græcorum errore minime lædi*. Et quidem non simplex, sed gemina deprehenditur in his tam paucis verbis falsitas; prior quod me ad invidiam fingit accusator prætoriam auctoritatem invadere, & velut de tribunali decernere, vel ex tripode profari, quid sit omnibus de hoc Græcorum errore sentiendum. Omnino enim hanc in lingua Francica vim habent ea quæ hic usurpat verba *Dallæum audacter pronuntiare*. Atqui ego toto hoc loco nihil decerno; nihil edico; nihil, si proprie loquendum est, pronuntio; Tantum, quod cuivis de vulgo jus est, quid mihi videatur, simpliciter, ac bona fide aperio; Nimirum me ita sentire confiteor, ut putem Christianam caritatem non ægre eum Græcorum errorem in homine cætera *fideli ac pio laturam, atque toleraturam esse, qui ultimis sæculis dira anathemate tanta cum severitate percussus est*. Omnino hæc nostra fuit de Græcorum errore oratio; quæ quam summissa, quamque modesta sit, quam ab illa audacia, & a prætorio illo pronuntiandi fastu, qui ei ab accusatore affingitur, aliena, facile omnes videre possunt. 4. Sed & illud liquido falsum est, quod ait adversarius me negasse *fidem hoc Græcorum errore læ-*

di. Inſpiciatur quæſo, Apologiæ noſtræ, quæ accuſatur, codex. Hæc verba nuſquam iſtic occurrent quæ mihi Epiſcopus de ſuo, ut alia ferè omnia, commodavit. Sed hac ejus liberalitate ego quidem libens carebo. Abſit enim, ut *fidem errore lædi* negem. Nullus eſt error uſque adeo levis, qui non ſit vero aliqua in parte adverſus, & incommodus. Hoc unum duntaxat defendo, non omni errore fidem ex æquô lædi. Eſt error, qui ſalutarem fidem plane evertit; eſt & qui lędit; eſt denique qui leviſſime perſtringit verius, quam vulnerat. Quos Apoſtolus capite 14 epiſtolæ ad Romanos commemorat, eorum error fidem lædebat; quam ſi plane non læſiſſet, nihil cauſſæ fuit, cur ipſos hunc ipſum ob errorem Paulus *fide infirmos* diceret. Sed hic tamen error fidem uſque adeò non evertebat, aut letaliter vulnerabat, ut Apoſtolus iſtos qui eo laborabant, non abjici, ſed *ferri*, non excommunicari, ſed aſſumi præcipiat. Ergo quod Græcorum errorem ferendum putaverim, id Orator perperam, ac præter mentem meam ita eſt interpretatus, ac ſi illo errore putarem fidem nullo modo lædi. Eo fidem lædi fateor, qui ne error quidem eſſet, ſi fidem nulla ex parte læderet. Eo fidem lædi letaliter, equidem non puto, quem ſi hujuſmodi eſſe putarem, ne ulla quidem Chriſtiana caritate ferri vel poſſe, vel debere concederem. Atque hoc id ipſum eſt quod verbis ab adverſario allatis confirmare ſtudui, dum hunc errorem eſſe confeſſus, ſtatim adjeci, *vix ac ne vix quidem capi animo poſ-*

Rom. 14. 1. 2.

posse quodnam is error pietati detrimentum allaturus vel(ut Gallica sonant)*præjudicium facturus sit. Pietatem* dixi cultū Deo a nobis debitum ; cui quid noceat mente præceptus Græcorum error, ne nunc quidem intelligo. Quod enim illi Spiritum Sanctum a Patre procedere putant, id quantum quidem cogitatione possum assequi, nullam ad hoc vim habet, ut illi vel Patrem, vel Spiritum Sanctum (quos unum, verum, ac æternum Deum, optimum atque sanctissimum omnium bonorum datorem, ac largitorem esse una nobiscum confitentur) vel parcius, atque malignius, vel remissius atque ignavius colant, ac diligant, quam coli ac diligi & per se justum est, & in sacris litteris præceptum. Sed objicit accusator *verum esse, planeque constare augustum Trinititatis mysterium eo errore everti.* Ego vero respondeo hoc mihi frustrà & præter rem objici; qui de eo errore loquor, quatenus Græcorum est, qualisque ab iis docetur ac defenditur, ab iis consequentiis præcisus, quas ex eo fortasse Latini quidem concludi affirmant, ipsi vero Græci negant. Quodcnmque enim ac qualecumque sit, quod tu ex eo conficis, id ad Græcos nihil pertinet, qui tuas istas consequentias non modo non admittunt, sed etiam ex sua fide rejiciunt, & nobiscum abominantur. Cum ergo tuę istę consequentiæ non aliorum magis pietatem vitient, aut cultui noceant, quam eorum, a quibus eæ admittuntur, ac defenduntur; manifestum est eas Græcorum, a quibus rejiciuntur, pietati nihil officere. Esto, quod tu sumis; San-

ctissimæ Trinitatis mysterium per hujus erroris consequentias vere evertatur. Siquis errorem hunc ita erret, ut hoc, quod ex eo vere sequitur, una tueatur ac defendat; nempe nullam esse in Deo personarum Trinitatem; equidem fatebor istius pietatem, ac religionem una etiam hinc necessario eversum iri. Siquis vero errorem quidem ipsum teneat, sed ita ut id quod ex eo sequi & tu vis, & ego nunc dono, repudiet atque exsecretur, constanterque sanctæ Trinitatis mysterium credat, ac confiteatur, & quidem ita arcte, ut errorem, si eo revera Trinitatem per consequentias solvi putaret, statim sit dimissurus; hujus profecto pietati nullam (ut vides) ejus erroris, quem errat, consequentiæ labem, aut detrimentum allaturæ sunt. Jam nemini est ignotum hunc ipsissimum esse Græcorum in hoc errore sensum. Illi enim sanctæ trinitatis mysterium pure atque constanter credunt, docent, confitentur; neque eorum hac in parte fidem vel ex ipsis Latinis quisquam sugillavit. Quo loco prætermittere non possum insigne quoddam Iacobi Davyi Peronii Cardinalis testimonium, quod plane ad rem, quam agimus, pertinet; *Plærique* (inquit) *Scholastici clamant Græcorum de Spiritus Sancti a solo Patre processione dogma Trinitati per consequentias repugnare, & eo semel posito consequens futurum, ut non plures sint quam duæ in Deo personæ. Et tamen certum est neque Græcos unquam de sanctissima personarum in essentia divina Trinitate dubitasse, neque eos quemquam hactenus alicujus in ea res perfidiæ ve*

De colloq. Font. Blaudi p. 132. b. edit. a. 1607.

accu-

accusasse, vel citrà manifestam calumniam accusare posse, & mox; *Græci* (inquit) *non vident ex suâ de Spiritûs a solô Patre processione sententiâ ullam personarum Trinitati contrariam, aut perniciosam consequentiam, vel fluere, vel ratione exprimi posse.* Hactenùs Perronius. Cum ergo Græcorum error nihil in eorum animis vel hoc judice commune habeat cum illâ Trinitatis dissolutione, quam Aurelianensis Episcopus metuit, quamque ego omni Christianæ pietati non modò noxiam, sed etiam extiabilem, atque perniciosam esse confiteor; cùm inquam, ab eâ religionis peste longè apud Græcorum mentes alienus sit ac dissitus; apparet meritò me dixisse hunc errorem, (qui scilicet, qualisque apud ipsos defenditur ab omni impiarum, consequentiarum colluvie secretus, ac semotus) nullam ad vitiandum Dei cultum vim habere. Sæpè enim contingere, ut qui aliquid tuentur, ex quô aliud longè deterius sequitur, ii id quod ex hoc, quod tuentur sequitur repudient tamen & aversentur, & hoc Græcorum exemplô, & multis aliorum tum veterum, tum recentiorum experimentis satis superque comprobatum est. Atque hæc quidem hactenùs ita disputavi, quasi constare concedam de illâ consequentiâ, quam adversarius ex Græcorum errore nectit. Atqui hoc non ita est. Respondeo enim secundô, falsissimum id esse, quod accusator temerè, & parùm verecundè affirmat, nempè *verum esse, planeque constare augustum Trinitatis mysterium errore Græcorum everti.* Cùm enim *planè constare* non

 alia

alia in Theologorum ſcholis dicantur, quàm ea quæ tota ſchola ſic unô conſenſu recipit, ut de iis nemo probabilis magiſter dubitet; quis de illâ Græcanici erroris conſequentiâ plane conſtare dixerit, quam veteres Eccleſiæ Chriſtianæ Patres non viderunt, & celeberrimi ſcholæ ipſius Romanæ magiſtri rotundè negarunt, & tota Orientis Eccleſia a ſeptèm & ampliùs ſæculis præfractè repudiat atque explodit? Theodoretus, Cyri Epiſcopus, vir ſui ſæculi erudītiſſimus, olìm negavit *Spiritum Sanctum a Filiô*, vel *per Filium ſubſiſtere*; & longiùs etiam progreſſus, eorum, qui id affirmarent, opinionem *blaſphemam ac impiam eſſe* ſcripſit. Nemo Catholicorum Theodoretum ideò reprehendit, non Leo, non Chalcedonenſes Patres, non ipſe Cyrillus, haud mollis aliàs adverſarius; qui ad hunc Theodoreti locum hoc unum reſpondet *Spiritum Sanctum non eſſe a Filiò alienum*; quod & Græci ipſi facilè admittunt. Joannes Damaſcenus, doctiſſimus & ipſe Theologus, hodiernam Græcorum ſententiam apertiſſimè ſequitur. Græcos poſt ejus mortem idem dogma paſſim, ac pænè publicè defendiſſe, vel ex iis planum eſt, quæ de Photii P. CP. cum Latinis circà a. D. 863. & ſequentes certaminibus narrantur*. Neque tamen eam iſtorum opinionem vel quintô, quô Theodoretus floruit, Chriſtianiſmi ſæculô, vel quatuor proximè conſecutis ab ullâ Catholicorum Eccleſiâ anathemate perculſam legimus. Quinimò cùm apud Gallos de proceſſione Spiritùs Sancti

Refut. Anath. Cyr. Anath. 9.

Cyr. Reſp. per An. 9. l. 1. de fid.

* Vid. Bar. a. D. 863. ſ. 38. & a. 869. ſ. 49.

ſemel

semel atque iterùm in Synodis Gentiliacensi primùm sub Pipinô; posteà & Aquisgranensi sub Carolô contrà Græcos actum esset, additæque ex eâ, ut videtur, occasione, essent veteri CP°. Symbolo quatuor syllabæ *Filioque*, constat Leonem tertium hujus nominis Romanum episcopum a Caroli missis circà a. D. 809. consultum, additionem illam vehementer improbasse; ac ut certum suæ sententiæ monumentum posteris relinqueret, *pro amore* (ut ipse ajebat) *& cautelâ fidei orthodoxæ*, duas tabulas argenteas ad confessionem B. Petri affigi curavisse, (Lombardus tradit unam post altare B. Pauli positam fuisse) in quarum alterâ Latinè, in alterâ Græcè descriptum Symbolum extabat, sic ut in utraque fides in Spiritum Sanctum his verbis expressa esset, *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificatorum ex Patre procedentem*, absque voculâ illâ *Filioque* a Gallis, & Hispanis additâ. Id ipsum testatur & Photius P. CP. in Epistola * ad Patriarcham Aquileiensem, his verbis; *Leo junior* (inquit) *pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbara lingua corrumperetur immaculata fidei nostræ doctrina, Græca lingua Occidentalibus S. Trinitatem glorificandam, & celebrandam tradidit. Et non solum sermone & mandato id faciendum curavit; verum etiam quibusdam ancilibus, velut clypeis, constructis, & columnis erectis illam inscripsit, & in conspectu omnium statuens ad Ecclesiæ valvas collocavit; ut hoc pacto facile & incorrupte possent omnes pietatem discere.* Hactenus Photius; in eo tamen deceptus, quod Leonem cum

Bar. a. D. 809. s. 53. 44. ad 62. Lõb. l. 1. Sent. d. 11. B.

* apud Baron. a. D. 883. s. 5. & seqq.

Græcis ſuis de hac quæſtione ſentire putavit. Illis enim ancilibus, ſive ſcutis inciſum eſt ſine additione *Filioque* Symbolum; non quod Leo Spiritum *a Filio procedere* negaret (id enim jam a vetuſtiſſimis temporibus vulgo ſenſiſſe ac ſcripſiſſe plæroſquē Occidentalis Eccleſiæ Theologos clarum eſt) ſed quod Græcos (quos aliter ſentire ſciebat haud dubiè) eâ additione expreſsâ a ſuâ communione arcere, iiſve offendiculum, & turbandæ pacis occaſionem præbere nollet. Atqui ſi (quod nunc Aurelianenſis Epiſcopus *planè conſtare* putat) veteres illi exiſtimaſſent hoc Græcorum errore Trinitatis myſterium certo, liquidoque convelli, atque everti; planè eſt incredibile eos tantâ cum lenitate (nè ſocordiam dicam) tam peſtilens dogma impunè apud Græcos graſſari paſſuros fuiſſe; vel Theodoreto, de cujus famâ non ſemel in Synodis actum eſt, hanc tam gravem inſaniam non fuiſſe exprobraturos. Sed & Leonis illius tertii cujus nuperrime meminimus diſerta extat veterũ litteris perſcripta ſententia, perſpicue judicantis hoc de Spiritus S. proceſſione Latinorum dogma non ſic eſſe neceſſarium, ut citra ſalutis periculum neſciri non poſſit. Cum enim Bernarius, Jeſſe, & Adalardus, Caroli M. Imperatoris Miſſi, eum de Spiritus S. proceſſione conſentientem his verbis interrogaſſent; *Si ita eſt, ſiquis hoc neſcierit, vel ita non crediderit; num ſalvus eſſe poterit?* Leo in hunc modum reſpondiſſe traditur; *Quiſquis ad hoc ſenſu ſubtiliore pertingere poteſt, & id ſcire, aut ita*

Ratio de Symbolo habita inter Leonem, & miſſos Caroli. T. 2. concil. Gall. p. 257. & apud Baron. a. D. 809. ſ. 55

ita

ita sciens credere noluerit; salvus esse non poterit. Sunt enim multa, e quibus istud unum est, sacræ fidei altiora mysteria, subtilioraque sacramenta ad quorum indagationem pertingere multi valent; multi vero aut etatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate præpediti non valent. Et ideo ut prædiximus qui potuerit & noluerit salvus eße non poterit. Hactenus Leo multis concedens hoc dogma citra salutis periculum nescire. Itaque quicquam ea de re Symbolo addendum, eoque hoc dogma inter universalia, planeque necessaria fidei Christianæ capita referendum esse, constanter negavit; modeste conquiescens in Patrum Constantinopolitanorum auctoritate ac sapientia; quibus satis fuerat *Spiritum a Patre procedere* in fidei expositione sua definire; nullo addito de ejusdem a Filio processione verbo, *Tu & tui videte* (inquit ad Missos) *quid sentiatis de vobis. Nam & ego, me illis* (patribus)*non dico non præferam sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam.* Hæc Leo, & alia non pauca in eandem sententiam. Id ipsum ego quoque sensi, dum Græcorum ea de re errorem ferri posse scripsi; anathemate feriendum esse negans. Eum enim Leo extra anathematis ictum hoc ipso clarissime statuit, quod contrariam scilicet sententiam, etsi veriorem inter publica tamen ac communa fidei Christianæ capita censendam esse tam vehementer negat. Jam de ipsâ adversariorũ scholâ quid dicam? in quâ usque adeò *non constat Trinitatis mysterium* positô Græcorum dogmate *subverti*, ut ipse totius scholæ princeps, ac magister l. 1. Sent. d. 11. D.

Lom-

Lombardus ſcribere non dubitavit, *cum Græci confiteantur Spiritum Sanctum eſſe Filii, ſicut & Patris, videri etiam in hoc*(id eſt etiam in quæſtione de proceſſione Spiritûs Sancti) *in eandem nobiſcum fidei ſententiam convenire, licet in verbis diſſentiant.* Lombardo
in 1.d. 11. q. 1. init.
ſuccinit Scotus, conjectans, ſi res ſepoſitô utrimque partium ſtudiô ex ſolô veritatis amore tractaretur, fore ut tandem deprehendetur *ipſam contrarietatem* (Græcorum ſcilicet a Latinis) *non eſſe veraciter realem, ſicut eſt vocalis.* Petrus de Aquilâ ex Alexandrô dicit *procedendi* vocabulum in hac
in 1.d. 11. q. 2.
quæſtione aliò a Græcis, aliô a Latinis ſenſu uſurpari; ideoque in margine annotat inter Latinos & Græcos eſſe tantùm differentiam verbalem. Eadem ſequitur Melchior Flavius, Pii V. R. Pontificis Pœnitentiarius in Reſolutionibus a Ioanne Forſanô editis; *Hoc* (inquit) *pacto poſſunt concilia-*
l.1. d.11. q. unica.
ri Græci cum Latinis, qui licet in verbis diſſentiant, ſecundùm rem tamen in eandem nobiſcum fidei ſcientiam convenire videntur. Atque hîc accuſatores meos, ſiquid habent pudoris, erubeſcere neceſſe eſt, qui me *audaciæ & impudentiæ* damnare non ſunt veriti, quod eam doctrinam, quam ipſi ſcholæ Romanæ Theologi & quidem celeberrimi, *verbalem & voralem eſſe, non veraciter realem,* a caritate Chriſtianâ ferri poſſe dixerim. Neque verò de ratione, quâ Epiſcopus ex Græcorum theſi *Trinitatem neceſſariò everti* concludit, magis quam ipsâ concluſione conſtat. Ait negatâ *Spiritûs ex Filiô proceſſione* perſonarum oppoſitionem, adeoque & diſtinctionem

nem ſolvi. Non jam objiciam vel veteres, quibus iſta ratiocinatio planè incognita fuiſſe videtur, vel ipſos Græcos, a quibus vehementer negatur; Sed an vel ſuos, id eſt Latinæ ſcholæ magiſtros, Spiritûs Sancti a Filiô proceſſionem arctiſſime retinentes, ſecum habet de hujus conſecutionis vi conſentientes? Atqui eam & Henricus *a* & Scotus, *b* & Petrus de Aquila, *c* & OcKam, *d* & Alliacenſis, *e* & Gabtiel, *f* & Nicolaus Deniſe, *g* & ex tecentiſſimis Johannes Marius Scribonius *h* & negant, & ex profeſsô refellunt. Alliacenſis, qui Cardinalis Cameracenſis fuit, vir acuitſſimus, quanti eam fecerit vel hinc patet, quod ita ſcribat; *Illa* (inquit) *conſequentia non magis valet, Spiritus Sanctus non procedit a Filiô, Ergo diſtinguitur ab eo.* Sed & rationes a Gregoriô Ariminenſi (quô nullus fere eſt in ſchola ſubtilior) ad illam conſequentiam probandam allatas dicit *omnes petere principium, ut patet intuenti*; imò (inquit) *eſſent deriſoriæ apud unum Græcum, qui negaret Spiritum Sanctum procedere a Filio.* Idem quoque obſervat Gabriel, rationem ſcilicet, quâ probatur conſequentia, *non valere contrà Græcos;* quià *ſupponit, quod ſpiratio activa & filiatio ſint in Filio; hoc autem* (inquit) *non concederent Græci.* Et plerique ex iſtis Doctoribus, ut Alliacenſis, docent *Filium diſtingui a Spiritu Sancto etiam per hoc, quod eſt a Patre naſcendo, & Spiritus Sanctus a Patre non naſcendo, ſed procedendo. Igitur non præcisè per hoc Filium diſtingui a Spiritu Sancto, quod ipſe ſpiret Spiritum Sanctum.* Item doctrina eſt OcKami & Gabrielis *omne habens* *ali-*

a Quodlib. 5. q. 9
b in 1. d. 11. q. 2.
c in 1. d. 11. q. 2.
d in 1. d. 11.
e in 1. d. 11. & ſeqq.
f in 1. d. 11. q. 2.
g Reſol. Theol. de concern. per. Sp. S. concl. 3.
h in ſum' tit. Gnoſithea q. 2.

aliquod reale sibi intrinsecum & essentiale distingui a qualibet re cui tale non est intrinsecum, & essentiale. Itaque cum *filiatio* realiter distinguatur a *spiratione passivâ*, ipsa *filiatione* distingui Filium a Spiritu Sanctô. Cum ergo Græci concedant Spiritum Sanctum *a Patre procedere*, etiamsi negent *a Filio*; posito eorum dogmate, Filius a Spiritu Sanctô distinctus manebit emanationis modô & ordine; *modo* quià a Patre *generatur*, Spiritus verò *procedit*; *ordine*, quià Filius est secunda persona, Spiritus tertia. Jam si semotâ adversantium auctoritate, ipsam demonstrationem, quâ consequentia illa probatur, inspexeris, & paulò diligentiùs consideraveris; videbis Thomam, Durandum, Aureolum, & ex recentioribus Bellarminum, Vasquem Gamacheum,* & alios tantâ arte, ac subtilitate, tamque longè petitis rationibus, per tam perplexas ambages in hoc argumentô sudare ac eniti, ut sis haud dubiè miraturus, quod se nobis Aurelianensis tam facilè persuasurum speraverit, de negotiô, etiam apud suos tam involutô, tamque obscurò, *plane constare*. Multò cautiùs atque prudentiùs de hâc consequentia loquitur Perronius, quam non, ut hic noster, velut *planè constantem* venditat, sed velut a plærisque scholæ Theologis probatam memorat. Atque ita satis, ni fallor, patefacta est primæ hujus criminationis vanitas; quæ & ab accusationis scopô aberrat, & non mea mihi verba affingit, & mea ad alienum sensum torquet, & quæ dubia ac parùm certa sunt, pro *veris & planè constantibus* sumit,

* in 1. Thom. q.35.5.2.

mir, & eâ ratione contrà Græcos utitur, quæ nè in ipsis quidem Latinorum scholis extrà controversiam est.

Sequitur secunda mei criminatio, etiam hac priori multò & iniquior & futilior; sed in quâ tamen maximè exsultat maledicentissima accusatoris oratio. Ille verò præfatus tam multos, tamque diros esse meos in quodam *de fide in scripturis fundatâ* libellô errores, ut sibi facilè fuerit, nisi Regis tædium esset veritus, *me velut hæreticorum omnium, qui unquàm extiterunt, insolentissimum atque pestilentissimum repræsentare*; hæc inquam humana ac benignissima, ut omnes vident, ita civiliter præfatus, mihi duo quædam mirifica, ac pænè incredibilia portenta tribuit; vel, ut simpliciùs ac veriùs dicam, gratis affingit; quæ a me in illô libellô *vel disertis*, ac (ut loquitur) *formalibus verbis*, *vel certè per consequentias secundùm doctrinam meam infallibiles doceri* affirmat. Prius est. *Romam credere ea quæ Geneva docet*, & *Romanam fidem eam ipsam esse fidem, quam Carentonensis nostrorum cœtus profitetur*, & *Regis planè eandem esse cum nostrâ religionem ac fidem.* (Hoc enim locô, aliàs tristis ac severus, & interdum etiam pænè truculentus Orator facetus esse voluit) Alterum verò, quod mihi tribuitur, non minùs tætrum prodigium est, *si Sabellium, si Samosatenum, Arium, Photinum, Manichæum, Pelagium, Nestorium, & Eutychem exceperis, cæterorum omnium hæreticorum ac sectariorum hæreses esse opiniones merè adiaphoras, quas nullo vel veritatis, vel Evangelii præjudicio vel admittere, vel rejicere licet; esse*

Orat. pag. 13.

Ibid. pag. 14.

Ibid. Pag. 15.

ab omni veneno immunes, quod animas inficere, vel corrumpere queat; Vno verbo modò unum Deum, æternum, infinitum, omnipotenteus, unumque θεάνθρωπον Iesum Christum, mortem pro expiandis peccatis nostris passum, & alia quædam in Apostolico symbolo expressa confiteamur aliam quamvis doctrinam, persuasionem, ac credulitatem nullius esse posse ad veram fidem, salutemque discriminis; neque leves hujusmodi oppositiones efficere, ut non in unius religionis, atque Ecclesiæ sinu maneamus. Ad deserendam verò, quam quisque profitetur, sectam, adeò neminem obligari, ut eliam nefas sit quemquam ex suâ discedere. Hæc Episcopus mea esse ait omnia, hæc a me nuper inventa doceri, defendique pronuntiat; neque aliô a me animo scriptum fuisse vel publicatum a. D. 1634. illum nuper memoratum libellum, quàm ut hæc horrenda omnium oculis exponerem. Atque hic in primis observanda est Aurelianensis Oratoris in criminis, cujus me accusat, elogiô summa vel in cogitantia, vel certè inhumanitas. Hoc enim, quod mihi tribuit, eandem esse nostram & Romanorum religionem, *hæresin* esse ait, & quidem *pestilentissimam, animadversione, & supplicio dignam.* Dallæus (inquit) hæreticus est, & quidem omnium, qui unquàm extiterunt, pestilentissimus. Quid ita? Quia (inquit) docet Romanam fidem, ac religionem eandem esse cum Genevensi, Regis cum suâ eandem. Atqui siquis affirmaret eandem esse vel Latinorum & Græcorum, vel Abyssinorum & Turcorum religionem, eum omnes falli, delirare, desipere merito (fa-

Ibid. pag. 13.

Ibid.

(fateor) dicerent; hæreticum esse, nemo (ut opinor) idcircò diceret. Dallæum ergo, si is ad hunc modum scripserit hodiernam Romanorum religionem, quam a Genevensi multùm distare omnes, vel pueri, sciunt, eandem esse cum Genevensi, errare quidem, &, si placet, stupere, vel si mavis, etiam insanire non immeritò dixeris; *hæreticum* esse, & quidem *pestilentissimum* non ideò dixeris; nisi tu fortassè omnes, qui de rebus humanis aliquid a verò alienum tradunt, aut narrant, *hæreticos* esse putes. Sed & alia observanda est accusatoris in me deferendô non levior iniquitas. Cùm enim *hæreseos*, cujus est longè turpissimum, ac probrosissimum crimen, neminem deceat, non dico damnare, vel accusare, sed vel suspectum habere, nisi qui dogma hæreticum non obscuris, sed claris & disertis verbis, non obiter & aliud agens, sed ex professô disputans docuerit, neque docuerit tantùm, sed etiam pertinaciter defenderit; me accusator, *hæreseos pestilentissimæ*, non *suspectum*, sed *reum*, & quidem *manifestum*, non ab aliquô de vulgô homuncione, sed a maximô Rege, summô meô post Deum Dominô, haberi vult, propter quædam, quæ ipse ex iis, quæ scripsi, concludi ac ratiocinando colligi posse putat. Nam quæ mihi impingit, ea a me doceri dicit, non simpliciter *disertis formalibusque verbis*, sed cum hac alternativa particulâ, *vel disertis verbis*, *vel per consequentias*. Ergo clarum est istum hoc velle, ut *hæreseos* etiam ob ea damner, quæ tametsi nusquam sint a me affirmata, possunt

ſunt tamen ex iis, quæ affirmavi, per conſequentias deduci. Atqui hoc velle, quam ſit iniquum, atque immane, res ipſa per ſe loquitur; quod ſcilicet fieri poſſit, & verò ſæpè, ſicuti diximus, fiat, ut qui aliquid docet, ea tamen, quæ ex eô, quod docet, legitimè conſequuntur, vel non animadvertat, vel etiam averſetur ac repudiet. Id verò ex notiſſimô exemplô patet. Putat noſter Orator *planè conſtare*, eo Græcorum errore, de quô nuper diximus, Trinitatis myſterium per conſequentiam everti. Græcis tamen *ſiquis imputet quod de Trinitate dubitent, eum* Cardinalis Perronius *calumniæ manifeſtum pronuntiat. Vt enim aliquis ſcriptor* (inquit celeberrimus ille Cardinalis) *de hoc, aut illo dogmate dubitaſſe dicatur, non eſt ſatìs eum ea poſuiſſe, ex quibus admoto ratiocinationis organo concludi poſſint ejuſmodi conſequentiæ, quæ illi dogmati repugnent, aut præjudicent; ſed præterea requiritur, ut ipſas illas conſequentias auctor & animadverterit, & neceſſarias eſſe agnoverit.* Itaque iniquiſſimum eſt, & Sycophantarum, Perroniô judice, proprium id quod accuſator noſter poſtulat, ut mihi etiam eæ hæreſes imputentur, quæ tametſi nuſquam a me poſitæ vel agnitæ ſint; ex iis tamen, quæ alicubi a me poſita ſunt, conſequi ac concludi poſſe videntur. Ad intendendum hæreſeos crimen non ſunt tuæ vel ſuſpiciones, vel ratiocinationes, ſed apertæ nudæque res, & diſertæ claræque voces afferendæ. Huc ad iniquitatis cumulum accedit, quod accuſator in tam gravi, tamque atroci crimine, non modò mea *diſerta,*

Ubi ſupra.

ferta, & formalia verba nulla recitat; sed nè ea quidem ponit, vel annotat, ex quibus illa, quæ mihi tribuit atque imputat, prodigia necessariò per consequentias argumentando confici ac concludi contendit. Nullum ex librô, quem accusat, locum vel laudat, vel saltèm in orationis suæ margine indicat. Sibi adversario, sibi accusatori simpliciter de his affirmanti credi dignum putat. Nullam probationem, nullum testimonium, nullam vel levissimam argumentationem in omni hac, quantumvis gravi, caussa adhibuit. Suam nudam, ac simplicem affirmationem satis ad me accusandum, damnandum, atque obruendum valere sibi persuasit. Nam quod convictionem meam in aliud tempus quodam locô rejicit, id non alio spectat, quàm ut pondus interim accusatio aliquod habeat. Utcumque sit, ego quidem certè hujus, quam mihi concedit, dilationis, atque ampliationis beneficiô non utar; neque meam ut ille convictionem in aliud tempus differt, ita ego purgationem protelabo, aut comperendinabo; sed nunc statim clarissime, ut spero, demonstrabo totum hoc, quod a Veronô inventum est, & Episcopis suggestum crimen; meram esse, eamque non iniquam modò & malignam, sed etiam crassam, ac ineptam calumniam, incredibili quadam stultitiâ atque improbitate ab illô nostrô inimicô confictam, ut dolorem, quem ex suæ Methodi clade cepit, a nobis in illô, qui accusatur, libellô afflictæ, atque profligatæ, aliquâ ratione ulcisceretur. Nam etsi Episcopus nullum li-

Orat. pag. 15.

belli caput indicet, video tamen quò ſpectet; neque ita ſum apud me ipſum peregrinus, ut non facilè intelligam quæ diſputationis meæ loca petat, atque in animô habeat; Sed & Veronus, ſycophantiæ totius parens, ea ipſa jam non ſemel in famoſis illis, quas quotidiè effundit, chartulis, indicavit, omneque noſtræ hujus accuſationis myſterium aperuit ac vulgavit. Ego verò hic in primis ſimplici Epiſcopi affirmationi ſanctam negationem oppono; Chriſtumque Dominum ac Redemptorem meum teſtor mihi nè in ſomnis quidem unquàm vel hoc, vel illud, quod objicitur, portentum in animum veniſſe; neque me cujusquam vel ſcriptionis, vel etiam cogitationis mihi eſſe conſcium, quæ ſtruendæ tam immanis in me ſycophantiæ juſtam viris gravibus & veracibus occaſionem præbere potuerit. Neque dubito, quin vel ipſe Aurelianenſis, vel certè ex iis, quorum ille nomine verba fecit, Epiſcopis aliqui facilè fuerint calumniam deprehenſuri, ſi vel me quem accuſant, vel libellum ipſum meum, ex quô accuſationem inſtituunt, vel cum mediocri attentione ac diligentiâ prius conſiderare, quàm atrociſſimi criminis apud Regem deferre voluiſſent. Nam ut ab eô crimine incipiam, quod priori locô poſuerunt, quid dici vel fingi poterat incredibilius, quàm me docere *Papæ & Romanæ communionis fidem eam ipſam eſſe, quam nos Carentonæ profitemur?* Ego enim, ut cæteras vitæ, ac miniſterii mei partes ab hac inſaniâ abhorrentes taceam, ego certè inquam, is ipſe

ipſe ſum, qui in alterô libellô ; quem etiam nuper accuſabat Epiſcopus, defendi *noſtræ fidei hominibus non licere cum Eccleſiâ Romana communicare* ; quod illa multa doceat, ac inter præcipua religionis Chriſtianæ capita cenſeat, de quibus nos planè aliter ſentimus ; quo loco exempli causâ illud nominatim attuli, ac diligentiſſimè, quoad potui, ſum perſecutus, *quod Eccleſia Romana id ſummo latriæ cultu adorandum eſſe præcipiat, atque urgeat, quod nos ſic a nobis coli non poſſe ſentimus, quin Deum graviſſimè lædamus, nosque ipſos æterna ſalute ob creaturæ adorationem multemus.* Egone qui hæc ita ſcripſi, multiſque fusè diſputavi, idem tamen ſentiam ac defendam *Romanam fidem eandem eſſe cum Carentonenſi* ? Certe fides Romana eſt, *cultum latriæ uni Deo debitum*, eſſe etiam Euchariſtiæ ſacramento deferendum. Ergo ne & hanc noſtri apud Carentonam cœtus fidem eſſe, ego dixi, qui & vivâ voce, & hoc nuper editô libellô, Romanam illam ſententiam non ſemel confutavi ? Mirus homo ſim, ſi tantam inſaniam capere poſſim. Atqui accuſatores me *hæreticum*, &, ſi Deo placet, etiam *hæreſiarcham* faciunt; quod genus certè ſtulti eſſe non ſolent. Me verò quid ſtultius, quid craſſius, aut pinguius eſſe poſſet, ſi res tam inter ſe contrarias, ac repugnantes non ſentirem modò, aut cogitarem, ſed etiam ſcriberem, atque ederem? Jam quid de illo ipſo libellô, qui vexatur, dicam? Certè difficile eſt animô aſſequi, quomodò qui eum legerit, auctorem putare poſſit hujus criminis reum. Id enim unum totus a capite

ad calcem agit, ut demonstret *religionem quidem nostram divinis Scripturis omnem niti, & in iis esse fundatam*; † *Romanam verò magnâ ex parte ab iis alienam sola vel traditionis non scriptæ, vel Papalis decreti auctoritate fuisse constitutam.** Ergo totus liber *non*, quod isti ajunt, *eandem*, sed *planè diversam* esse loquitur istorum a nostrâ fidem ac religionem. Quid? quod eorum in librô disertè, neque semel scripsi, *Eucharistiæ transsubstantiationem, sacrificium, adorationem; operum meritum; purgatorium ignem, Sanctorum invocationem, imaginum venerationem, quinque præter baptismum & eucharistiam, addititia sacramenta, confessionis arcanæ necessitatem, Papæ monarchiam, Clericorum immunitatem*, & alia non pauca a Romanis quidem constitui, doceri, ac pro necessariis religionis capitibus haberi; a nobis verò non modò eô locô ac numerô minimè censeri, sed etiam repudiari ac refutari? Tum verò fusè disputo istorum nihil vel *in Scripturis*, vel *e Scripturis* haberi; eaque argumenta quibus hæc Romani Theologi ex divinis litteris confirmare conantur, sigillatìm solvo. Quin & longiùs progressus ista ostendo Scripturis adeò non congruere, ut etiam cum ipsis pugnent. Estne quisquam adeò vel odiô mei, vel causæ studiô excæcatus, qui si hæc legerit, dubitare possit, quin ego adversariorum fidem ac religionem a nostrâ diversam esse credam? Jam neque res est obscurior de alterô illô opinionis prodigiô, quod mihi invidiosissime tribuunt, quasi *omnes hæreses, octò duntaxat exceptis, liberas esse & adiaphoras* cen-

† Parte 2. tot.

* Part. 3. tot.

Part. 3. c. 2. tot.

P. 3. c. 3. & seqq.

P. 3. c. 15

censeam. In hac enim criminatione primò
artificis, a quô eam habent Episcopi, in-
genium prodit ipsius calumniæ τὸ κακο-
πλαστὸν, dum prodigiosum illud, quod
mihi affingitur, delirium ex duabus pro-
positionibus inter se pugnantibus inepte
compingitur. Nam si stat, quod priori lo-
cô posuerunt, & Marcionem & Valenti-
num,& omnem Gnosticorum colluviem,&
alios pænè innumerabiles, qui scilicet ex
illis octò exceptis ac memoratis nulli
sunt, nihil vetabit meos esse consecra-
neos. Sin obtinet, quod statim attexunt,
illorum nemini locus in meâ Ecclesiâ esse
poterit; quas constat vel Christum Cre-
atoris Filium, vel alia in Symbolô de-
finita ac recensita negare. Huc accedit
illa octò tantùm ex omni hæreticorum
multitudine planè faceta, ac jocularis
exceptio; quasi credibile sit quemquam
ita desipere, ut cùm Nestorium & Euty-
chem exhorrescat, idem tamen Marcio-
nem & Valentinum admittat; & cùm Pela-
gium refugiat, idem tamen Colarbasianis,
Cataphrygibus, Heracleonitis, Priscilliani-
stis, & aliis id genus sui copiam faciat, a
quibus horrendâ doctrinæ ac vitæ turpitu-
dine, vel superatam, vel certe exæquatam
fuisse constat omnem octò illorum,quos so-
los ejecisse de meâ communione fingor, vel
insaniam, vel infamiam. Hæc adeô stulta
sunt, ut in hominem, qui quidem sanus sit
& communi hominum sensu præditus, ca-
dere non possint. Sed etiamsi me accusato-
res mei tam crassum fuisse dixerint, ut

talia absurditatum portenta concoquere potuerim, ab hac certè calumniâ illa me apertissimè liberant, quæ antè annos tres in Apologiâ *de communionis Ecclesiasticæ jure* disputavi, quô locô disertissimè distinxi duo errorem genera, unum eorum, qui cum verâ pietate sic pugnant, ut viam ad salutem necessariò intercludant; quique vulgo *fundamentales* ideò dicuntur, quod aliquod ex Christianæ religionis fundamentis evertant; alterum eorum, qui non sunt tanti ad pietatem & sanctimoniam momenti, ut non possit unà cum iis consistere, & sincerus Dei cultus, & æterna in Christô salus. Hos ferendos esse, quoad a nobis fieri potest, concessi; illos vitandos cavendosque, & a societate, quæcumque eos palàm docet ac profitetur, discedendum necessariò esse definivi. Hæc a me lex atque regula ex constanti ac perpetuâ Ecclesiarum nostrarum doctrinâ, in eô libellô fixa, atque constituta est; ex quâ petendus est meus de omnium a nobis in religione dissentientium erroribus sensus. Ille locus quæstionis erat; in quô eam ex professô tractavi; in alterô verò de fide libellô nè attigi quidem usquam, nedum ut tractarim. Ergo ad hunc Apologiæ locum, velut ad certissimum canonem, exigenda erant siqua alibi de eâ quæstione obiter fortassè a nobis dicta sunt. Hinc verò clarissimè certissimeque constat me neque hæreses ex nomine vel numerô censere, neque ridicula illâ & commentitiâ, quæ mihi affingitur, ogdoade concludere quicquid est necessariò a religione nostrâ rejicien-

ciendum; sed ea omninò dogmata & a fide & a communione nostrâ necessariò exterminanda decernere, quæcumque cum pietate & salute pugnant, cujuscunque de cæterò sint vel auctoris, vel nominis. Marcionne an Sabellius, Macedonius an Photinus ea docuerit, parùm refert. Mihi ad hoc nè ferantur satis est, quod a salute abducunt, nequè cum fide ad salutem necessariâ consistere possunt. Jam hic obsecro, nulli-ne unquàm hæretici præter illos octò, Christianæ pietatis ac salutis fundamenta subverterunt? Si negas, delirus es; vel historiæ Ecclesiasticæ plane ignarus. Si ais; ergo inquam, & alios quam octo illos proscribo, qui eorum nemini parcendum edixi, quicumque suis dogmatis fundamenta pietatis subvertunt. Ea subvertebant Marcion & Valentinus, qui expunctô Creatore peregrinum & inauditum numen inferebant. Subvertebant Collyridiani, qui *creaturam adorabant*: & Priscillianistæ, & Macedoniani, & alii plurimi, quos recitare longum est. Subvertunt hodiè Sociniani, & Anabaptistæ fanatici, & (si mihi concedis ut liberè ea dicam quæ sentio) subvertit etiam multis modis Papa Romanus. Ergo ex me quidem neque cujusquam ex istis ferendi errores, neque cum iis colenda aut fovenda Ecclesiastica communio; quorum tamen nemo, ut vides, in tuâ illâ mirificâ ogdoade occurrit. Ita nunc non modò ex meâ negatione atque inficiatione, quæ in hoc causæ genere satis esse poterat, sed etiam ex claris certisque sententiæ meæ documen-

tis, liquidò constat me ab utroque illô, quod mihi tribuitur, diliriô longissimè abesse; ut qui me vel hujus, vel illius accusant, calumniatores esse necesse sit: Nunc quid contrà tantam innocentiæ meæ lucem objiciant, videamus. Scio enim quid allaturus sit Episcopus, etiamsi nihil eorum, quibus me convinci posse putat, aperuerit. Ac ille primo quidem fortassè mirabitur me non modò fidenter constanterque negare, sed etiam validè facileque refellere, quæ a me doceri, jactarique & non occultari, sed publicari, & in quibus me pænè gloriari a Veronô suô acceperat. Mox verò audiendum me negabit, cujus aperta manifestaque convictio sit in manibus. Habere enim se ab optimô virô Veronô disertas meas voces, ac litteras; seque ex iis velut ex obsignatis tabulis mecum agere. Tum denique proferet aliquot ex libellô de fide meô loca, a Veronô excepta descripta, ac suggesta, eaque recitari jubebit. Ac de priori quidem deliriô, quo defendere dicor *Romam ea credere, quæ Geneva docet*, constare dicet ex meis istis quæ illic leguntur verbis; *De iis* (fidei scilicet nostræ capitibus) *nè Roma quidem ipsa illam nobis controversiam facit; sed ea se nobiscum credere profitetur.* Item; *Quis negare potest vel Ecclesiam omnium sæculorum Catholicam hæc* (fidei nostræ capita) *habuiße? vel ipsam etiam Romam ea adhuc hodiè habere?* Item; *Omnes ex consequenti veri Christiani, tum veteres, tum recentiores, sunt meæ religionis.* Mox; *Et hi sunt termini, in quibus sumus cum Romanis* (sic enim habent nostra

De fide in Scr. Parte 3. cap. I.

Ibid.

Ibid.

gal-

gallica) *Denique; Fidei meæ capita, ô adversarii, non sunt controversa.* Jam de alterô illô commentô, quô ab istis fingor omnes (octò tantùm exceptis) hæreses liberas & adiaphoras in Ecclesia esse defendere; hæc mea ex eodem libellô verba clariora esse contender, quàm ut tergiversari possim; *Nulli nobis de bis* (scilicet fidei nostræ capitibus) *controversiam faciunt, nisi Sabellius & Paulus Samosatenus, Arius & Photinus, Manichæus & Pelagius, Nestorius & Eutyches; hæretici omnes antè multa secula universalis Ecclesiæ fulminibus obtriti, & obruti. Soli isti horum probationes a nobis requirunt; quæ cæteri omnes una nobiscum credunt.* Hi omninò sunt fontes, ex quibus calumniam derivavit Veronus. Nihil aliud in totô *de Fide in Scripturis fundata libello* (quem nominatim a se peti disertè professus est Orator) nihil inquam aliud a me in eô librô scriptum est, quod ad hanc accusationem vel pertinere, vel trahi possit. Neque alia sanè quàm ista, a Veronô, totius calumniæ architectô, jactata sunt. Itaque si hunc unum libelli locum, in quô hęc leguntur, purgavero, & ab iis deliriis, quæ mihi per summam injuriam imputantur, immunem esse demonstravero; eadem opera, totam funditus calumniam disjecero, atque dissipavero. Itaque in hoc unô mihi nunc laborandum esse intelligo, ut planum faciam qui verus sit ac legitimus loci illius sensus; quod ut præstem inprimis lectorem meminisse volo me in ipsius libelli limine, ut Methodi Veronianæ (quam tot â hac disputatione refellere institui) iniquitatem & amentiam

Ibid.

Orat. p. 13.

tiam ostenderem, ea quæ in confessione nostrâ continentur in duo genera distinxisse; alia quidem *affirmativa*, *ac positiva*, quibus id, quod nos credimus, & affirmamus, credendumque & affirmandum docemus, definitur atque exponitur; alia *negativa & exclusiva*, quibus ea exponuntur, quæ Romani quidem Theologi affirmant, ac veluti necessaria religionis capita urgent, nos verò negamus, & a fide nostrâ, velut falsa, aut incerta, rejicimus. Ut res clarior fieret, utriusque ordinis specimen dedi; Ac *negativis* quidem in postremam operis partem rejectis, in quâ ostendi nihil eorum, quæ a Romanis posita nos repudiamus ac negamus, in Scripturis extare; in priori parte affirmativâ illa confessionis nostræ capita, non quidem fortasse accuratè ac præcisè omnia (quod non erat hoc locô necessarium) sed tamen plæraque recensui, & in aliquot titulos digesta ex Scripturis singula demonstravi. Hanc partem excecutus in eô ipsô locô, qui accusatur, observo hæc confessionis nostræ, scilicet affirmativa, a me recensita, & ex Scripturis demonstrata capita, hujusmodi esse, ut ea omnes quidem omnium temporum orthodoxi Christiani admiserint; hæretici vero soli rejicerint, aut in dubium revocaverint; ut ipsi etiam hodiè Romani nominis homines ea se admittere ac credere profiteantur; Unde colligo nullam a me Romanos horum probationem exigere debere; (de quibus scilicet nulla inter nos est controversia) sed eorum,

quę ipsi quidem affirmant, nos verò negamus, & undè ortam omnem inter nos controversiam esse constat, probationes ipsos afferre debere ex divinô verbô claras, atque solidas. Hic omninò est illius ex libellô meô decerpti loci sensus, ut cuivis cordato locum ipsum non oscitanter legenti statim apparebit; undè jam liquet quantùm ratio atque æquitas accusatores meos fugerit, & quantoperè a meâ & oratione & mente absit hæc omnis eorum calumnia. Nego inprimis totô hoc locô quicquam eorum, quæ mihi imponunt, *disertis formalibusque verbis* doceri. Legatur totum illud libri mei caput. Nihil eorum, quæ jactantur, disertè *formaliterque* (ut loquuntur) istic scriptum occurrit; non quod priori locô posuerunt, *Romam credere ea, quæ Geneva docet; Romanam fidem eam ipsam esse, quam nos Carentonæ profitemur; Regis religionem & fidem eandem certò planeque esse, quæ Ministrorum est.* Ista verò quæ adjecerunt, multò etiam minus in librô meô disertè *formaliterque* expressa reperiuntur; nempè *omnes hæreses, octò tantummodò exceptis, opiniones esse liberas, quæ sinè ullô veritatis & Euangelii præjudiciô recipi, aut rejici possunt*; & cætera prodigiosa, quæ suprà descripsimus. Ergo falsum est quod accusator rotundè affirmavit, ista vel omnia, vel saltèm eorum partem *disertis & formalibus terminis a me doceri.* Nam si hoc noluit significare; cur non dixit simpliciter *ista a me per consequentias doceri*? Cur & hoc alternatim posuit, *ista a me vel disertis, formalibusque terminis, vel per consequentias*
doce-

doceri? Sed & hinc jam secundô locô clarè intelligitur me ab accusatoribus falso & iniquè *hæreseos* postulari; qui istarum quas mihi objiciunt hæreseon, nullam *in terminis* (ut dicitur) id est disertis verbis unquam posui, aut scripsi; aut ex iis, quæ posui ac scripsi, necessario sequi agnovi. Cùm enim ei, qui aliquid defendit, id quod ex eô quod defendit, sequitur, sinè calumniâ imputari non possit, nisi ipsam illam consequentiam viderit, atque agnoverit, ut paulo antè ex Perroniô Cardinali docuimus; Veronum profectò & alios hujus accusationis fautores calumniari me, nè ipse quidem Perronius negaret; dum mihi hæreses, quas nunquàm agnovi aut professus sum, ideò imputant, quod eas ex quibusdam verbis meis, me vel nesciô, vel invitô ac repugnante concludunt. Sic depulsâ invidiosâ illâ *hæreseos* calumnia, jam verba illa mea ab istis recitata simpliciter consideremus; & videamus deinceps, an ex iis saltèm per consequentias confici ac colligi possint tætra illa deliria, quæ illic *disertè formaliterque* nulla extare vel ex ipsis oculis suis quilibet lectores discere queunt. Nego igitur secundò duo illa immania, ac prodigiosa deliria, quæ mihi objecta sunt, vel saltèm eorum alterum posse ex illis verbis meis legitimâ illa ratiocinatione concludi. De priori priùs videamus. Accusator ait *me docere quod Roma credat, quæ Geneva docet*. Ubi animadvertendum est, hanc ejus rationem, etsi *indefinita* sit, si verba spectes, sensu tamen auctoris pro

uni-

universali, non pro *particulari* esse sumendam; planè ac si dixisset me ita sentire ac docere Romam *credere quæcumque Geneva docet*; vel *nihil docere Genevam quod non credat Roma*. Nam si quædam tantum ex iis quæ docet Geneva, a Romanis credi intelligit, apertè nugatur; Hoc enim, quod omnes verissimum esse vident, docere me nulla sanè invidia fuerit; totaque accusatoris scena ridicula erit, qui mihi id crimini & quidem atroci vertit, quod nè ipse quidem negaturus sit. Tum si particularis hæc enuntiatio fuerit, illa quæ sequuntur *fidem & religionem Romanam eandem esse cum Genevensi ac Carentonensi*, inania quoque & absurda erunt. Non enim si Romani quibusdam ex iis, quæ docemus, assentiuntur, eô fit, ut illorum fides ac religio eadem cum nostrâ censeri, dicive debeat. Judæi ac Turci quędam eorum credunt quæ Christiani docent; Neque tamen eum opinor, accusator ferendum putaverit, qui Judæorum & Turcorum eandem cum Christianâ fidem ac religionem esse dixerit. Ergo conclusum hoc esto, Dallæum accusari, non quod quædam eorum, quę docet Geneva, sed quod omnia quę docet Geneva, *eadem & Romam credere* docuerit. Jam quæro, non ubi hoc disertè dixerim, (nihil enim me istorum disertè dixisse nuper ostendi) sed quid dixerim, undè hoc concludi possit? Negavi *Romam de fidei nostræ capitibus controversiam nobis facere*; dixi *Romam profiteri se ea nobiscum credere*, Deniq; dixi *Romã ea fidei capita adhuc hodiè habere*. Sed quænã fidei nostrę capita hîc intellexi? omniane simpli-

pliciter, quæ in confessione nostrâ continentur, an quædam tantùm certi ordinis, ac generis? Ipse verò liber loquatur, & de meô sensu testimonium dicat. *Facile est* (inquit) *probare illa dogmata, QVÆ NOS EX SCRIPTVRIS modò demonstravimus, omnium Christianorum esse communia; quæ veteres in symbolis, ac Synodis suis exposuerunt, atque illustrarunt; quæ recentiores, licet tam variè mutata religione retinuerunt; quæ omnia orbis Christiani climata summô consensu receperunt; quæ nè ipsa quidem Roma nobis facit controversa; sed ea se quoque credere profitetur.* Ergo ea istic a me religionis capita, quæ in superioribus erant ex Scripturis demonstrata, intellecta esse planum est. Si quæris, quænam demonstrata fuerint, adi superiorem libri partem; reperies istic ex Scripturis ostendi *Deum unum esse, æternum & immensum, optimum, ac justissimum, sapientissimum, omnipotentem, rerum omnium conditorem; item hominem ad imaginem Dei fuisse initiô creatum, peccatô ex eô statu, in quo erat creatus, excidisse; posterosque omnes suos originali labe vitiavisse & morti ac maledictioni subjecisse; Christum, æternum Dei Filium, ad servandum nostrum genus in terras venisse*; & cætera, quæ plurima illic suô quęque ordine divinarum litterarum testimoniis comprobata legi possunt, omnia ex eorum genere, quæ nuper *affirmativa* sive *positiva* a nobis dicta, & a negativis distincta ac divisa esse docuimus. Hæc ergo, non alia, Romam nobiscum admittere dixi; de his, non aliis, ullam *nobis a Romanis controversiam fieri* negavi. Sophisma est igitur accusa-

cuſatoris craſſum ac non ferendum, qui ut me calumniaretur, ea quæ de quibuſdam confeſſionis noſtræ capitibus, affirmativis ſcilicet a me demonſtratis dixeram, ſic accepit veluti de omnibus omninò tum affirmativis, tum negativis dicta eſſent. Dixi quæ Geneva ponit, ac affirmat credenda, ea nè Romam quidem ipſam negare. Tu indè conficis me & hoc ſimpliciter velle, *quæcumque docet Geneva, ea ipſa Romam quoque credere.* Quô jure? cujus Dialectices legibus? Geneva docet non modò ea credenda eſſe, quibus vera & ſalutaris fides conſtituitur, ac continetur, ſed & ab iis cavendum, quibus ea evertitur; verbi gratiâ, Docet Geneva *Deum latriæ cultu adorandum*; Docet eadem *non eſſe adorandam cultu latriæ eucharistiam.* Docet *Chriſtum eſſe Eccleſiæ caput & ſponſum*; ſed & docet *neque Papam, neque ullum alium nudum hominem Eccleſiæ caput & ſponſum eſſe.* De priori utriuſque doctrinæ parte Roma ſe cum Genevâ conſentire profitetur. De poſteriori, nemo neſcit quam præfactè neget. Non ergo ſi quæ ſunt in Genevenſi confeſſione poſitiva atque affirmativa, credere ſe Roma profitetur, eò fit ut quæcumque docet Geneva, eadem credat & Roma. Undè quivis videt calumniam eſſe immanem mihi, quod illud ſcripſerim, ideo quoque tribuere, quod hoc docuerim. Eadem eſt ejus, quod ſequitur, ratio. Scripſi *fidei meæ capita non eſſe apud Romanos controverſa.* Sed quæ? nempè ut ex totô locô apparet, *affirmativa*, quibus propriè continetur vera ac ſalutaris fides. Ergo (inquit

quit accusator) docuisti Romanorum fidem eandem esse, quæ & Genevensium est. Ridiculè; quasi eo ipsô locô, quô Genevensis fidei capita controversa esse negavi, non statim affirmarim *Romanæ fidei capita controversa esse*; quasi utrumque clarissimis exemplis non docuerim. Ut sit simpliciter eadem utrorumque fides, non est satis Romam ea confiteri, quæ credit Geneva; hoc quoque necesse est, ea Genevam confiteri quæcumque Roma credit, & creditu ad salutarem fidem necessaria esse statuit. Quod absit, ut dixerim unquam; aut vel somnians cogitarim. Ipse, qui accusatur, liber, & quidem proximô statim capite, profitetur non posse nos ullâ ratione admittere plurima, quæ Romani inter præcipua & maximè necessaria fidei Christianæ capita censent. Idem est accusatoris lusus in postremô hujus criminationis articulô. *Dallæus* (inquit) *docet planè certoque eandem nostram esse cum suâ religionem.* Primùm nusquàm hoc, nusquàm quod huic simile sit quicquam scripsi. Verba enim illa nostra, ad quæ accusator alludere videtur, *Quod ad meam religionem pertinet, hoc est meam fidem, quam ex Scripturis nuper demonstravi, palàm est de eâ consentire omnes veros tum veteris, tum recentioris memoriæ Christianos, eosque adeò ac consequenter meæ religionis esse; tametsi ego quidem non planè penitusque sim ejusdem opinionis, cujus illi esse in multis deprehenduntur. Illi quidem quicquid ego credo, id ipsum tenent; tametsi confitear fieri posse, ut non iis in omnibus, quæ opinantur, usquequaque assentiar*; hæc inquam, verba mea de se, aut suis dicta

dicta frustrà putat adversarius; quæ non de Romanis, sed de veris ac orthodoxis Christianis quicumque vel nunc sunt, vel olim fuerunt, aliquid præter communem cum iis nostram fidem, ferendum, opinantes, intelligenda esse; ista quæ continuo sequuntur, clarissimè demonstrant; *Iam verò eadem nostra est cum Romanis causa ac ratio. Nam & hi profitentur se ea, quæ nuper exposuimus, capita credere. Quæcumque est inter nos controversia, ea ex aliis capitibus nascitur; quæ illi quidem ponunt; nos verò negamus; quæ secum illi quidem ut admittamus, pro suâ virisi cogunt; quæ nos nè admittamus, repugnamus, ac omnibus modis contendimus.* Hic vides Romanos clarissimè ab illis superioribus, quos *religionis nostræ* esse dixi, apertissimè distingui, tametsi nostram cum utrisque *parem atque eandem hactenùs esse causâm* confitear, quod cùm utrique ea, quæ nos ponimus atque affirmamus, confiteantur, multa tamen utrique, varia licet ac diversa ponunt, atque affirmant, in quibus nos nequaquàm consentientes habent. Sed fac me (quod non dixi) id dixisse, *Romanos de mea mecum religione id est de ea fide, quam istic ex Scripturis demonstravi, consentire, esseque adeò ac consequenter meæ religionis*; indè-ne sequetur Romanorum religionem cum mea simpliciter atque absolutè eandem esse? Nihil minùs. Id tantùm, ut omnes vident, sequetur istorum de capitibus illis, in quibus mecum consentiunt, fidem hactenùs meæ fidei & religioni congruere (quod ne ipse quidem accusator negare potest.) Non sequitur, cum no-

ſtra planè penituſque eſſe eandem, illorum religionem quorum ſcilicet fidem ad alia multa præter iſta, de quibus nobiſcum conſentiunt, extendi patet, eaque velut neceſſaria ac capitalia complecti, a quibus nos abhorrere notum eſt. Si Romani in iis, quæ a Chriſtô & ab Apoſtolis tradita ſunt, & quorum plæraque ſum a nobis in ſecundâ libelli parte ex Scripturis demonſtrata, nobiſcum conquieſcerent; ſi his nulla alia adjicerent; profectò illorum religio cum noſtrâ eadem eſſet. Nunc quandò prô dolor, res longè aliter ſe habent; quandò iſtis a Dominicâ Scripturâ poſitis non contenti alia inſuper innumerabilia in religionem ſuam invexerunt, quæ eodem locô ac numerô cum ſuperioribus, de quibus conſentimus, cenſent; quis non intelligit ex eô, quod iſti religionis meæ hactenùs ſunt, quatenùs ea, quibus religio noſtra tota ferè continetur, univerſa concedunt, ac profitetur, minimè tamen ſequi illorum religionem eandem eſſe cum meâ? Mea quidem religio illi Romanæ religionis parti, de quâ utrique conſentimus congruit; Romana verò religio in iis, quæ fidei Chriſtianæ de ſuô addidit, a mea, quæ eam puram & ſinceram colit, multipliciter, neque ſanè mediocriter diſcrepat; quô fit ut una eademque cum meâ ſimpliciter dici ſinè immani mendaciô non poſſit. Qui enim eadem eſſe poteſt, quæ hoſtiam, quam nos *panem* eſſe credimus, pro *ſummô Deô* adorat? quæ Sanctos eâ cultus & invocationis religione proſequitur, quam nôs ſoli Domino
defe-

deferendam ſcimus? quæ Papam velut Eccleſiæ Catholicæ caput & ſponſum veneratur,quem nos dignitatem uni Chriſto debitam iſtis titulis rapere exiſtimamus? Cætera diſcrimina notiora ſunt,& verò a nobis in ipsô illô opuſculô, de quô nunc agitur, fuſiùs diſputata, quàm ut ea hîc perſequi neceſſe ſit. Neque verò eſt, quod putet accuſator illa Apoſtolicæ doctrinæ adjecta dogmata a me pro opinionibus liberis haberi, quas quis poſſit vel negare,vel admittere ſinè pietatis diſcriminè. Jam ſatis in Apologiâ oſtendi me de iſtis Eccleſiæ Romanæ erroribus planè aliter ſentire, exiſtimareque plæriſque ea ipſa religionis fundamenta everti, quæ illa ſe alioqui credere atque admittere profitetur. Quale eſt verbi gratiâ, quod cùm unum Deum adorandum confiteatur, hoſtiam tamen, quæ Deus non eſt, adorandam, & Sanctos unà cum ſuis imaginibus religiosô quodam cultu colendos decernit; quod cum Chriſtum unum ſuum caput agnoſcat, Papam tamen, qui Chriſtus non eſt, pro verô ac ſupremô ſuô capite agnoſcit. Itaque ſiquandò vel nos, vel noſtri *Chriſtianæ religionis fundamenta apud Papæ communionem haberi, vel retineri* concedimus; id de profeſſione intelligendum eſt (quod Romani ſcilicet verbis profiteantur ſe ea, quæ ſunt Chriſtianæ religionis fundamenta, vera eſſe credere) non autem de re ipsâ; quaſi religionis fundamenta pura, integra, atque illæſa ſervaverint. Nam vel ex his pauculis patet, hæc eos, quæ profitentur ſe noſſe atque crede-

re, invectis contrariis dogmatis negasse ac subvertisse. Hoc tamen liberter agnoscimus inter tot corruptelas, quibus variè ac multipliciter deformata, ac pænè obruta est divinissima Christi religio, summô Dei beneficiô factum esse nè illi hactenùs Evangelicæ doctrinæ capita ac fundamenta apertè abdicarint, sed ut eorum ipsorum, quæ alioqui graviter addititiis dogmatis ac cultibus quassarunt, confessionem nihilo seciùs retinuerint; hæc ita ut apparet, gubernante Domini providentiâ, ut & tristissimis ipsis temporibus haberent oves suæ quæ a venenis secreta in usum suum sumerent, & Ecclesiæ emendatio, ac reformatio faciliùs olim institui, peragique posset; dum vel apud eos ipsos, a quibus discedere coacti sumus, ea affatim invenimus, ex quibus illorum errores nullô negotiô coarguerentur, & vere à falsis distinguerentur. Atque ita id, quod diximus, accedit, ut pænè de omnibus, quibus vera, id est Christiana religio constituitur nulla nobis fere esset cum Romanis controversia; de iis vel tantùm, vel certè præcipuè esset, quæ illi veris falsa, solidis futilia, salubribus noxia, & pestifera, purìs denique inquinata vel addiderunt, vel admiscuerunt. Nostri operis, ac laboris hoc unum fuit ab istis addititiis Apostolica, quorum etiam apud ipsos adversarios personat confessio, secernere; gemmam Evangelicam legere, lutum, quô erat fœdata, abstergere; aurum servare,

quis-

quisquilias, quibus erat obrutum, purgare; escam cœlestem retinere, toxicum, quô aspersa erat, amovere. Itaque si rem accuratè expenderis, reperies in omnibus ferè, quæ inter nos & Romanos agitantur, de religione quæstionibus eorum quidem has esse partes, ut id de quô quæritur, ponant atque affirment; nostros verò, ut negemus & refutemus. Id acutè & vere, tametsi pessimô animô, observavit maledicentissimus, & impotentissimus nostrorum insectator, Stapletonus; ubi de nobis, quos pro consuetâ modestiâ *hæreticos* vocat, *Tota* (inquit) *hæreticorum doctrina hodiè quanta quanta est negativa est, ablativa est, destructiva est; affirmata positiva, ædificativa nulla est. Dogmata negativa sunt hæc, Non esse veram Ecclesiam, quæ dicitur catholicæ; Non esse Romanum Pontificem Christi vicarium, & supremum Ecclesiarum caput; Non esse recipiendas traditiones extrà Scripturam; non esse septèm sacramenta, non conferre illa gratiam; Non esse in sacramentô altaris verè & realiter corpus, & sanguinem Christi; Non esse baptismum ad salutem necessarium; Non remitti peccata per baptismum; non esse communicandum sub unâ specie; Non esse faciendam peccatorum confessionem sacerdoti; Non esse suscipiendas pro peccatis satisfactiones; non esse Missam verum sacrificium; non esse istud propitiatorium; non esse consecranda templa, altaria, vestes eoque pertinentia. Non esse ullum meritum æternæ vitæ. Non obligari fideles ullis Ecclesiæ legibus; Non esse ex præceptô jejunandum; Non esse ex Ecclesiæ præscriptô celebranda festa; Non esse oran-*

Prompt. Cath. p. 2. in fer. 3. Pentec. textu 4. Fur non venit.

randum pro defunctis; Non esse invocandos Sanctos; non esse peregrinandum religionis ergo; non esse venerandas Sanctorum reliquias; non esse emittenda vota perfectionis; non esse liberum arbitrium; nil valere indulgentias; non esse justificationem aliquam ex bonis operibus. Hæc & alia multa sunt eorum dogmata negativa. Et mox statim interjectô immani convitiô, *Est doctrina negativa & ablativa religio.* Hactenùs Stapletonus; qui *religionem nostram* dicit quicquid soli & seorsùm a Romanis de rebus divinis & ad religionem pertinentibus sentimus. Neque enim nescivit nos multa de religione affirmare; sed hæc quià Romani quoque affirmant, & quidem jam antè quàm ab iis discederemus, ideò *religionis nostræ* nomine non senset; quià Romanæ pars sunt, & ea a Romanis accepisse & hausisse videmur, non a nobis habere. Ergo quicquid ita nostræ religionis proprium est, ut non sit nobis & cum Romanis commune, id ille *negativum* esse ait; undè clarum est eum id quoque putasse nihil nos de religione affirmare, quod sit solius nostræ religionis proprium, id est quod non nobis cum Romanis commune sit, sive quod non & Romani nobiscum affirment. Exsertè enim pronuntiat neque semet *totam nostram doctrinam negativam & ablativam esse, quantacumque est, affirmativam & positivam nullam esse.* Itaque & hic veteranus controversiarum Magister mecum docet nobis non esse cum Romanis controversos articulos fidei meæ affirmativos; neque aliud controversiæ inter nos genus observabit, nisi hoc in

quô

quô nos id negamus, tollimus, & evertimus, quod Roma affirmat, ponit, & ædificat. Neque tamen iſtum, credo, accuſatores mei dicent ſenſiſſe *eandem eſſe Romanam cum noſtrâ religionem, & Romanam fidem ac religionem cum Genevenſi & Carentonenſi planè & certè eandem eſſe.* Si verò hunc abſolvant, & me abſolvant neceſſe eſt, adeoque agnoſcant ſe calumniatos eſſe me, dum eò quod ſcripſerim *Romam quæ ſunt affirmativa fidei noſtræ capita ea nobiſcum confiteri*, mihi imputant eandem ſimpliciter cum noſtra eſſe omnem Romanorum religionem ac fidem. Neque hic mihi quiſquam calumniam inde ſtruat, quod cum Stapletanô dicam Romanos nobiſcum de omnibus, quæ de religione affirmamus & ponimus, conſentire. Hoc enim eſt ſimpliciter & bonâ fide, non ut præcisè & ἀκριβῶς dictum accipi velim; non quod fortaſsè non ſit aliquid quod in religione & a nobis affirmetur, & ab adverſariis negetur, ſed pleraque & ferè omnia ita ſint comparata in iis quæ nobis ſunt cum Romanis controverſiis, ut id, de quô quæritur, nos negemus, illi affirment; quod ex Stapletoni enumeratione ſatis liquet. Quod ſiquid occurrat in his controverſiis diverſum, id ego pænè pro certô affirmare poſſe mihi videor hujuſmodi eſſe, quod vel ad prius illud genus revocari & poſſit & debeat, vel certè ad ea pertinere, quæ non ſunt ad ſalutem plane penituſque neceſſaria. Atque ita jam ſatis, ni fallor, demonſtravimus inane ac futile eſſe, nullaque ratione ex dictis meis concludi poſſe quod

accusatores me calumniati sunt, quasi vel scripsissem, vel sentirem eandem cum nostrâ esse omnem Romanorum religionem. Nunc illud alterum spectemus, non minùs stultum, atque incredibile, quod me fingunt docere *cæterorum omnium (octò tantum exceptis) hæreticorum ac sectariorum hæreses esse opiniones merè adiaphoras, ac liberas, quas nullò vel veritatis vel Euangelii præjudicio licet vel admittere vel rejicere.* Iam suprà ostendi quantùm ab istâ insaniâ absim; Illud etiam præstruxi nuspiam hæc in librô meô *disertè formaliterque* ita scripta esse. Nunc id unum ab accusatore peto, quid apud me legerit, undè hoc portentum concludi ac confici possit? Tu (inquit) ita scripsisti; *Nulli nobis de his* (affirmativis scilicet fidei nostræ capitibus) *controversiam faciunt, nisi Sabellius, & Samosatenus, Arias & Photinus, Manichæus & Pelagius, Nestorius & Eutyches, hæretici omnes antè multa sæcula universalis Ecclesiæ fulminibus obtriti, & obruti.* Ego quidem inquam, hæc scripsi. Tu verò ex his quæ scripsisse me fateor, dic quâ ratione illud confeceris, quod mihi a te falsò & per calumniam imputatum esse queror. Non jam reprehendo calculum tuum, quod istos, quos nominatim excepi, octò esse conficias. Reperio planè esse totidem, quot tu posuisti. Et si tibi Logica ratio æquè ac Arithmetica constaret, nihil esset, quod objicerem. Sed qui benè ac feliciter octò hæreticos numerasti, miror qui factum sit, ut tam abnormem, tamque ab eô, quod scripsi, alienam conclusionem posueris. Ego

scri-

ſcripſeram (ut te quidem vis; de quô mox videro) ea omni hæreticorum numerô non plures eſſe, quàm octò illos a me nominatos qui nobis de affirmativis fidei noſtræ capitibus controverſiam facerent. Hinc ſequebatur cæteros ergo omnes hæreticos, quicumque tandem ſint, nullam nobis de religionis noſtræ capitibus affirmativis controverſiam facere. Cur hoc, quod ſequebatur, non concluſiſti? Cur aliud, quod plane a mea mente & oratione alienum eſt, intuliſti; nempe; ergo cæterorum hæreticorum hæreſes eſſe *liberas & adiaphoras opiniones*? Quia (inquis) hoc, non autem illud ſuggeſſit mihi Veronus. Cur autem hoc illi prætulerit Veronus, ego quidem inquam, veram niſi vehementer fallor, rationem video; Nempè illud craſſum quidem & delirum eſt; hæreticum tamen non eſt; hoc verò planè hæreticum eſt. Itaque Veronus hoc mihi, quod me *hæreſeos* crimine aſpergeret, tribuere etiamſi falsò, ac præter rationem, maluit, quàm illud alterum, quod ſimplicem ſtultitiæ, ac delirii notam inureret, etiam cum aliquô colore imputare. Ego verò non miror fallacem & futilem eſſe ejus ratiocinationem, qui omnem hanc humanæ mentis operationem velut dubiam & incertam, & infidam jam pridem deſpuit, & quęcumque ratio argumentando explorat, ac diſcit ea *chimæras, & phantaſias* vocare ſolet. Vel hujus diſciplinæ profeſſio Veronum cogit malè ratiocinari nè ſuam ipſe artem atque ſapientiam evertere videatur, ſiquid ratiocinaretur,

tur, quod rectum, ac firmum, & minimè fallax esset Verum artis-ne fuerit, an naturæ hoc ejus, nescio; Illud scio, neminem unquâm crassiùs, aut stultiùs, quàm istum hoc quidem locô, esse rationatum. Vult ne dixisse omnes hæreticos præter octò nominatos, nostræ nobis fidei capita affirmativa concedere, neque quemquam eorum de his controversiam nobis façere. Donemus hoc ei tantisper, dum & in hoc ipsô fuisse eum turpiter atque pueriliter hallucinatum, ostendero. Hinc concludit me docere cæterorum omnium hæreticorum extrà illam agdoadem, hæreses *opiniones esse liberas & adiaphoras.* Atqui hoc ex illô confici non potest, nisi ita argumentur Venonus; *Dallæus docet quicumque sibi & suis nullam de affirmativis confessionis suæ articulis movent controversiam, eorum hæreses esse opiniones liberas & adiaphoras, omnisque veneni expertes; Idem autem Dallæus docet omnes hæreticos, si octò tantûm a se nominatos exceperis, ullam sibi, nullam suis de affirmativis confessionis suæ capitibus movere controversiam;* Ergo *Dallæus docet omnium hæreticorum, octo tantum illis exceptis, hæreses esse opiniones liberas, & adiaphoras, omnisque veneni expertes.* Nemo eruditus non videt Verono omninò sic esse argumentandum, si crimen, quod Episcopis in me suggessit, ex verbis meis paulò antè recitatis, probare velit; neque ea aliter vim ullam ad hanc accusationem confirmandum habitura. Sed neque cuiquam obscurum esse potest, quàm misera sit, quàm futilis, quàm ab omni parte cassa, ac imbellis hæc planè Veroniana,

id eit,

id eſt, fallax ratiocinatio. De ſecundâ ejus propoſitione, mox dicam. Priorem verò, quam vulgo *majorem* vocant, undè habet Veronus? An a Dallæô? Atqui is, non modò id non docet, quod eum docere mentitur inſana hæc propoſitio, ſed planè diſerteque aliud docet. Nam in Apologiâ, & alibi contendit graviſſimos, imò letales, eſſe, & a verâ pietate ac ſalute alienos multos Romanorum errores, quos tamen hoc ipsô locô ait profiteri ſe affirmativa illa Genevenſis confeſſionis capita credere. Ergo planum eſt eum id negare, quod hic docere falsò & inverecundè fingitur. An a rebus ipſis hauſit, hanc ſuam mirabilem conſecutionem Veronus, ut ſiquis de affirmativis fidei capitibus nullam controverſiam moveat, is in nullos poſſit errores niſi leves, & adiaphoros incidere? Atqui nullus apparet conſecutionis nexus; nulla vis quæ efficiat, ut illô priori poſitô hoc poſterius conſequi neceſſe ſit. Montanum initiô ullam de affirmativis Eccleſiaſticæ fidei capitibus controverſiam moviſſe non legimus. An ideò levis, & adiaphorus error ejus fuit, quo certorum jejuniorum & ex præſcriptô, ſtatis temporibus obſervandorum leges promulgare, atque ita conſcientias fidelium liberas ſubjugare auſus eſt? Fieri poteſt, imò nimiùm quàm ſæpè factum eſt, ut affirmativa fidei capita inductis ex adversô dogmatis evertant, etiam ii ipſi qui de illis nullam alioqui movent controverſiam. Ita Colliridiani, quos affirmativa fidei capita ac fundamenta rejiciſſe vel oppugnaſſe pa-

lam

làm nusquàm legimus, usum tamen præcipuis illis fundamentis inductâ Mariæ adoratione subvertisse legimus. Nam ut sunt
Tit. 1.16. Paulô teste, qui cùm *Deum se nosse confiteantur*, eum tamen *factis negant*; ita neque esse dubitandum est, qui ea ipsa religionis fundamenta, quæ ore profitentur, re ipsâ tamen subruunt inductis in religionem aut cultibus impiis, aut profanis dogmatis: idque nos in Romani Pontificis communione accidisse credimus, qui cum se affirmativa illa capita, quæ ego ex Scripturis in hoc libellô demonstravi, recipere ac credere profiteatur, alia tamen neque pauca, neque levia docet, aut jubet, a vero, a fide, & a salute aliena. An ergo & horum errores *adiaphoros* esse statuo, qui alibi apertè diserteque doceo nullam nobis esse debere cum iis communionem quorum errores unâ cum salute & necessariâ ad eam pietate consistere non possunt? Quid si leves quidem per se sint istorum errores, sed tamen hujusmodi qui velut necessaria quædam fidei Evangelicæ capita obstrudantur, & urgeantur? An & hos ferendos putabo, ac non potiùs præcepti Apostolici meminero,
Gal. 1.8. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit*? Ergo planè penitusque falsa est ille major propositio, quâ unâ nititur tota hæc Veroni calumnia; cùm nunc constet neque eorum qui Euangelicæ fidei affirmativa capita agnoscere se profitentur, errores ideò libros & adiaphoros necessariò esse, neque id Dallæum un-

unquàm docuisse. Hoc autem disjectô totius criminationis præsidiò unà corruit omnis istorum accusatio. Nam si neque Dallæus docuit, neque verô necesse est liberos, & adiaphoros in Ecclesia esse eorum errores, quicumque nullam nobis de affirmativis fidei nostræ capitibus controversiam movent; planum est quicquid ille dixerit de cæteris extrà ogdoadem illam hæreticis, id eò pertinere non posse ut eorum errores ferantur & pro opinionibus liberis habeantur. Cùm enim eos ipsos, qui capita fidei affirmativa profitentur, nihil, ut diximus, prohibeat interdum incidere in gravissimas hæreses, & omnium fidelium excommunicatione dignas; quis non videt Dallæum falsò ac inverecundè accusari, quod omnium istorum extrà ogdoadem errores pro *liberis & adiaphoris* censendas doceat, etiamsi istos, quod volunt adversarii, nullam sibi de affirmativis confessionis suæ capitibus controversiam movere existimaret? Sed tametsi hæc ad purgandum grave & atrox hæreseos crimen abundè sufficiant, neque tamen labes in verbis illis meis resideat, breviter postremò eluendus est ineptus ac ridiculus, imò & falsissimus sensus, quem iis accusatores mei affingunt; calumniantes me hoc locô omnium hostium, qui affirmativa nostræ fidei capita in controversiam vocarunt, numerum ogdoade conclusisse, definivisseque a nemine unquàm pulsatos aut oppugnatos fuisse illos

Evan-

Evangelicæ doctrinæ cardines, nisi ab octò illis, qui istic a me nominati sunt, Ego verò nunquàm ita sensi, neque possum satis mirari, quod tam stultum, tamque anile delirium mihi præter omnem rationem imputetur. Est enim hoc non modò falsum, sed etiam adeò crassum atque abnorme, ut non videatur in cujusquam sani hominis mentem venire posse, qui quidem & de nostrâ fide, & de hæreticis aliquid vel fando audiverit. Huc accedit, quòd in eô ipsô libellô, in quô ista leguntur, multa alia extant ab hoc deliramentô adeò aliena, ut monstri instar sit libelli auctorem hac de re sic sentire potuisse. Volunt adversarii me præcise negare ullum fidei in priori operis parte ex Scripturis demonstratæ caput ab aliô ullô, quàm aliquô ex istis octò hæreti-

De fid. in Scr. fund. p. 2. c. 2. s. 9.

cis in controversiam vocatum esse. Atqui unum hoc ex illis captibus fuit *Deum Christi Patrem*, eundem esse *cœli ac terræ conditorem*; quod a Marcione & a Valentinianis refutatum esse omnes sciunt; qui tamen nulli ex illis octò fuerunt. Est & hoc inter

Ibid. c. 4. s. 2, 3. 4.

cætera fidei illic demonstratæ capita *Iesum Christum extitisse antequàm de Mariâ nasceretur*; quod olim ab Ariemone antè ogdoadem, & nuper diù post ogdoadema Socinô oppugnatum esse quis nescit? Libellus edit

Ibid. c. 4. s. 6. c. 5. s. 1. 2. c. 10. s. 4. 5.

inter affirmativa fidei nostræ capita *Iesum verè natum, verè mortuum, & resuscitatum esse*; tum etiam *Spiritum Sanctum verè Deum esse*; quorum illud quidem Docitæ, hoc verò

Ibid. c. 6. s. 7.

Macedoniani, utrique extra illam ogdoadem, negarunt. Est & hoc de libelli placitis

tis unum *nefus esse Christianum hominem mentire*; de quô profectò nemo dixerit nunquàm dubitasse Priscillianum, qui suis perjuriarum & æquivocationum usum concedebat, & hunc tamen constat de octò illis solis fidei nostræ hostibus unum non fuisse. Quid, quod unum fidei in libellô expositæ caput, quod est de *carnis resurrectione*, quatuordecim, si benè memini, hæretici aut negarunt, aut corruperunt; Simon, Plutetus, Basilides, Carpocrates, Valentinus, Apelles, Marcion, Cerdo, Caianitæ, Severiani, Archontici, Hieratici, Selenciani, & Proclianitæ? quorum, ut liquet, nemo in nostrâ ogdoade occurrit. In aliâ ejusdem libri parte constituitur e Scripturis *non licere vel antè ipsam Christi imaginem religiosi cultûs gratiâ procumbere*. Huic certè definitioni non est assensus Carpocrates, & ipse de octò nullus, qui præter Christi imagines, etiam Homeri & Platonis simulacra venerabatur. Qui ergo hæc & alia non pauca ejusdem generis scripserit, eum seriò negasse affirmativa suæ fidei capita non alios in controversiam vocasse, quàm illos octò aut falsum est; aut si verum est, illud quoque verum esse necesse est istum nescivisse vel alios ullos unquàm hæreticos extitisse præter istos octò, vel scivit aliquos extitisse, ignorasse quæ illorum fuerint dogmata. De me, quid judicent adversarii, nescio. Hoc scio me cum hæc scripsi, non planè ista ignorasse. Cur ergo, inquis, ita scripsisti? *Nulli nobis de his* (fidei nostræ capitibus) *controversiam movent, nisi Sabellius & Paulus Samo-*

Ibid. c. 12. s. 2.

Ibid. P. 3. c. 10. & c. 15. s. 8.

mosatenus &c. Quia nullas inquam, insidias pertimescebam; neque in tam simplici, tamque apertâ oratione ullum fore cavillationi, aut calumniæ locum putabam. Neque enim quisquam est cui absque studio locum legenti non statim sit manifestum mihi id unum istic esse mentis, ut significem affirmativorum capitum, quibus fides mea continetur, veritatem ita claram esse, ut ab omnibus vere Christianis & Catholicis agnoscatur ? a solis hæreticis negetur, vel etiam in dubium vocetur. Sed tu (inquit) non plures, quam octò hæreticos nominasti. Nominavi, inquam, sed non numeravi. Neque enim id agebam, ut omnes fidei nostræ hostes sigillatim recenserem, certumve eorem atque accuratum indicem, aut catalogum pertexerem. Aliquot ex hæreticorum genere nominatis, qui præ reliquis famosi sunt, cæteros putavi qui sunt ejusdem ordinis facilè intellectum iri. Istos octò, non ad numerum, sed ad exemplum posui; non quod solos fidei nostræ adversatos esse (quod stultissimum est) cogitarem, sed ut significarem a nemine fidem istam nostram pulsari, nisi qui sit ejusdem cum octò illis a me exempli gratiâ commemoratis censûs; hoc est, nisi qui sit perditissimus hæreticus. Notus etiam pueris est tropus, omnibus laudatis scriptoribus familiaris, quô nomen in aliquô genere insigne pro totô illô genere, in quô ipsum excellit, ponitur; ut si *Catonem* prò virô gravi, *Aristotelem* pro philosophô acutissimô, *Cæsarem* pro Imperatore egregiô dixeris. Quid-ni & mihi *Arium*, &

Pho-

Photinum, *Pelagium* & *Manichæum*, *Sabellium* & *Paulum Samosatenum*, *Nestorium* & *Eutychem*, quos ex hæreticis cognitissimos & damnatissimos fuisse omnes sciunt, pro hæreticis perditissimis usurpare licuerit? Itaque verus, clarusque ac perspicuus loci sensus est, non solos istos præcisè, neque ullos omninò alios fidem nostram oppugnasse (quod est & falsissimum, & a totius disputationis mente ac scopô planè penitusque alienum) sed (quod & verum est, & dicentis instituto ad amussim congruit) non ab aliis oppugnatam esse fidem illam, quam istic intelligo, nostram nisi a perditissimis & damnatissimis hæreticis, omninoque eorum similibus, quorum nominibus istic a me sunt significati propter egregiam ipsorum in totô hoc hæreticorum genere nobilitatem & famam. Veronus hoc, quod cuivis etiam de infimâ scholâ tironi erat obvium, non vidit. Quid enim ille videat, quem ratio, ut juratum hostem suum fugit? quem methodi a me prostratæ atque eversæ dolor urit? quem odium & ardens mei calumniandi studium excæcavit? Episcopo certè dolere nunc debet, quod de re nihili, & unius hominis cæcitate atque malignitate subnixà tantos clamores etiam apud ipsum Regem excitarit, ad cujus Majestatem deferri non alia decebat crimina, quam planè penitusque comperta ac explorata. Jam detectâ accusatoris calumniâ, spontè suâ dilabitur, ac in fumos abit stultum illud & insanum corollarium, quod ille mihi postremò affingit; *Dallæus* (inquit) *statuit*

tuit nullam a cœtu aliquô Christi nomen profitente dissessionem justam, ac legitimam dici posse nisi quæ ad salutem necessaria sit. Idem autem arbitratur omnes omnium hæreticorum (octò tantùm exceptis) errores venenô carere, neque adeò vel animæ periculum creare, vel pietati præjudicium ullum afferre. Ergo (inquit) *ex Dallæi decretis nemini licet ex eâ, quam profitetur, sectâ discedere, nisi ea una aliqua fuerit ex octo illorum exceptorum familiis.* In hoc epichiremate multùm sibi placet Episcopus, & quod ipse sibi fabricatus est monstrum in eô strenuè confodiendô suaviter ludit; *actum esse de religione* clamitans, *si hæc ferantur*, & alia nonnulla hoc locô agglomerans, quæ nihil necesse est accuratiùs considerari, quod omnia vanô & futili fundamentô nitantur. Quod enim his præstruit accusator, & quô pendet tota ejus declamatio, Dallæum scilicet arbitrari omnes cæterorum hæreticorum errores veneni expertes esse extrá illam ab ipsô ex Veroni afflatu somniatam ogdoadem; id inquam satis demonstravimus, quàm falsum, quàm inane, quàm denique nulla ratione, nulloque pudore confictum sit.

Orat. p. 14. extr.

Nunc ergo ad secundam veniamus Episcopalis accusationis partem; in quâ Orator in nostras Ecclesias magnâ animi vehementiâ, & ambitiosissimis verborum fulminibus invehitur; easque *sacrilegii*, & *criminum* nescioquot capitalium, & *multipliciter violatæ Regiæ dignitatis* reas agit, & hanc partem postremo sic perorat, ut gravissimè indignetur *Principi a nostræ religionis ministris eripi*

Ibid. p. 16.

Ibid. p. 20.

eripi quæcumque ei a subjectis populis deferri divinæ leges severissimè jubent, non honorem modo & timorum, sed etiam tributum. Quis non ad hanc orationem cohorrescat? quis non tanti sceleris auctoribus diras vel metuat, vel imprecetur? Quid ergo tandem ausi sunt *Ecclesiarum nostrarum ministri*, quod tum tristibus elogiis, tamque horrendô Oratoris hiatu dignum sit? *Illi* (inquit) *ultimum psalmi decimi noni versiculum aliter reddiderunt, quàm Latinus.* Pro his enim verbis, quæ & in veteri editione leguntur, & in Romani ritus Ecclesiis, canuntur, *Domine salvum fac Regem; & exaudi nos in die, quâ invocaverimus nomen tuum*; errantium (sic enim nos appellat Orator μεγαλήγορος, & sane κακηγόρος) *errantium* (inquit) Biblia habent, *Domine salva, ut rex nobis respondeat in die, quâ clamabimus*; & recepta apud eos rhythmica psalmorum paraphrasis* eundem quoque sensum exhibet. En quò reciderit tota illo tam minax, tamque terrifica Oratoris accusatio! ut ejus mihi in mentem veniat quod est in veteri adagiô, *Parturiebat mons; mus natus est.* Benè cecidit, quod tam accuratus accusator non meminerit quod nostri Psalmum, in quô hæc habentur, vicesimum, ut Hebræi, non decimum nonum, ut Latini, numerent. Neque enim dubito, quin aliquod majestatis crimen in illâ, quamtumvis levi diversitate deprehensurus fuerit, si suam illam in criminando δεινότητα paulùm hic infendere voluisset. Sed nos missis magnificis illis quidem, sed ad rem parùm pertinentibus Episcopalis rhetorices pompis, observemus in-

* Seigneur, plaise toi nous defendre, Et faire que le Roy Puisse nos requestes entendre Encontre tous estroy.

primis hanc illius versiculi interpretationem, quæ velut atrox, & quidem recens crimen in psalmis nostris denotatur, apud nos semper & publicè & privatim sonuisse, a quô nobis aliqua religionis in Galliâ libertas Regiæ clementiæ favore concessa est. Orator ait Ecclesiam nostram Latini interpretis mentem & expositionem initiô Reformationis retinuisse, rhythmos Gallicos, * quibus ea expressa erat, exhibet. *Nunc verò* (inquit) *hunc sensum mutavit & corrupit.* Planè sic loquitur, quasi prior illa ex Latini mente versio antehac apud nos diù multumque viguerit; altera, quâ corruptum esse dicit, prioris sensum, nuper tantùm vel nudius-tertiùs & facta & in usum recepta fuerit. Atqui res longè aliter se habet. Prior enim illa ex Latini mente expressa hujus versiculi rhythmica paraphrasis edita quidem fuit; sed vel nullô apud Ecclesias nostras in usu fuit, vel si in aliquô fuit, certè ad paucissimos annos fuit. Unum exemplar vidi annô (si benè memini) 1559 excusum, quod non omnium, sed aliquot tantùm psalmorum paraphrasin, velut in specimen operis exhibebat. In eô exemplari fateor illius e psalmô 19. versiculi paraphrasim hunc ipsam fuisse, quam hic Episcopum recitare non piguit. Post id locorum nuspiam apud nos editam fuisse reperio; An antè fuisset, non possum certô affirmare. Illud quidem planè constat posteriorem paraphrasim, quam velut nuper correptam exagitat. Orator, annô superioris sæculi sexagesimô

Orat. pag. 17.

* Seigneur plaise toi de defendre. Et maintenir le Roy, Uneille nos requestes entendre, Quand nous crions a toy.

mô ſecundô (id eſt eô ipsô, quô religionis libertas conditô ac promulgatô Januarienſi, ut vocant, Edictô primum nobis conceſſa eſt) jam in uſum noſtrum fuiſſe receptam. Nam ex Regis privilegio (quod paulò antè, nimirum a. 1561. d. 19. Oct. in Sancti Germani caſtellô datum erat Roberteti Secretarii manu ac nomine ſubſcriptum) ea ipſa pſalmorum rithmica paraphraſis, quâ nunc utimur, non unô in locô, variis & quidem venuſtiſſimis formis annô illô nuper memoratò 1562. excuſa, atque edita eſt, Lutetiæ apud Adrianum Regem, & Robertum Balardum, & Martinum Juniorem, & Rolinum Motet, Lugduni apud Joannem Tornæſium, & annis ſequentibus etiam alibi apud alios, undè breviſſimô tempore propagata eſt magna, ac pænè innumerabilis exemplarium copia; quorum pars etiam hodiè ſupereſt, & ab hujuſmodi rerum curioſis, tum ob vetuſtatem, tum ob elegantiam typorum cupidè ſervatur. In his omnibus (ego enim plurima inſpexi, & inter ſe contuli) decimus ille pſalmi viceſimi (Latino decimi noni) verſiculus planè iis ipſis rhythmis, & modulis expreſſus legitur, qui hodiè apud nos in uſu manent. Neque ab eô tempore quicquam in noſtrâ Paraphraſi mutatum. Si ergo, quod accuſatores in primâ de Lutheranis criminatione contendebant, religio noſtra eô in locô conſiſtere debet, quô tum fuit, cum primum ejus publicè exercendæ nobis poteſtas promulgatô edictô a Rege conceſſa eſt; apparet nullam fuiſſe querendi ac

criminandi causam, quod ea in psalmis hodiè canamus, quæ majores nostros jam tum cecinisse constat, cum primùm de religionis nostræ libertate edictum publicatum est. Sed & hinc videre est, quàm sit falsa, & ab omni veri specie aliena tota illa horribilis nostræ hujus paraphraseos accusatio: quá affirmat Orator *Regiæ majestatis jura imminui, debitique ei honoris, ac timoris, & ipsius quinetiam tributi partem non contemnendam concidi, ac eripi.* Nam si hæc vera sunt; cur nemo nos tantorum criminum his totis 70. annis postulavit? Cur hæc Princeps, quæ ad ipsius injuriam, si isti credimus, tantoperè pertinent, totô hoc tempore possim in suô regnô impunè cantari passus est? Cur ex tam multis sapientissimis atque fidelissimis reipublicæ Ministris nullus ad impias scilicet & nefarias voces evigilavit? Aut si nemo sapit præter Episcopos, cur ipsi Episcopi tamdiù tacuerunt? Cur ab annô 1562. ad hunc 1636. Principis majestatem ac salutem securè a nobis contemni non senserunt? Non intelligunt viri acutissimi, se dum ita agunt, non modò nos, quos oderunt sed & suos, & quidem utriusque ordinis, politici inquam, & Ecclesiastici pulsare? & hoc incredibilis cujusdam stuporis, prodigiosæque negligentiæ apertissimè damnare, dum nos sic accusant? Sed quid ego hæc Regem passum esse dico? Ille verò psalmos istos, qui nunc accusantur, non modò vel à nobis cantari, vel a Typographis excudi passus est; sed eos insuper suô privilegiô munivit, & testimoniô ac pænè lau-

Orat. p. 16, 17, 20

laudatione suà cohonestavit. In regiô enim illô privilegiô, cujus nuper meminimus, hæc Caroli Regis IX. nomine disertè perscripta leguntur, *A viris doctis, sanctæ Scripturæ, & linguarum peritis perspectum atque exploratum fuit psalmos istos juxtà veritatem Hebraicum esse redditos.* Hinc æstimari docet quanta fuerit Francisci Veroni temeritas, qui paraphrasin cum privilegiô Regis amplissimâ olim editam, & hoc insigni doctissimorum virorum testimoniô ornatam, & apud nos sinè ullâ Principis offensione aut querelâ tot jam annos in usu quotidiano perseverantem imminutæ majestatis, infandi & in auditi criminis primus postulare ausus est; quanta Episcoporum securitas, qui sibi ab homine vanissimô tam facilè imponi passi sunt; quanta denique Aurelianensis facilitas, qui immani istius calumniæ suam eloquentiam commodare non dubitavit. Sed jam videamus quibus tandem rationibus crimen adeò incredibile firmare, ac ipsi Regi persuadere conati sint. Episcopus hic multa philosophatur de *honore, timore & tributô* Regibus a subditis suis debito; ex quibus conficit horum esse officium pro sui Principis salute, atque incolumitate Deum precari; & qui preces hujusmodi abolere, ac corrumpere conantur, eos in Principem graviter peccare. Atque hæc, quæ nemo Christianus negat, fusè exsecutus, tandem ita definit, *Ita* (inquit) *Ministri debitum Principi ex divinâ lege honorem, timorem, & tributum eripiunt, dum publicas pro ejus Majestate preces exscindunt.* Pro Dei atque ho-

Orat. p. 18.19.20

 minum

minum fidem! quid audio? *Ministri* (inquis) *publicas pro Rege preces exscindunt.* Ita-ne verò! Atqui nulla ab istis, quos tu intelligis, religionis nostræ ministris publica collecta, vel concio habetur, in qua non Regis salutem, dignitatem, vitam domum, ac imperium humillimis, atque accuratissimis precibus Domino Deo per Christum commendent. Hoc primum est ejus orationis votum, qua illi liturgiam diei dominicæ sacram omnium maximè solemnem concludunt. Hac illi suos omnes in Principem pietate a teneris diligentissimè imbuunt; hanc ex Paulo disciplinam omnibus commendant; hanc rationibus confirmant; hanc petitis tum ex veteri & novo testamento, tum ex primâ ac puriore Christianorum Ecclesiâ exemplis illustrant; hanc denique ita altè suorum auditorum animis infigunt, ut honesta nostrarum familia nulla ferè sit, in quâ non quotidie Evangelicum hoc piæ pro Principe orationis sacrificium Deo manè ac vesperè ritè offeratur. Neque id mirabitur, qui quæ nostra sit de Principis dignitate ac munere ex Dei litteris hausta, perceptaque sententia, vel

Artic. 39. 40.

ex confessione ipsa nostra didicerit. Quò accedit & nostra ipsorum ratio. Nulli enim sunt cives, quibus salus atque incolumitas Principis carior esse debeat, quàm nobis, qui aliis mortalibus ob religiosis diversionem ferè exosi, humanisque omnibus præcidiis nudati, unâ Regis auctoritate stamus, & ex sacro (ut sic dicam) ejus ore spiritum ac vitam ducimus; ut nos si
vel

vel divina Christi nostri lex vel communis patriæ caritas, vel universi regni salus non moveret, ipsa tamen nostri commodi ratio hujus officii immemores esse non sineret. Neque ignota loquor. Nemo ferè est nostrorum civium, qui hos esse mores nostros hanc religionis nostræ disciplinam nesciat: quo fit ut mirari satis non possim, quod hæc Aurelianensi Oratori tam absurda, tamque ab omni veritate ac fide aliena vox in tantâ hominum luce, eo loco, eaque frequentia in ipso augustissimo Regis consistorio excidere potuerit. Neque est, quod aliquis putet eum non simpliciter de omni pro Regis majestate oratione intellexisse, sed de illâ propriè, quæ apud Latinum interpretem habetur psalmo 19 (Hebræis 20) versu 10. Primò enim disertiora sunt Episcopi verba, quàm ut ullus huic effugio locus sit reliquus, *Ministri* (inquit) *publicas pro Rege preces exscindunt.* Tum hunc ejus sensum sic restringi etiamsi verba paterentur, non patitur tamen ipsa illa quam hoc loco instituit, ratiocinatio, quæque nisi hoc constitueris, *Ministros scilicet publicas pro Rege preces omnino ac simpliciter abolere*, tota vel funditùs disjecta corruet vel in ventos dissipata abibit. Non enim ille in superioribus hoc posuit, *qui psalmi* 19. *versiculum* 10. *aliter quàm Latinus, interpretatur, is honorem Regi, & timorem, & tributum eripit* (quod quàm absurdum sit ac ridiculum, omnes, etiam imperitissimi, intelligunt) sed hæc divertissimè suæ argumen-

Orat. p. 20.

 tationi

tationi præstruxit, *Quisquis deest huic officio precandi pro Principe, is neque honore ei debito*
Ibid. *fungitur.* Quo fit, ut nisi hoc ipsum subsu-
p. 19. mat, nempè *Ministros huic legitimarum pro Principe precum officio plane penitusque deesse,* nihil sit de iis conclusurus. Ergo jam patet quod quivis satis per se intelligit, non tantùm falsò, sed etiam absurdissimè, ac sine ullâ legitimâ ratione accusari religionis nostræ ministros, quod *Regi debitum honorem, timorem, ac tributum eripuerint,* vel *eripere conati sint.* Nulla eorum in hoc, quod defertur, factô vel tenuissimum hujus criminis vestigium apparet. At effugere tamen non possunt (inquis) quin dum ita hunc psalmi versum reddiderunt, solennem ex Ecclesiæ cantibus pro Regis salute precationem reciderint, hanc scilicet, *Domine, salvum fac Regem.* Respondeo primùm hoc, quicquid est, absurdissimè dici. Si psalmum ipsum,
Ibid. quem ait Episcopus *velut optimam ; & appo-*
p. 17. *sitissimam pro Rege orationem, in Ecclesia usurpari,* sustulissent ; vel si psalmus esset a Latinô interprete conditus, quem in usu suô serbantes Ministri hanc ejus particulam immutassent ; colorem fortasse aliquem haberet oratio. Nunc cùm nihil horum verum sit; cùm psalmus Davidis sit, non Latini opus ; cùm si integer in usu nostrarum Ecclesiarum servatus ; profectò ineptissimè dicitur illa pro Rege precatio a Ministris hinc recisa. Cùm psalmus extet Hebraicè, qui qualisque ab auctore scriptus est, non fuit arbitrii vel nostri, vel cujusquam alterius, quicquam vel ex eô recidere, vel in eum

eum infulcire. Retinendus fuit, ut est ab auctore editus. Itaque hæc tota tam atrox accusatio huc denique redit, ut quæratur, num hanc quæ defertur, psalmi partem benè, an secùs Ministri reddiderint, & an editæ ab iis interpretationis sensus sensui auctoris congruat, nec-ne. Quô in genere siquid peccatur, *erroris*, *incogitantiæ*, *malæ vel suspectæ fidei* peccatum est: *crimen majestatis* non est. Fingamus Davidem, hanc ipsam, quam isti urgent, orationem istic posuisse. Siquis eam non ita exhibuerit interpres, hunc *errasse*, auctoris, quem interpretatur, *sensum* vel *non vidisse*, vel eâ, quâ par erat, aut *diligentia*, aut *fide non reddidisse* dicam; in *Regem*, vel Galliæ, si Gallus homo fuerit, vel Hispaniæ, si Hispanus, *commisisse*, & ex honore illis Principibus debitô aliquid detraxisse; nemo opinor, nisi malevolus & calumniator dixerit. Atqui hæc omninò Ministrorum est tota hac in causâ ratio. Siquid ergo (quod ego tamen non concedo) siquid inquam, Ministri ab auctoris mente, aut verbô hoc locô deflexerint, *errasse eos*, *lapsos esse*, ac ut gravissimè dicam, *non satìs accurata fide se gessisse*, confitebor; eò ut in Principem suum peccaverint, dici nisi per summam injuriam posse negabo. Atque hic eò major, atque invericundior est accusatorum iniquitas, quod dum sic agunt, non nostros tantùm pulsant, sed etiam alios non paucos, magnæ apud omnes vel Christianos vel eruditos existimationis viros. Nam si hunc versum (quod nostri fecerunt) ita legere ac reddere ut in

priori

priori ejus parte non dicas cum Latino; *Domine, ſalvum fac Regem*, id in Regiam Principum majeſtatem peccare eſt; ſi eſt ſolennem pro Principibus precationem ex Chriſtianorum ſacris recidere, & ex Eccleſiis profligare; graviſſimi, atrociſſimique criminis unà cum noſtris reus erit vetuſtiſſimus, ac ſanctiſſimus Theologus Hieronymus, cujus hæc extat illius verſiculi interpretatio; *Domine, ſerva; Rex exaudies nos, in die, quâ invocarimus*; rei quoque erunt doctiſſimi, celeberrimique ex adverſariorum partibus interpretes Felix, Cajetanus, Agathius, Guidacerius, Clarius, Pagninus, Arias Montanus, Vatablus, qui omnes hunc pſalmi locum eodem planè, quo noſtri, ſenſu & modo reddiderunt. Quin & magna hujus criminis pars in Leonem Papam X. & in Philippum Hiſpaniarum Regem II. redundabit; quorum juſſu atque auctoritate diverſis temporibus factus atque editas conſtat, illius quidem, Pagnini, hujus verò, Ariæ verſiones. Horum talium, ac tantorum virorum conſenſum ab accuſatoribus noſtris contemptum, famam proculcatam eſſe quis non miretur, ac indignetur? Quantùm verò eorum in nos odium eſſe neceſſe eſt, qui ſuos, dum nobis noceant, communi turpiſſim criminis, ut ſic dicam incendio involvere, atque amburere non dubitant? Sed jam ſemotâ tantorum nominum auctoritate, rem ipſam ſpectemus, & noſtrorum interpretationem cum Hebræo fonte comparemus. Hic ego omnes, qui Hebraïce ſciunt, obteſtor, an non

non noſtra Hebræis accuratiſſimè reſpondeant? In omnibus Hebræorum codicibus, in quibus vocalium notulæ adſcriptæ ſunt, poſt duas primas verſiculi voces, quæ id ſignificant, quod & noſtri, & cæteri omnes reddunt, *DOMINE ſerva*, vel *ſalva*, poſt has inquam, duas voces habetur Atnach, id eſt grammatica diſtinctionis notula, nomen ſequens, quod eſt *Rex* a duabus quidem præcedentibus devidens, & abjungens, cum ſequente autem verbô, quod eſt *reſpondeat* connectens, ut plana ſit, & Hebræorum lectioni ad amuſſim congruat hæc noſtrorum expoſitio, *DOMINE ſalva; Rex exaudiat nos in die, qua clamaverimus.* Ergo ſumma fuit noſtrorum in hoc interpretandô verſu religio ac fides, planeque integra & ab omni vel errore, vel crimine pura innocentia. Poſſem ſi liberet, antiquiſſimi Paraphraſtæ Chaldæi, Syri etiam vetuſtioris, &, ſi Gabrieli Sionitæ credimus, Salomonis regis συγχρόνου interpretis, & magiſtrorum Hebræorum pænè omnium teſtimonia, noſtris conſentientium, laudare. Sed piget me in re clarâ, & levis alioqui per ſe momenti, tempus & operam perdere. Satìs nunc ex his conſtat, quàm falſa ſit, quamque inſulſa, & Veronô attifice digna illa odioſiſſima accuſatorum cantilena, noſtros ex hoc pſalmô precationem pro Rege recidiſſe. Nihil illi hinc reciderunt, qui quicquid in auctoris fonte eſt, id ſummâ religione ac fide in ſua interpretatione exhibent; ut ſiqua hic deſit pro Rege precatio, id Davidi, qui nullam poſuerit,

rit, imputandum ſit, non noſtris, qui interpretum officiô functi ſunt. Quanquam & illud falſum eſt, quod iſti a Veronô ſuggeſtum repetunt, nullam apud nos in hoc verſiculô eſſe pro Rege precationem; quaſi pro Rege non precetur, qui Dominum Deum orat, ut Rex nobis tempore dubiô, atque adversô reſpondeat, preceſque noſtras exaudiat. Atqui id, ſi benè repútes, nihil aliud eſt, quàm optare ac precari, ut ea ſemper ſit Regis non modò ſalus, atque incolumitas, ſed etiam potentia, ſapientia, ac bonitas, ut ſubditis certiſſimum ac munitiſſimum in eô paratum ſit in omni diſcrimine præſidium; quô equidem neſcio quid majus, aut divinius Principi optare poſſimus. Nos, qui hæc talia ac tanta a Deô pro Rege in hoc verſiculô petimus, quâ quæſo fide aut conſcientiâ negat accuſator *dum hunc pſalmum canimus, pro Regis conſervatione precari*? Quanquam ſi vel hæc precatio iſtô in verſiculô deeſſet, nè ſic quidem verum eſſet, quod iſte dicit, qui hunc pſalmum apud nos canunt, *eos pro Regis converſatione non precari*. Quid enim aliud eſt totus hic pſalmus, quàm perpetua quædam, eaque ſanè eximia ac planè divina pro Regis conſervatione precatio? in quâ primô ſtatìm verſu petimus Regem exaudiri, & in editô locô conſtitui; tum a Deô cœlitùs fulciri, ac muniri, omniaque ejus conſilia, ac vota impleri? Quandiù hæc carentur, Regis conſervationem, quæ iis continetur, a Dominô peti apparet. Atqui hæc omnia antè ultimum illum verſum, de cujus unius interpre-

Orat. p. 17.

Ibid.

pretatione quæritur, in psalmô habentur. Ergo liquet pro regis conservatione precaturos, qui hunc apud nos psalmum cantabunt etiamsi nihil, quod ad eam referri posset, ultimus ille versiculus contineret. Iam quale quæso, illud est, quod ibidem ait accusator *nostros ausos esse Regis ipsius locum invadere?* quià scilicet pro eô, quod habet Latinus, *DOMINE, salvum fac Regem*, rhythmica nostra paraphrasis hęc exhibet, *Domine, placeat tibi defendere* N O S; positô pronomine *N O S* eô locô in quô est apud Latinum nomen. *REGEM* in accusandi casu? Primò nego pronomen *N O S* locum *Regis* occupare. *Rex* in paraphrasi locum suum implet, ubi ille ait, *R E X petionibus nostris respondeat*; & eum quidem ipsum locum, quem habet in Hebræô; ut jam liqueat, quàm falsum, quantaque cum malignitate atque acerbitate dictum sit, quod scribit accusator, *Nos ausos esse nos ipsos substituere vice ac lico personæ regiæ.* Tum & illud quoque falsum est, quod gratis, & solô maledicendi studiô sumit accusator pronomine *N O S* in thythmicâ paraphrasi usurpatô populi (ut sic dicam) personam a Regis personâ distinctam, eique oppositam significari. Undè hoc habet Episcopus? Verius est istô pronomine totum regni, sive reipublicæ corpus, Rege, tanquàm capite & populô tanquàm membris, constans significari. Itaque ex paraphraseos mente Deum hîc rogamus, ut salutem, sive præsidium, ac defensionem suam *N O B I S* præstet, id est omnibus ejus gentis, atque imperii, cujus

nos

nos ſumus, partibus; primò Regi, tum Regis miniſtris, ac plebi univerſæ; & quidem hoc ordine ac modô, ut quod in ſequentibus verbis adjicitur, *Rex reſpondeat nobis*; hoc eſt, ut divina illa, quam popoſcimus, ſalus, cœleſteque præſidium apud regem inprimis reſideat; ibi velut in ſuâ quædam arce habitet: undè longe lateque in nos id eſt in univerſam gentem, per mandata, reſcripta, ac reſponſiones Principis, diffundatur ac manet. Hic verus ac ſincerus eſt paraphraſeos ſenſus, cujus auctori licuit ex rhythmorum præſertim apud nos lege pronomen *NOS*, tametſi id in Hebræô minimè legatur, ad explanandam verborum ſententiam ſupplere, & in locum, non *Regis*, quod malignè, dicit accuſator, neque cujuſquam alterius (neque enim cujuſquam nomen poſt verbum *ſerva* in Hebræô additur, quod cum eô conſtrui, & ab eô regi poſſit) ſed in locum vacuum inducere. Ex quibus jam omnes intelligere poſſunt, quàm ſit criminum liberalis Epiſcopus, qui ob duas illas, tres-ve voculas nos *duorum criminum*, & quidem *CAPITALIUM* damnare non dubitavit.

Reſtat tertia, eaque acerrima, atque incitatiſſima Epiſcopi accuſatio, in qua ille noſtræ religionis Miniſtros atrociſſimæ in res divinas blaſphemiæ ideo poſtulat, quod de Pontifice Romano, deque iis cultibus, qui in ejus communione obtinent, quædam paulo liberius dixerint. Quo loco colligit nonnullas noſtrorum voces de aula & Eccleſia Romana, de Miſſa, & ejus hoſtia, de Roma-

Romano Sanctorum cultu, deque eorum historiis, ac de ipso denique Papa, subjectoque ei Clero. Difficile est de singulis dicere; quod accusator neque auctores edat, ex quibus ista excerpta esse vult videri, neque loca, unde descripta sint, ulla indicat; quæ nisi teneantur, omnes vident, quam cæcam, quamque incertam esse necesse sit omnem de his disputationem. Ut enim de dictis judicetur, cognoscendus est inprimis verus eorem sensus, quem non ex nudis, & a totius orationis velut trunco divulsis verbis, sed vel maxime ex dicentis mente, & consilio, & caussis pendere notum est. Nuper experti sumus in iis, quæ uni ex libellis meis objecta sunt, qua fide in libris nostris versentur accusatores, cum summa confidentia nescio quæ deliria mihi imputarent, totidemque verbis apud me legi affirmarent, quorum ne levissimum quidem in illo meo opusculo vestigium exstare demonstravimus. Ac ut nullam in cæteris experti essemus eorum in nos iniquitatem, certe adversario de iis, quos petit, quos gravissimorum criminum postulat, quos ad supplicium deposcit, non facile neque temere credendum est. Itaque ut possit de nostrorum dictis, quæ deferuntur, constare omnino debuerat accusator omnia reorum suorum nomina edere & librorum loca, in quibus hæc, quæ denotat, haberentur, diligenter ac sigillatim indicare; quorum cum nihil fecerint, equidem cogor ne quid de rebus non plane exploratis secius in alterutram partem dicam, omissa singulorum pur-

gatione, ad hanc accuſationem paucis & in genere tantum reſpondere. Ac inprimis quidem ex publica fidei noſtræ confeſſione, ex omni noſtræ religionis diſciplina, atque inſtitutione, ex noſtra denique & & majorem vita, illud ſatis ſurperque cuivis rem ſimpliciter & ex veris æſtimanti perſpicuum eſſe arbitror nos pie ac reverenter de Deo, & divinis tum ſentire, tum loqui. Sane cum verbum divinum unum totius noſtræ religionis canonem eſſe profiteamur, neque aliter vel de Deo ipſo, vel de Dei rebus aut ſentiendum aut loquendum eſſe definiamus, quam Deus in his ſanctiſſimis litteris docuit & præſcripſit; mirum eſt ac pene incredibile in iis quæ vere noſtra ſunt, blaſphemias reperiri; a quibus noſtrum illum canonem plane penituſque alienum eſſe apud omnes in confeſſo eſt. Fatemur ultro multa apud adverſarios ſacra, divinaque cenſeri, quæ nos eo loco ac numero minime habemus. Sed unus ille conſcientiarum noſtrarum teſtis atque arbiter Deus novit nos non alia de cauſa hæc ex ſacrorum divinorumque cenſu expungere quam quod ea & ipſius gloriæ plurimum officere atque adverſari, & præter Scripturæ ſententiam in religionem invecta fuiſſe credamus. Nam, ut ea ipſa ex quibus ductæ ſunt hæ accuſatoris criminationes, exempli gratia delibemus, Chriſtum Jeſum, unicum noſtri generis Dominum ac redemptorem omni laude, benedictione atque adoratione proſequimur quidem; ſed hoſtiam; ex farina factam; quæ apud Ro-

ma-

manos offertur, Christum esse, debitisque Christo honoribus, afficiendam (quæ adversariorum est de ea sententia) non putamus. Oblatam a Christo in cruce sacrificium crimina nostra expiasse credimus. Eundem titulum Romanorum altarium oblationi, quod volunt adversarii, convenire vehementer negamus. Eucharistiæ sacramentum a Domino in suæ mortis memoriam institutum summa reverentia dignum sensemus. Varias cæremonias, quæ ad simplicissimum Dominicæ institutionis ritum a diversis inventæ atque additę accesserunt, eâdem quoque religione venerandas esse non concedimus. Deiparam Virginem eo honore prosequendam decernimus, qui sanctissimam Domini nostri matrem, benedictam inter mulieres, & in omnes generationes celebrandam decet; neque de sanctis Dei servis, quorum animæ jam cœlo receptæ sunt, nisi honorifice vel sentiendum vel loquendum. At eos tamen invocationis, ac religionis cultus, quos adversarii tum B. Virgini, tum cæteris Sanctis deferunt, probare non possumus; quibus scilicet eximios, ac proprios Dei honores cum creaturis communicari apparet.. Quæ in Sanctorum vita, institutis, & operibus in litteris vel divinis, vel etiam Ecclesiasticis traduntur (si tamen hæ veterum ac idoneorum auctorum vere sint) ea exosculamur, & cum magno fructu legi agnoscimus. At non idem de adversariorum *legendis* (ut vocant) variisque monachorum, quorumdam etiam veterum, de hoc argumento, libris judica-

mus; in quibus multa in esse, ut mollissime dicam, vana, quædam etiam ridicula, res ipsa loquitur. Christianæ religionis ministros a Domino institutos fuisse docemus, eoque velut ejus servos in ipsius opere ad animarum nostrarum salutem laborantes magnopere honorandos. Unum vero istorum esse, qui immenso quodam spatio supra ceteros omnes in toto orbe Christiano emineat, qui Ecclesiæ universalis Dominus, sit, caput idem, & sponsus, qui Regibus imperet, qui Synodorum, etiam œcumenicarum decreta figat, refigat ad libitum; id neque a Christo institutum, neque ab Apostolis præceptum fuisse putamus; neque illud item quod apud Romanos in usu est, ut Pontifici Episcopi, pluresque clerici majores pro sua quique ordinatione, & cæteri Christiani pro certis quibusdam indulgentiis, ac disputationibus pretium aliquod solvant. Atque hæc quidem ita docere quam sit ab omni in Deum & res divinas blasphemia alienum, omnes vident; quæ si ad sacras (ut par est) scripturas seposito omni partium studio exigantur, non dubito, quin palam sit futurum gravissime quidem eos peccasse, qui illæ Romanæ religionis capita absque ulla Dei auctoritate in Ecclesiam invexerunt; nos vero qui ejecimus, non peccasse. Quod siqui de nostris in disputationibus Theologicis ea absurda, quæ vel ab adversariis aperte defendentur, vel ex eorum certe dogmatis evidenter consequuntur, libere & simpliciter explicarunt; nulla ratio est cur ii maledicentiæ, multo

multo minus cur blasphemiæ propterea damnentur. Id enim liquet & in omni disputatione licere, semperque licuisse, & ad nostram quidem sententiam defendendam & adversarii refellendam pertinere; nequaquam vero *ad seditionem excitandam*; Edit de
quod ne fiat merito est in eo Edicti Regii Nant:
capitulo prohibitum, quod hic laudat Epi- art. 17.
scopus. * Nos vero & huic & cæteris le- * Orat.
gum publicarum præceptionibus libentis- p. 22.
sime paremus. Utinam in eas esset par ad- extr.
versariorum reverentia! Certe in ipso illo, quod ab Episcopo laudatum est Nannetensis edicti decimo septimo capitulo, *disertissime jubentur* non Episcopi, sed *cognitores Regii, eorumque substituti de iis cognoscere*, qui contra illam de cavendis seditiosis sermonibus legem peccarint. Quo fit manifestum etiam si de nostris aliqui hac in parte (quod absit) peccarent; non tamen id esse Episcopis negotii datum, ut de nostrorum peccatis cognoscant, vel ut reos ipsi ad Principis tribunalia deferant. Omnis hæc cognitio (ut ex capitulo patet) Cognitori Regio attributa est; cujus adeo partes Episcopi præter Edicti legem in tota hac accusatione invaserunt. Sed hæc ego & alia non pauca ab istis in hac causa peccata mitto; quod nunc nos nostraque purgare, non alios criminari instituerim. Illa vero quæ sequuntur apud Episcopum, cum poscit a Rege
ut nos nostrique severissime puniamur, ac casti- Ibid.
gemur ob ea, quæ a nobis in religione nostra no- p. 23.
vata sunt scilicet; *ut libellus nominatim meus*

publice cremetur; ut de reipso, veluti de hæresiarcha, supplicium sumatur (quod quid sit, norunt quibus non sunt ignotæ istorum de hæreticis sanguine scriptæ legas) illa inquam tacere præstat, quam pluribus pro merito exagitare. Viderint alii qu m belle cum Episcopalis muneris, quo accusatores nostri gloriantur, gravitate, æquitate, mansuetudine, quàm recte cum ea, quam sibi in nos esse testantur, caritate conveniat id, quod isti tota hac in causa faciunt; nempe nostram & innocencentiam indignissime calumniari, & libertatem atque incolumitatem summa vi oppugnare, & vitam denique ipsam petere, eamque crudelissimis suppliciis exstinctam velle. Nos vero Deum Opt. Max. cujus judicio omnem hanc causam freti nostra innocentia, securi committimus, supplices precamur, inprimis quidem, ut clementissimum Dominum Regem suo Spiritu ita regat ac gubernet, ne suorum subditorum, humilium quidem præ adversariis, sed Regiæ tamen Majestati addictissimorum innocentiam inquissimis & malevolorum, & potentiorum calumniis, atque artibus circumveniri patiatur; tum etiam ut ipsos illos tam immites, tamque acerbos inimicos nostros mollire, remissisque misericorditer quæcunque in nos sæva hac & inhumana criminatione peccarunt, gratia sua donare, & ad salutarem illius, quam imprudentes impetunt, doctrinæ Evangelicæ cognitionem potenter convertere velit; postremo ut nobis

Ibid. p. 25.

eam

eam virtutis, ac consolationis suæ vim atque capiam per Christum largiatur, quæ & ad constanter retinendam, strenueque defendendam veritatem, & ad ea leniter ac fortiter ferenda satis sit, quæcumque in hoc studio certantibus dura, graviaque pro divini nominis gloria ingruent, AMEN.



Visum est superiori ad Aurelianensis Episcopi orationem responsioni sequentes duas epistolas subjungere, in quibus illa ipsa psalmi 20. (Latinô 19) interpretatio nostra, quam Orator in secundâ accusationis suæ parte lacerarat, & horrendi criminis postularat, fusiùs a nobis illustrata, & ab adversariorum objectionibus asserta fuit eodem illo a. D. 1636.

EPISTOLA I.

Viro Clarissimo, atque Eruditissimo,

SYMONI MUYSIO,

Regio litterarum Hebraïcarum in Parisiensi Universitate Professori eximio,

J. DALLÆUS S. P. D.

VIR CLARISSIME,



Ccepi ab humanissimô Meunerio nostrô ea, quæ tibi de ultimô psalmi vicesimi, aliàs decimoni versiculo commentari, atque in Publicum edere libuit adversùs meam versionis nostræ defensionem *. Ac tuum quidem in eo candorem exosculor, quod ab iis liberè dissentias, qui nostram loci illius interpretationem non modò reprehendere, sed & gravissimi in Principem criminis ream facere magnâ nostri nominis invidiâ non dubitarunt, ingenueque pro tuâ gravitate atque eruditione agnoscas, tum

* Gallice a. D. 1636. editam seorsum.

B. Hie

B. Hieronimum, tum e vestris hominibus non paucos, ejus atque Hebræorum auctoritatem sequutos nobis favere. Quod verò me liberè quidem, sed tamen (quod tuâ cum pace dictum sit) modestè, & citra cujusquam contumeliam in hac disputatione versatum, asperè neque pro solita tuâ humanitate exceperis, non possum non mirari. Ferendum non putas, quod scripsi Latinum interpretem in eô versiculô ab Hebræô textu, & ab originali veritate discessisse. Fac me nullam hujus dicti satis idoneam habere rationem. Obsecro te per humanitatem tuam, an ideò fui immodestiæ accusandus? Error fuerit, atque Ebraïsmi ignoratio: Immodestia profectò non fuit. Nemini unquàm fraudi fuit in his litterarum minutiis a cujusquam quantumvis gravis, atque luculenti auctoris judiciô dissentire. Tu Hieronimum, cujus nomini, atque eruditioni plurimùm, & meritò quidem tribuis, in Hebræorum magistros, quorum in his litteris diligentiam aspernari non soles; tu Felicem, tu Vatablum, tu multos alios vestrarum partium non obscuri nominis, neque ingenii viros, minime tibi hac in parte sequendos putasti. Tu eos omnes, quanticumque sunt, summâ libertate notasti, quasi de grammaticis apicibus magis, quàm de Prophetæ mente sollicitos. Quin & eô progressus es ut non obscurè significaveris tot, talesque viros aut nescivisse aut certè non attentisse, quæ sit Grammatici cujusdam accentùs natura, quod ingenium atque of-

ficium. Qui hæc tibi licere putas, cur aliis vertis crimini, quod Latinum interpretem reprehendere ausi sunt? Tua est fateor, præsertim in hoc litterarum genere, excellens ac singularis eruditio. Sed neque te negaturum existimo nostris quoque hominibus nonnihil in eô genere tribui posse: quô sit, ut neque hi damnandi videantur, siquandò pro animi sui judiciô ac sensu ab aliis liberè dissentiant. Horum ego defendi sententiam; eaque in medium attuli, quibus illi mihi inducti fuisse videntur, ut a veteri interprete, aliisque nonnullis discederent. Quid eô in modestiam admiserim, non equidem video. Sed hæc præfatus ad rem venio. Tum itaque Muysi clarissime, non probas quod scripsi Latinum interpretem ab Hebræô discessisse, dum psalmi (ut ille quidem numerat) XIX. versum ultimum sic reddidit; *DOMINE, salvum fac Regem; & exaudi nos in die, quâ invocaverimus*, Ego nostræ sententiæ duas rationes adduxeram; priorem, quod illa vocabula *hochia*, & *hammelech*, quæ in Hebræô codice accentus athnach a se in vicem divellit, iste in unum sensum compegerit; posteriorem, quod verbum *joanénos*, quod est tertiæ personæ, verbô *exaudi nos*, quod est secundæ, commutaverit. Quod respondes ad priorem, & quidem nostri Buxtorfii verbis, *athnach* non semper distinguere orationis membra, id verissimum esse & jam anteà ab aliis, & nuperrimè ex eruditissimis tuis in hunc ipsum psalmum commentariis didiceram, in quibus (si benè memini) & hunc

hunc ipsum, quem modò adducis psalmi XVII. 10. locum, & alios non paucos adfers ad id confirmandum. Sed cùm & Buxtorfius, & alii Grammaticorum principes, te etiam (ut opinor) annuente observent proprium illius accentûs officium esse orationis cola distinguere, non puto temerè, aut sinè gravi aliquâ & necessarià ratione conjungenda, quæ eâ notulâ in Hebræô textu interpuncta leguntur. Jam hoc locô (si veteris interpretis seponatur auctoritas, quæ non videtur, in psalmorum præsertim librô, tanti facienda) nihil est, quod nos cogat a solenni notulæ illius usu discedere. Ais tu quidem, sensum in vestrâ Latini interpretatione fluere commodiùs. Sed tui hujus dicti rationem neque tu explicasti, neque ego sanè assequi possim. Sensus enim, quem fundit hic versus, quomodô a nobis distinguitur & accipitur, mihi commodissimus, & luculentissimus videtur. Itaque cùm Paraphrastes Chaldæus cùm doctissimus Hieronymus, cùm utroque (si Gabrielem Sionitam tuum audis) longè antiquior Syrus textum Hebræum eadem ratione distinxerint; non videtur dubitandum, quin & hic, ut alibi fere solet, Athnach pro distinctionis notulâ accipi debeat. Alteram verò sententiæ nostræ rationem miror a te fuisse prætermissam; quæ vel una demonstrat verissimum esse, quod scripsi, veterem interpretem ab Hebræô discessisse; idque tu ipse confessus esse videris dum in novæ tuæ Psálmorum versionis margine reddidisti in tertiâ
per-

personâ, quod Latinus interpretatus erat in secundâ. Atque hæc sunt, Muysi eruditissime, quæ ad tuam illam sententiæ meæ paulò duriorem, atque acriorem reprehensionem dicenda putavi; quæ tu ut æqui bonique consulas, etiam atque etiam rogo; neque eô esse me animô existimes, qui quemquam vel oderim, vel contemnam, aut rixis & vitilitigationibus gaudeam. Vale. Dat. Lutet. Par. mense Martiò. a. D. 1636.

EPISTOLA II.

Viro Ornatissimo

N. N.

J. DALLÆUS S.P.D.



FATEOR, Ornatissime N. id mihi præter vota, accedisse, clariss. Symeon Muysius stilum in me strinxit. Nam cùm mortalium nemo sit cujus ego non verear offensam, tum hunc mihi adversarium contigisse doleo, quem ob excellentem rerum Hebraïcarum peritiam, egregiaque in originalem divini fœderis litteraturam merita præcipuô semper, ut par erat, loco ac numerô habui. Itaque cùm prius ejus scriptum accepissem, calamum statim arripui, litterisque benevolentiæ atque honoris plenis non tam mea defendere, quàm ipsi satisfacere sum conatus. Quod officium meum quanquàm aliter, quàm volebam,

acceperit, ac in me iterùm ſuô, an alieno animo obſecutus, inſurrexerit; conſtitui tamen, quæ mea eſt in cô obſervandô conſtantia, quandò ſcriptione non potui, illum certè ſilentiô demereri, & ex hac arenâ, quantùm in me erit, deducere. Neque profectò ea inter nos controverſia agitur, quæ vel ad Chriſtianæ religionis fundamenta, vel ad eam, quam ego defendendam ſuſceperam, Eccleſiarum noſtrarum exiſtimationem, atque innocentiam pertinere videatur. Non enim noſtrâm aut in Principem pietatem, aut in ſuſceptâ ſemel religione conſtantiam criminatur Muyſius; neque eam, quæ apud nos in uſu eſt, pſalmi viceſimi verſionem ſacrilegii, aut perfidiæ poſtulat. Quin ultrò profitetur non videri damnandam; nimirum quæ ſinè aliquâ Hieronymi contumeliâ damnari nequeat. Unum tantùm eſt, quod reprehendendum putavit vir doctus, quod in hac causâ longiùs, quàm par erat, ſuô judiciô progreſſus, non modò noſtrum, quæ accuſabatur, verſionem defenderim, ſed Latinam etiam, quæ apud ſuos in uſu eſt, ultrò laceſſere, atque erroris inſimulare non dubitarim; ut tota hæc quæſtio in hoc unô ſita ſit, jure-ne an injuriâ ſcripſerim Latinam interpretem hic ab Hebræô diſceſſiſſe; quod quidem quàm leve ſit, quàm nullius propemodùm momenti, ſatis vides. Sed quandò cupis cognoſcere, quæ mea ſit de ſecundô iſtô clariſſ. Muyſii ſcriptô ſententia, geram tibi morem (quid enim amico negare poſſim?) & rem totam quam acuratiſſimè fieri poterit,

rit explicabo, Tota docti viri disputatio in tribus potissimùm capitibus versatur. Vel enim quod ego a me depuleram immodestiæ crimen, id confirmare studet; vel Latini interpretis versionem a meá reprehensione vindicare, atque afferere satagit; vel denique in vera versûs Prophetici sententiâ investigandâ, atque exponendâ desudat.

Moys.ep. 2. p. 15. Ut ergo a primô ordiamur, negat vir doctus aliô me potiùs, quàm immodesti nomine appellandum fuisse, qui Latinam versionem erroris, ac peccati accusarim, ac (ut loquitur) *defectionis ab Hebraici textûs veritate.* Principio si benè memini, haud paulò mitiùs cum Latinò interprete egi. Dixi discessisse ab Hebræô; *defecisse*, nunquàm quod equidem meminerim, scripsi. Jam hunc ejus, ut mihi quidem videtur, lapsum, non flagitium, non scelus, non perfidiam, non inscitiam, non aliquid hujusmodi τραγικώτερον qui multis mos est sed *errorem* appellavi; quô vocabulô nullum in hoc genere occurrebat lenius. Neque enim quam hic moveo Latino interpreti litem eâ de fide est, vel de veritate. Scio ejus hoc in locô sententiam neutrius rationibus adversari. Hoc tantùm affirmo, illius verba, quamvis sensum alioquin habeant pium ac rectum, tamen a veritatis Hebraïcæ litterâ nonnihil discedere. Hoc verò si de Latinâ illâ Psalmorum versione absque immodestiâ dici nequit, fateor nescivisse nos hactenùs, quid esset modestia. Quid enim? An est illa versio sic ab omni parte pura, atque sacrosancta, ut nè levissimi

ſimi quidem erroris argui poſſit? Ego quidem, ut liberè eloquar quod ſentio, modeſtiam in eô multò magis deſideraverim, qui nuſquàm ab Hebræô Latinum in pſalmis diſceſſiſſe contenderit, quàm qui ab eô alicubi deflexiſſe dixerit. Nam ſatis conſtat hanc verſionem, cujuſcumque tandem ſit, non ex Hebræô, ſed ex Græcô Pſalmorum codice, eoque interdum mendoſô, fuiſſe expreſſam. Mitto ſexcenta, in quibus Græci ὁδηγοῦ errore offendit. Sed an etiam in modeſtiam peccabit, ſiquis hunc interpretem ab Hebræo diſceſſiſſe dixerit, quô locô *miſericordiam uberem* reddidit, quod eſt
in Hebræô שֶׁמֶן רַעֲנָן - *oleum pingue*, deceptus, Pſ. 91.
ut palàm eſt, Græci ex quô ſua expreſſit, (Hebr.
codicis mendô; in quô pro ἐλαίῳ ſcri- 92.) 11.
ptum habebatur ἐλέῳ, ut eſt a multis animadverſum? Quid dicam de locô in quo
pro Hebræô דָּלְפָה quod eſt *ſtillavit*, Lati- pſ. 118.
nus habet *dormitavit*? Quid de alterô illô, (Hebr. 119.) 28.
in quo pro Hebræô צֵידָהּ *eſcæ ejus* ſcripſit pſ. 131.
idem *viduam ejus*, utrobique in errorem in- (Hebr.
ductus mendô Græci codicis, in quô prio- 132.) 15.
re quidem locô pro ἔσταξε *ſtillavit*, legebat ἐνύσταξε *dormitavit*; poſteriore verò pro θήραν *eſcam*, legebat χήραν *viduam*, quod ab omnibus ferè recentioribus, & ab ipsô poſtremô Muyſiô obſervatum eſt? Quod ſi modeſtus non eſt, qui Latinam illam Pſalmorum verſionem reprehendit, profectò damnandi mecum erunt immodeſtiæ viri harum litterarum facilè principes Hieronymus, Burgenſis, Galatinus, Pagninus, Vatablus, aliique innumeri, qui Lati-

ni σφάλματα summâ libertate notarunt, atque castigarunt. Burgensis quidem multò acrioribus, quàm ego verbis Latini aliquandò lapsum notavit, *Translatio nostra,* (inquit) *multùm deviat a veritate Hebraica.* Non mitiùs cum eâ egit Galatinus, & alii. Ego verò eò iniquiùs immodestiæ postulor, quòd non ultrò, neque ex levi aliquo reprehendendi pruritu in hoc certamen descendi, sed provocatus immani adversariorum contumeliâ. Cùm enim illi oratione invidiosissimâ me, velut *omnium, qui unquàm fuerunt, hæreticorum pestilentissimum,* apud Regem traduxissent, easque Ecclesias, quibus ego in opere Domini servio, summæ & in Principem impietatis, & in publicas leges protervíæ, & in res sacras audaciæ atque amentiæ reas egissent, feci ego, quod mihi per omnia divina atque humana jura licere intellexi; grassanti calumniæ, meque ac meos omnes appetenti objici brevem apologiam. Ac ut intelligas, quam non modo modestè, sed etiam humiliter ac demisse in hac causâ sim versatus, cùm abundè esset, quô accusatores retaliarem, abstinui; non ultrà progressus, quàm necesse erat ad defensionem nostram. Nam ut ea mittam, quæ in reliquâ accusationis capita meritò regeri poterant, in hoc certè non abs re mihi monendi erant, ut omissis extraneis in hominum suorum instituta accuratiùs invigilent, curentque acerrimi Ecclesiasticarum pro Principis salute precum vindices nè posthac cujusquam Præsulis auctoritate expungantur Imperatoris ac

Burg.in 1. Sam. 23. 26.

Regum

Regem nomina, quô locô ea in oratione Missarum solenni Papæ & Antistitis nominibus subjici solebant, moneantque fratres suos Augustanos, ac Duacenses Clericos, ut diram illam annotationem, quæ in Missalis rubricas apud eos edita est, refigant, in hæc verba conceptam; *Nominatis Papâ, & Antistite nè nominet* (sacerdos) *Imperatorem, vel Regem eò non pertinentes; Et notandum est Missalia illa, quæ in Canone post nomina Papæ & Antistitis habent Regem, vel Imperatorem, esse suspensa.* Hæc illi; quæ si vera sunt, necesse est fateri suspensa esse omnia Ecclesiæ Gallicanæ Missalia. Sanè in sacerdotum, & clericorum thesaurô antè paucos annos hîc editô habetur in hunc locum annotatio, quæ alteri isti Duacensi rectà obvertit cornua, excertè præcipiens quod illa exsertè vetuerat; *Nominatis* (inquit) *Papâ & Antistite nominet Imperatorem vel Regem eò pertinentes.* An non æquum erat adversarios hanc inter suas de precibus pro Rege in Ecclesiâ concipiendis discordiam sanare, antequàm de nostrô psalteriô satagerent? Sed dolori nostro adeò non indulsi, ut nè hæc quidem, aliaque ejusdem generis in accusatores rejecerim, quod ea, quanquàm vera, invidiosa tamen esse intelligerem. Hanc verò Latini interpretis reprehensionem, quæ Muysio modesta non videtur, quâ ratione potui prætermittere? Accusamur ab adversariis, quod vulgarem apud ipsos psalmi 19. (al. 20.) sententiam, *Salvum fac Regem &c.* mutaverimus, ac vitiaverimus, eoque capitale crimen; & qui-

Direct. Sacerd. Annot. 2. in c. 8. Rubric. gen. Miss. Duaci a. 1631. p. 121.

a. 1632. apud Joa. Jos.

dem duplex, admiserimus. Obsecro te, nonne aut planè deserenda fuit hæc causa, aut defendenda, quam isti tam invidiosè criminantur, hujus versiculi mutatio? Quorum priùs, cùm neque suscepti officii ratio, neque verò conscientiæ meæ sensus pateretur, necesse habui in hanc veteris interpretis versionem incurrere. Hanc itaque illius reprehensionem, non ab ullâ animi libidine, aut protervia, sed a summâ justissimæ defensionis vi ac necessitate profectam, nescio equidem quâ ratione, quo ve colore censorius ille vir, quem tacitô nomine memorat Muysius, immodestiæ damnandam pronuntiaverit. Quod verò videtur innuere satìs mihi esse debuisse si *nostram versionem defenderem*, assentior; sed non video, quomodò nostram defendere, quæ a vulgari diversa est, potuerim, nisi hanc reprehenderē. Nam cùm arguerentur nostri homines, quod a veteri discessissent, ad asserendam hac in parte eorum innocentiam, planè necessarium fuit ostendere habuisse illos idoneam aliquam a Latinô discedendi rationem, quæ profectò nulla fuit, si iste Hebræi codicis litteram accuratè expressit. Jam quod ad conflandam mihi invidiam dictum refert ab illô censoriæ dignitatis virô *me primum forsan esse mortalium, qui Latini interpretis versionem erroris hoc in locô damnarim*; miror hoc ei, si non est in hoc litterarum genere peregrinus, excidere potuisse. Nam nè longè abeam ipse ille Josephus Scaliger, quem mox laudat Muysius, & quidem eodem istô, quem citat, locô de hoc

Muys. ep. 2. p. 15.

Ibid.

hoc versus agens, *Ἑλληνισταί interpretes*, LXX (inquit) *ut in aliis infinitis; ita hic claudicant*. Est autem Latini hic, ut ferè alibi, eadem quæ τῶν LXX. interpretatio. Ipse Augustinus Steuchus Eugubinus, quanquàm Papæ Bibliothecarius, non est veritus in hanc Latini versionem scribere in locô, qui posteà recitabitur, *Ordo lectionũ Hebraicæ secùs habet*; quod quid aliud est quàm id ipsum, quod ego dixi, *Latinum ab Hebræô discessisse*? Sed quid ego Scaligerum, & Steuchum loquor? Quotquot sunt, qui hunc versiculum, aliter quam habet Latinus, interpretati sunt, ii mecum unà omnes pronuntiare censendi sunt eum ab Hebræô discessisse. Nam si aliter censuissent; quid causæ erat, quò minùs ipsi ejus versionem ut in aliis locis, sic in istô quoque sequerentur? Itaque si res benè putetur, non modò recentiores nostrarum, vestrarumque partium, qui Biblia ad Hebraismi fidem converterunt, huncque locum mutarunt, sed & ipse cum iis Hieronymus, Latinum hîc erroris reum manifestè pronuntiarunt. Quod autem dictiss. Muysius se a me notatum fuisse ait; quod viros illos nimis libere reprehendat, non hæc mihi mens fuit, quod ab illorum opinione atque judiciô homini præsertim eruditissimo, & in his litteris exercitatissimo discedere nefas putarem; sed quod is paulô iniquiùs mihi fecere videretur, qui quod sibi in Hieronymum permittit, & in alios doctrinâ, & probitate insignes id ipsum aliis in Latinum psalmorum interpretem non vult licere, neque judiciô,

Scal. l. 1. Epist. 13.

Muys. ep. 2. p. 16.

neque eruditione cum plærisque illorum (ut videtur) comparandum. Quæ quidem defensio tam clara est, ut mihi videatur Muysius ab *immodestiæ crimine* (a quô eum tamen longè alienum esse scio) planè purgari non posse, quin & nos eadem operâ absolvamur. Sed de *immodestiæ crimine* hæc fortasse plùs satis, cum ipse Muysius se alienô potiùs judiciô, quàm suô id in me vocabuli jecisse fateatur, testetur que ingenue se nolle maledictis certare.

Jam ergo causam ipsam ingrediamur, quę ut commodè explicetur, mihi inprimis videntur distinguendæ, quos vir doctus in totâ hac disputatione permiscuit, hujus versiculi interpretatio, seu translatio, & ejusdem expositio. Aliud enim est orationem ex unâ linguâ in aliam transferre; aliud orationis sensum declarare & enarrare; Illud est interpretis, hoc commentatoris, aut paraphrastæ, qui hoc unô differunt, quod quæ paraphrastes breviter ac paucis exsequitur, ea commentatur fusiùs, & pluribus disserit. Interpres ipsam auctoris (ut liquimur) *litteram* represéntat; paraphrastes de sensu tantùm laborat; ille verbum verbo reddit, quatinùs licet per linguæ suæ ingenium; hic multò liberius se gerit; Ille tropos & figuras, maximè insignes, & audentiores retinet, hic verò de industriâ immutat. Verbi gratiâ, nemo interpretem laudaverit, qui ista quæ apud Isaïam in illustri de

Is.28.16. Messiâ vaticiniô leguntur, *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem angularem, pretiosum, &c.* nemo inquam, interpretem

tem laudaverit, qui verba hæc mutata in ſigni illâ allegoria, quâ hic & alibi gaudet Spiritus Sánctus, ſic reddiderit, *Ecce ego conſtituam in civitate Sion Regem, Regem fortem, &c.* Et tamen quis non laudet Chaldæum Paraphraſtem, qui egregiè (ut mihi quidem videtur) & planè ad Prophetæ mentem hunc locum ſic eſt executus, *Ecce ego conſtituam in Sion regem, regem fortem potentem, & terribilem, & corroborabo eum, & confortabo eum.* Ac tametſi niſi falsò dici non poſſit hæc paraphraſis ab Hebræô diſcedere; tamen ſiquis ſumpto interpretandi munere eadem ratione, iiſdemque verbis locum illum redderet, non puto ego quemquam negaturum hujuſmodi verſionem ab Hebræô diſcedere. Quæ præmonere viſum eſt, nè Latinus pſalmi 20. interpres eò ab Hebræô non deflexiſſe putetur, quod ejus verba in eundem pæne ſenſum cum verbis Hebraïcis recidant. Hoc quidem ad eum a noſtrá reprehenſione vindicandum ſufficeret, ſi is non interpres, ſed paraphraſtes eſſet; ſi nobis veritatis Hebraïcæ non verſionem, ſed exegeſin polliceretur. Itaque quò de re totâ certiùs, ac liquidiùs ſtatui poſſit, de utraque ſigillatim dicimus; priùs quidem de Hebræi textûs litterâ; tum de ejus ſenſu. Ac de litteræ quidem vocabulis atque lectione nulla nobis eſt cum Muyſiô controverſia. Tantùm de vocabulorum, ex quibus ea conſtat, diſtinctione, & συνταξει diſſentimus. Putat enim vir doctus tertium hujus verſiculi vocabulum (quod eſt *hammelech*) unô cum duobus præſidentibus ſpi-

ritu continuandum hoc modô, *Adonai hoschiâ hammelech*, quod eſt, ſi Latine reddas DOMINE *ſerva Regem*; ſequentia verò itidem ſimul efferenda, *jaanenu bejom Korenu, exaudiat nos in die, quô clamabimus.* Nos verò vocabulum *hammelech*, non, ut ille, cum duabus præcedentibus voculis, ſed cum tribus poſtremis in unum orationis colon conjungimus hòc modò; *DOMINE ſerva, Rex exaudiat nos in die, quô clamabimus.* Sic habet veritatis Hebraïcæ littera; tum ex Muyſii, tum ex noſtrâ lectione, atque diſtinctione. Latinus verò vetus interpres totum hunc verſiculum ita reddidit, *DOMINE, ſalvum fac Regem; & exaudi nos in die, quâ invocabimus te.* Ergo quæritur, utrum hæc ejus verſio ab Hebræô codice deflectat, nec-ne. Aio; negat clariſſ. Muyſius. Jam utrumque verſiculi colon ſigillatìm excutiamus; Ac poſterius quidem priori locô. Nam cùm vir doctus ultrò concedat in Hebræô codicæ legi יַעֲנֵנוּ - *exaudiet*, vel *exaudiat nos*, in tertiâ perſonâ, idque ipſe novæ, quam edidit verſionis margine annotandum duxerit, non video quâ ratione idem negare poſſit ab Hebræô diſceſſiſſe Latinum, qui hæc eadem per verbum ſecundæ perſonæ in imperandi modô ſic expreſſit, *& exaudi nos.* Leviculum eſt, quod copulam & de ſuô addidit. At profectò diverſa ſunt *exaudiat* & *exaudi*; ſiquidem perſona ſecunda a tertiâ differt. Ad hanc ſententię meę rationem quā infactam in priori epiſtolâ reliquerat, nunc reſpondit vir doctus Pſaltem tertiam perſonam pro ſecundâ

Muyſ. ep. 2. p. 22.

dâ usurpasse per enallagen Hebręis familiarem. Mox de hac figurâ videro, an ea locum hîc habere possit, numque id efficiant adducta a Muysiô exempla. Jam hoc tantùm urgeo non fuisse boni, ac (ut Horatius loquitur) *fidi* interpretis hujusmodi schema mutare; & id a Latinô factum causari, nihil aliud re verâ esse, quàm quod contendo, eum videlicet ab Hebrææ veritatis litterâ discessisse. Nam siquid in istis intelligo, oratio figurata differt a simplici; nec potest usurpata a scriptore enallage immutari, quin ipsa quoque orationis species aliquatenùs immutetur. Ipsum illud, quod ait *correxisse* interpretem istam personæ enallagen, quid aliud significat, quàm eum ab Ebraïsmo discessisse? Neque enim corrigi potest orationis alicujus contextus, nisi ab eô, quod habebat priùs, aliquantulùm discedatur. Sed ait *ita solere disertos interpretes*. Id quidem, quanquàm parce, neque nisi justâ & necessariâ causâ in profanis, si fortè auctoribus, concesserim; in sacris & θεοπνεύστοις meritò illud festivissimi Poëtæ ad hoc argumentum traduxerim,

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimas severiores.

Ipse Latinus hujus generis enallagen, quanquàm suo (ut vult vir doctus) idiomati insuetam, minusqne aptam, ferè tamen alibi retinet; quod vel ostendunt plura ex iis locis, quæ ipse ad exemplum selegit; Ut psal. 18. 30. *Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deô meô transgrediar murum.* & psalmo 22. 26. *Apud te laus mea in Ecclesiâ magnâ.*

Vota mea reddam in conspecto timentium eum. Itaque si vel hic locus similem enallagen admitteret (quod non videtur concedendum) eam tamen Latinus in suâ editione fideliter repræsentare debuerat; quod cùm non fecerit, quis non intelligit eum ab Hebræô hactenùs discessisse? Neque verò aliud volui (quod vel mea verba præ se ferunt) quum in calce ejus epistolæ, quam ad Muysium dedi, scripsi ipsum, dum monuit Hebraïcè in tertiâ personâ haberi quod Latinus per secundam expressit, eô luculentissimè confessum esse Latinum ab Hebræô discessisse; ut nullam ille habeat mecum expostulandi caussam, quod aliorsùm ejus verba traxerim, *quasi ea astipulentur nostræ versioni.* Atque hæc quidem hactenùs. Nunc ad prius Prophetici versiculi colon accedamus, de cujus litterâ nobis non solùm cum Latinô interprete, sed etiam cum ipsô Muysiô controversia est. Is enim contendit, & anteà jam diximus, tres primas hujus versiculi voces unô Spiritu continuandas; quod si obtinuerit, hactenùs profectò interpres Latinus minimè ab Hebraïsmo discesserit, qui ista planè ad Muysii mentem sic reddidit, *DOMINE salvum fac Regem.* Nos Hebraïce putamus aliter interpungenda, ut primæ duæ voces, *DOMINE serva,* prius versiculi colon constituant; reliquæ posterius impleant, *Rex respondeat nobis quo die clamabimus.* Ac hujus quidem interpunctionis manifestas habemus rationes, easque, ut in hoc rerum genere, idoneas. Primùm in omnibus He-

Muys. ep. 2. p. 32.

Hebræis codicibus ad vocem, non tertiam, sed secundam appicta est distinctionis notula Athnach, quæ tertiam proindè vocem a prioribus divulsam sequentibus annectit. Nondum enim probavit vir doctus (quod mox demonstrabitur) ullam esse hujus loci propriam, peculiarem causam, quæ isti accentui suum distinguendi officium hic abroget. Sed nequis putet (quod Muysius in utraque epistola existimasse videtur) nos, & qui nobiscum sentiunt solâ illius accentûs notula adductos fuisse in eam sententiam; observandum est jam tum cùm nulli apices in Hebræorum codicibus haberentur, sic tamen distinctum fuisse hoc comma a viris longè gravissimis, atque doctissimis. Nam & Syrus interpres, & Chaldæus Paraphrastes, & qui Muysio *instar omnium est*, Hieronymus sic distinxerunt. Hieronymô, & Paraphraste fatetur Muysius. De Syrô, quem & ipsum objeceram, tacet. Is autem, quin ita distinxerit, dubitari non potest, qui hunc locum sic reddit, *DOMINVS liberavit nos, & Rex noster exaudiet nos in die, quâ invocaverimus eum.* Jam satis constat tres istas scriptores ante inventas a Massorethis Hebraïcarum vocalium, ac notularum figuras vixisse. Nam communis ferè est doctorum sententia, luculentissimè a reverendô virô L. Cappellô propriô opere demonstrata, puncta illa quæ vocant Hebraïca nonnisi serò, & aliquot post Christi manifestionem sæculis, jam exstinctô Hieronymô, in usu esse cœpisse. Itaque

P. 5. 17.

Ibid. p. 5.

Ibid. p. 4. 18.

que cùm tres isti scriptores, etsi punctorum inventione & usu antiquiores, Hebraïcum tamen textum perindè ac nos, distinxerint; apparet non ex figurâ τῶ Athnach Hebræis codicibus appositâ ortam esse hanc sacri textûs distinctionem (quod Muysius suspicari videtur) sed planè contrà ideò hìc a Massorethis appositum fuisse Athnach, quod hæc versiculi distinctio jam anteà apud Hebræos solennis esset. Nimirum sic legendum, atque distinguendum esse hunc versum aut acceperant a majoribus, aut ipsi certis rationibus intelligebant, quas nos jam ideò fortasse non animadvertimus, quod Hebraïsmi (id est linguæ jampridem mortuæ, & in usu populi desitæ & cujus paucissima supersunt vera, ac sincera λείψανα) admodùm exiguam cognitionem habeamus. Utcumque sit, non est verisimile Hieronymum, virum (quod omnes fatentur) longè doctissimum a vulgari, quæ ipsius temporibus obtinuisse videtur, versione hoc locô discessurum fuisse, si ea cum Hebraïsmô, quod vult Muysius planè consensisset, maximè cùm ille haberet propositum sacra Biblia ex Hebræô convertere. Hoc si vel unum esset, conficit Hieronymi temporibus eam, quam nos sequimur, Hebræi contextûs distinctionem jam in usu fuisse. Atque hìc opportunum videtur ea considerare, quæ Muysius pro adversâ, id est suá, sententiâ attulit. Nobis objicit tum Arabem, tum Latinum interpretes, maximeque LXX. seniores, qui hunc versum omnes aliter distinguunt: miratur, quid sit quod

Ibid. p. 10, 17.

quod viri graves ab istorum auctoritate discesserunt. Ego verò primùm respondeo unum esse hoc, quodcumque est testimonium, non triplex. Nam & Arabs, & Latinus iidem LXX. sunt, sed apud illum Arabicè, apud hunc Latinè loquentes. Utramque enim versionem, non ex Hebræô, sed ex Græcô expressam esse, & docti omnes quos quidem vidi, consentiunt, & res ipsa loquitur. Siquis dubitet, conferat horum interpretum versiones cum Hebræi, & Græci codicis verbis; maximè verò, ut ex infinitis pauca colligam, Psalm. ut isti numerat, 28. 1. 6. & 41. 5. & 59. 10. & 71. 14. & 83. 12. & 87. 11. & 89. 9. 10. & 109. 4. & 139. 17. 18. & 140. 8. 9. clarissimè comperiet non ex fonte, sed ex τῶν LXX rivô deductos fuisse, hos duos rivulos; quod de Latinô propriè evincunt illa ejus σφάλματα, quæ ex Græci codicis mendis nata suprà memoravimus, Genebrardus sanè, qui minimè omnium noster est, in Psal. 131. (Heb. 132.) ait versum illius psalmi 15um. a Latinô fuisse ex Græcô interpretatum inconsultâ veritate Hebraïcâ. Superest ergo unum τῶν LXX (quos vocant) testimonium; Quibus primò opponimus Syrum, ipsis longè antiquiorem ex Gabrielis Sionitæ sententiâ. Nam cùm sacra biblia Seniores LXX. Ptolemæô regnante ex Hebræô transtulisse dicantur, Syrum ipsis Salomonis temporibus (hoc est annis 700. & ampliùs antè Ptolemæum) suum hoc opus confecisse vult Gabriel, & quidem ipsius Salomonis jussu, qui Biblica, quæ quidem

Gab. Sionita Præfat. in Psal. Syr.

dem tum extabant, volumina poscenti Hiramo, Tyri regulo Syricè versa donô dederit. Quod si vir doctus hac tam longè repetita incerta esse, fabulæque propiora causetur (tametsi Gabrieli aliter visum sit, qui ea Syri quoque scriptoris non contemnendi testimoniô confirmavit) ego quidem non valdè repugnabo; dummodò quæ de LXX jactantur, ea ejusdem quoque esse cum istis farinæ mihi concedat; imò haud paulò etiam absurdiora. Utraque hæc historia dicam, an fabula, unà aut stare, aut cadere debet. Si stant, nostra potior est, quià antiquior. Si cadunt nullum ergo nostræ distinctioni ab illâ, quæ ostentatur, τῶν LXX. auctoritate præjudicium. Neque hic locus est demonstrare, quàm ab omni parte laborent, quæ de inani Græcæ hujus versionis divinitate & diù olim credita sunt & etiam nunc narrantur. Neque sanè necesse est eò digredi, quando nobis non cum Morinô, aut cum aliquô de istô pervicacium grege res est, sed cum eo viro, qui fumos illos & magnâ animi fortitudine contempsit, & singulari eruditione discussit; quique istius versionis apotheosin adeò non probat, ut penè relinquat in dubio ullam-ne jam τῶν LXX versionem habeamus; illud certè cum Bellarmino fatetur ita corruptam esse & vitiatam quæ nunc eo nomine circumfertur, ut ea omninò alia esse videatur. Psalterium quidem certè doctus nemo negaverit mendis propemodum innumeris scatere, & sit interdum ab Hebraismo abire ut planè alium te putes

Moys. Assert. alt. Hebr. Ver. p. 26.

tes auctorem legere. Quâ de re siquis dubitat, adeat quæso, eadem illa loca, quæ paulò antè ex Arabicâ, & Latinâ versione annotavimus, eaque pro ut a Græco sunt expressa, cum Hebraïcis comparet. Mirabitur tam immanem esse posse interpretis a suo auctore diversitatem. Quæ cùm ita sint, quis non intelligit quàm iniquum sit Græci auctoritatem Hieronymi testimonia hac in parte opponere? Id verò minùs fortassè iniquum foret, si Hieronymus unus esset istius distinctionis testis. Sed cùm eam præter Hieronymum Syrus quoque & Chaldæus apertissimè confirment, ac sequantur, nimiùm quàm injustè facere mihi videntur, qui tribus, iisque locupletissimis testibus unius, ejusque non unâ de causâ suspecti fidem anteponi cupiunt. Atque hæc quidem satis (ni fallor) vincunt Hebraïci textûs litteram omninò eam esse, quam diximus, *DOMINE serva; Rex respondeat nobis in die, quâ clamabimus.* Undè porrò evidenter sequitur, quod ego in nostræ versionis defensione affirmare non dubitavi, Latinum interpretem ab Hebræo discessisse. Sed quoniam Muysius de hujus litteræ expositione multa dixit, in quibus potissimùm causæ suæ firmamentum collocare videtur; age & hanc partem deinceps consideremus. Nam quanquàm periculosum putem versiculi distinctionem idoneâ veterum aliquot testium auctoritate, adhæc originalium exemplarium consensu confirmatam ac constitu-

tam

tam commodioris expoſitionis ſpecie ſolli-
citare ; tamen non abnuo ; quin noſtra hæc
immutetur, ſi modò ea ſenſum, aut nullum,
aut incommodum, aut vatis in hoc pſalmo
menti haud ſatis congruum fundere de-
Ep. 2. monſtretur. Vir doctus cum reliquis pænè
p. 17. omnibus interpretibus exiſtimat hoc can-
ticô nihil aliud, quàm votum pro ſalute Da-
vidis ad bellum proficiſcentis contineri.
Scaliger verò putat ἐυχαριστικὸν eſſe, &
ἐπινίκιον hoc carmen precesque populi, quæ
hic habentur, eas μιμητικῶς partâ jam vi-
Ep. l. 1. ctoriâ referri. Utrum ſit verius nihil nunc
epiſt. 13. quidem noſtra intereſt, cùm ſenſum utri-
que hypotheſi ſatis aptum fundat littera
Hebraïca, ſic ut a nobis diſtincta eſt. De
Scaligeri ſententiâ nihil dicam, ad quam
noſtra hæc diſtinctio belliſſimè quadrat.
Eam modò a ſuâ, communique aliorum
abludere contendit Muyſius. Ac priùs qui-
dem verſiculi colon intactum præterit. Ne-
que enim ignoravit vir in his litteris erudi-
tiſſimus verbum *hoſchia ſervare* apud ſcripto-
res ſacros ſic interdum abſolutè uſurpari
non expreſsô ſubjecti, quod ſervatur, vel
ſervatur nomine ; ut pſal. 12. 2. *Serva Do-
mine; quoniam defecit juſtus* ſive *beneficus*. Et
illud e pſalmô 118. planè hujus geminum;
Pſ. 118. *Obſecro DOMINE ſerva*, vel (ut hic ver-
25. tit Scaliger) *ſalutem præſta* ; quod vocabu-
lum vulgare fuiſſe apud Hebræos, quotiès
aut Regi, aut ſibi, aut toti Reip. bene pre-
carentur ſatis probat illa plebis in Evange-
liô acclamato, quâ Chriſto Hieroſoly-
mam ingredienti hæc ipſa verba ſuccinunt,
Ho-

Hosanna (id est serva quæso) *Filio David*; *Hosanna in altissimis*. Jam quibusnam aliis commodioribus verbis solennem hanc suam pro Rege, totaque Republicâ precationem claudere poterant Hebræi, quàm istis *DOMINE serva*? Exere tuam illam salutarem dexteram, quæ omnia mala averruncet, hostes fundat, Principis ac civium capita & fortunas ac dignitatem inter tot discrimima, quibus obnoxium est miserum mortalium genus, providentiâ suâ contervet. Sic enim malim indefinitè atque universim hoc verbum, quod absolutè positum est, ad omneis Israëliticæ reip. partes referre, quàm ad unam aliquam seorsùm; cùm non unius, sed omnium incolumitate civitatis dignitas & salus contineatur, quæ sive Rege, sive populô laborante valere non potest. Sed quod sequitur, id verò vellicat Muysius, *Rex exaudiat nos quô die invocaverimus*. Nam Regem neque de Deô, quod plærisque placuisse ait, neque de Davide, quod nobis, accipi posse pertendit. Ac Deum quidem eô nomine hìc significari negat, *quià non nimis solenne est* (inquit) *Hebræis litteris regem absolutè & sinè adjuncto quopiam pro Deo usurpare*. Cauta sanè ratio; ac nimiô temperamentô dilata. Quid enim? Non licebit hìc *Regem* pro Deo sumere, nisi id vocabulum eo sensu apud Hebræos nimis solenne sit? Non erit ad eam rem satis, si vel solenne sit, vel certè non omninò infrequens? Nos quidem istam expositionem minùs commodam arbitramur; sed tamen a clariss. Muysio labefactari posse non putamus.

Matth. 21. 9.

Ep. 2. p. 18.

tamus. Nam si quod ille tantoperè contendit *jaanenu* per enallagen hic positum est pro *taanenu*, *exaudiat*, pro *exaudi*; consequens ut fateatur *regem* commodissimè in secundo orationis colo *eum* significare, qui in priori DOMINUS nominatus erat, hoc modo, *Serva o DOMINE, exaudi o Rex.* Nimirum ut unus idemque sit, qui primo יהוה DOMINUS propriè; mox *Rex* attributivè vocetur. Gaudet enim Psaltes (quod & Salomoni & cæteris Prophetis solenne est) rem eandem alio, atque alio vocabulo in diversis unius periodi partibus efferre. Itaque quamquàm *Regis* nomen solitarium pro Deo usurpari rarum est & fortassè omninò inusitatum; hic tamen cùm præcesserit, & quidem statim nomen tetragrammaton, quod Dei proprium est, nihil vetat quo minùs hoc *Regis* attributo idem ille Deus, qui proximè nominatus erat, intelligatur; cujus rei exemplum occurrit psal. 99. 3. 4. hujus geminum, quo loco Psaltes Deum τὸν יהוה compellans sic loquitur, *Confitebuntur nomini tuo magno & terribili, quod sanctum est; & fortitudo Regis judicium dilexit.* Confessum est apud plærosque, interpretes *Regem* hic intelligi, qui paulò antè יהוה *Dominus* dictus erat. Vides ergo si locum habeat illa, quæ Muysio placet enallage, planè subverti non posse hanc plurimorum interpretum sententiam *Regis* nomen hic de Deo exponentium. Nobis verò quibus ista enallage dura, atque insolens videtur, neque illa sanè vocabuli *regis*-expositio admodùm probatur. Nullum enim locum

hacte-

hactenùs reperi, in quô *regis* nomen nudè & solitariè, ut hìc positum, Deum directè, ac ut loquuntur, formaliter significaret. Sed neque de Davide aut ullô aliô mortali Principe accipi posse *Regis* nomen in illâ quam sequimur, Hebrææ litteræ distinctione, contendit vir doctissimus, idque duplici de causâ; quarum una ipsius est, indè petita, quod sic sensus Prophetæ affingitur nimis subitus, imò coactus & violentus, ac præter ejus mentem. Alteram mutuatus est a nostrô Felinô, id est Bucerô, qui *regem* de Davide non audet exponere, eô quod hìc positum respondendi & annuendi verbum ענה soli ferè Deo precibus suorum annuenti in Psalmis ubique tribuatur. Sed hæ rationes (pace viri docti dixerim) levissimæ sunt. Nam, ut hinc ordiar, neutra acutissimam, verique simillimam Scaligeri expositionem ferit; qui statuit totum hunc psalmum esse amœbæum; ac in prioribus quidem sex versibus populum loqui; in septimô ac duobus sequentibus Regem; ultimum denique populi rursùm esse, qui post Regis responsionem carmen totum suavissimâ oratione concludat Dominum, summum Regem obsecrans, ut adsit propitius, eamque salutem præstet, undè Rex possit Deo εὐχαριστῶν, populoque vota pro ejus salute nuncupanti, ut nunc, sit aliàs quoque succinere. Hæc, ut vides, psalmi exegesis concinna est, atque elegans: quam si admittimus, concidunt allatæ a Muysiô rationes. Nam neque hic consortum quicquam aut violentum

Muys. p. 19.

apparet, & ea quæ verbo ענה *ana* tribuitur *ſuccinendi* atque in cantu amœbeô reſpondendi ſignificatio tam eſt omnibus nota, ut probatione non indigeat. Sed neque mihi videntur illæ clar. Muyſii rationes adversùs noſtram, id eſt Calvini & multorum de noſtris, expoſitionem, quàm adversùs Scaligeranam, efficaciores. Nam quid hìc amabo, ſubitum aut violentum eſt, ſi populus Regi ſuo fœlicia, ac fauſta omnia comprecans, id poſtremò a Dominô petat, ut Rex ſuorum civium vota, preces, ac (ut vulgo loquimur) ſupplicationes (id enim ſignificat *clamare*, cùm qui laborat opem potentiorum demiſsè poſcit) facilis, atque benignus exaudiat? Nonne in eô ſita eſt ſumma Principum fœlicitas, ut ſubactis triumphatiſque hoſtibus, pace domi foriſque partâ, bonitatem ſuam ſpargant atque effundant in ſubditos? oppreſſos ſublevent? nullius ſpernant lacrymas? votiſque ac deſideriis univerſorum ſatisfaciant? & quod alibi ele-
Pſal. 72. 13. gantiſſimè canit Pſaltes, *parcant pauperi & inopi, animaſque pauperum ſalvas faciant*? Equidem non video, quid Regi majus aut divinius optare poſſit pia, ac fidelis illa plebs, cùm iſta gloria, & gazis Indorum, & veterum atque recentium Imperarorum triumphis longè ſit potior. Neque verò eſt, quod viros doctos ab hoc ſenſu deterreat vocabulum *ana*. Eſt quidem illa vox ampla & magnifica, fateor, quæque de Deô multò quàm de hominibus frequentiùs uſurpatur. Sed neque modica ſunt, quæ de Regibus prædicare ſolet Scriptura, ut etiam quandam

dam ipsis divinitatem tribuere non sit verita. Nemini ignotum est illud Prophetæ, *Ego dixi, Dii estis*; quod e Ps. 82. 6. etiam a Dominô Jesu usurpatum fuisse legimus. Cùm ergo Scriptura ipsum Dei nomen, Joan. 10. 34.
quò nihil dici potest augustius, Domino cum Principibus commune esse voluerit; nemini mirum videri debet, quod interdum etiam ea ipsis vocabula tribuat, quæ alioquin significandis summi Numinis actionibus potissimùm consecrata videantur. Lege psalmum LXXII. Fateberis nihilô esse hoc verbô inferiora quæ istic de Rege dicuntur. Sed quid ego in istis diutiùs immoror? Quanquàm enim verbum *ana* de Deô potissimum ac sæpissimè certum sit; constat tamen non sic esse ejus proprium, ut non interdum rebus etiam creatis tribuatur. Qualiter apud Hoseam ele- Hos. c. 2. 21. 22.
ganti sanè ac illustri inprimis metaphorâ cœli terram, terra triticum, vinum, & oleum, & hæc postremò Iesrahel *exaudire* dicuntur; cujus generis, quamquâm in diversissimâ linguâ, illud est apud excellentissimum Poëtam,

Vt quamvis avido parerent arva colono.

Cùm itaque ipsa illa, quantumvis muta atque inanimata, corpora nos tamen dicantur *exaudire*, quotiès benignè atque affatim ea nobis suppeditant in quorum usum a Deô Opt°. Max°. creata sunt; quid-ni Psalti quoque licuerit idem dicendi genus de Rege usurpare, eorum omnium instrumentorum longè præstantissimô, quibus Deo ad generis humani salutem atque incolumi-

tatem tuendam uti libuit? Sed neque te celabo videri Prophetam peculiarem quandam habuisse hujus vocabuli potissimùm hic usurpandi rationem; quò nimirum lectores moneret ipsa sensus istius amplitudo, atque majestas altiùs attollendos esse animos, deque primariô illô ac supremô Rege, nimirùm Christô, cogitandum, cujus David rudis tantùm, atque imperfecta effigies fuit. Quod enim hic psalmus Davidi rectà, ac primariò convenit, id nihil prohibet, quominus ad Christum quoque mysticè referatur. Nam cùm David Christi typus fuerit, idque potissimùm, quatenùs Rex Israelis, quæ de Davidis imperiô dicuntur in scripturis ea ad Christum quoque pertinere, judicanda sunt. Jam in hujusmodi locis, solent divinitus sacri isti scriptores sublime aliquid, humanaque majus fastigio orationi inspergere, quod personis ac rebus terrenis vix, ac nonnisi per violentam aliquam, & inusitatam expositionem possit aptari, quo lector, ipsâ illâ difficultate admonitus, intelligat hoc Dei fuisse consilium, ut ipsa ad argumentum sublimius referantur; idque facilè observabis si Psam. II. & XVI. & LXXII. & plærosque alios mysticos sedulò & attentè legeris. Hoc itaque spectasse Spiritum Sanctum in hoc ipsô de quo agimus loco, ego quidem arbitror, dum Regi quem celebrat magnificum illud *exaudiendi* verbum accommodat. Nimirum eo significare voluit, aliquid Davide majus se habere in animo, ac Davidem quidem
pin-

pingere, ſed Chriſtum, verum Davidem in illâ imagine intelligere. Satis jam vides, Ornatiſſime N. quàm non modò non violentus, abruptus, aut contortus, ſed quàm congruus, ac undequaque conſentaneus ſit ſenſus, quem fundit Hebraïcæ veritatis littera, proüt ea a nobis legitur ac diſtinguitur.

Jam & illum, ſi placet, excutiamus quem eadem reddit proüt ea a Clar. Muyſiò accipitur. *DOMINE ſalvum fac Regem, & exaudi nos in die quâ invocaverimus.* Primùm hoc habet hæc littera incommodi, quod uni ſenſui, eique (ut mox videbimus) non optimo affixa, ac velut adſtricta ſit. Noſtra autem é contrà largum, ut ſic dicam atque amplum ſinum lectoribus exporrigit, ut eam liceat in varios ſenſus diducere, perindè ferè ac ipſa verba Hebraïca. Nam & ſalutem, quam uni Regi illa addicit, hæc ad univerſos, id eſt tam ad Regem, quam ad populum referri patitur; & illam quam Latinus uni Deo tribuit *exaudiendi* poteſtatem, noſtra vel ad Deum, vel ad Regem partinere ſinit. Atqui quò amplior & capacior eſt Scripturæ verſio eò textui orginali proprior atque ſimilior, proindeque melior ac laudabilior cenſenda eſt. Quô mirari ſubit recentiorum quorumdam concilium, qui ſic verſiones ſuas effingunt, ut unum, quem ipſi ſequuntur, ſenſum (non ſanè ſemper optimum) capere queant, quaſi de induſtriâ Spiritum Sanctum in anguſtias agere, & quæ ille libera ac ſaluta eſſe voluit, iſti contrà ſervire ea at-

que ancillari in unô velut ergastulô velint. Si nihil aliud nostra interpretatio haberet precipui, hoc vel unum dignam reddit, quæ (alterâ explosâ) recipiatur. Sed & aliud est longe gravius. Nam (ut semel edam quod jamdudum parturit animus) nè litteræ quidem Hebraïcæ, sic-ut eam accipit ac distinguit Muysius, convenire videtur ille sensus, quem Latinus expressit: Nam datâ, non concessâ, quam ponit hujus versiculi distinctione *DOMINE salvum fac regem; exaudiat nos in die quâ invocaverimus*, quis non videt supplendum non remotius *Domini* (quod vult vix doctus) sed propius *Regis* nomen, hoc modô *exaudiat nos*, nimirùm Rex non autem Dominus. Itaque & Chaldæus cum verbô *exaudiendi* (quod liberiùs, ut in paraphrasi, per secundam personam expressit) *Regem* in vocandi casu construxit. Sic etiam Hieronymus in vulgatis versionis ipsius exemplaribus *Rex exaudies nos*. (In vulgatis dico. Nam refert Lorinus Trovetum in 3ª. personâ juxtâ Hebræum legere, *Rex exaudiet*; quod itidem in MSS°. Hieronymianæ versionis exemplari legisse se & annotasse testatur vir clarissimus atque humanissimus, quem honoris causâ nomino, D. de Cordes) Eadem mens est Commentariorum in Psalmos, qui Hieronymo quamquàm perperàm tribuuntur, quosque hic laudandos putavit Clar. Muysius. Istorum enim autor observat in Hebræô scriptum esse, *DOMINE salvum fac Regem, qui exaudiat nos &c.* Planè sic accipiendus locus, si certum est, quam nos defen-

defendimus, vexam ac genuinam ejus distinctionem aspernari. Nomen *Regis*, non DOMINI supplendum est antè verbum *exaudiat*; 1°. quià propius. 2°. quià cum eô verbô persona convenit (est enim utrumque 3ª. personæ) quamquàm casu non convenit. DOMINI verò nomen & remotius est, & non modò casu, sed & personâ ab eô disconvenit. Nam cùm sit in vocandi casu, est secundæ personæ; verbum autem *exaudiat* tertiæ. Quæ verò vir doctus indicat, exempla, ea videntur aliena. Primum est è Psal. CIX. 15. *Sint coràm DOMINO semper, & succidat é terra memoriam eorum.* At istic unicum præcedit nomen, idque in 2do. aut sextô casu positum, ut dubitari non possit, quin sit ipsum antè verbum *succidat* supplendum. Alterum est é Psal. CXVI. 16. *Vtique DOMINE quià ego servus tuus, ego servus tuus, filius ancillæ tuis, solvisti vincula mea.* Sed in hoc versiculô nihil planè video quod horsùm faciat. Jam quam hic molitur enallagen 3ª. scilicet personæ pro 2ª. usurpatæ, ea verò quomodò stare queat, non capio. Scio in scripturis ab unâ personâ ad aliam sæpissimè transitum fieri. An ideò licebit ubicumque libuerit, 3ª. personam accipere pro secundâ? Nam si id licet hoc locô, nullum equidem scio, quô id licere non debeat. Quæ verò attulit vir doctus exempla, nihil habent cum nostrô hoc commune. Primum exstat Psal. XVIII. 29. 30. *Quoniam tu illuminas lucernam meam. Dominus Deus meus illuminat tenebras meas.* Item, *Quoniam in te perfregi turmam, & in Deo meo transilii*

murum. Nihil in iſtis difficile. Nam cùm in $2^{\text{dâ}}$. orationis parte diſertè expreſſum habeatur nomen DOMINI ad quem inpræcedente verbum $2^{\text{æ}}$. perſonæ manifeſtiſſimè referebatur, quis non videt de eodem ſubjectô ſub variis perſonis ſermonem eſſe? Idem eſto judicium de ſequentibus exemplis; quorum primum extat Pſ. XXII. 26. *A te laus mea in congregatione magna. Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* Alterum ejuſdem pſalmi ℣ſ. 28. *Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi ſinet terræ, & adorabunt in conſpectu tuo univerſæ familiæ gentium.* Nam in priori quidem locô, quem primò compellat Pſaltes in $2^{\text{dâ}}$. perſonâ, eum mox, per relativum $3^{\text{æ}}$. perſonæ deſignat. Poſteriori verò contrà, de quô primâ orationis parte loquebatur in 3^{a}. perſonâ, mox ad eum ipſum convertit ſermonem in $2^{\text{dâ}}$. Breviter nullum a virô doctô exemplum adductum eſt, in quô diverſarum perſonarum nomina non ſint diſertè expreſſa, ut nulla difficultas ſubeſſe poſſit. At in hoc Pſ. xx^{i}. de quô agitur verſiculô alia omnia; in quôneque ullum nomen aut pronomen antè verbum יַעֲנֵנוּ expreſſum habetur, quod ad DOMINUM referri poſſit, ex inter ipſum verbum atque DOMINI nomen, ex quô ſupplendus hujus verbi nominatiores putatur, aliud (nempe *Regis*) nomen intercedit; quô fit ut violenta, coacta, ac planè ſingularis ſit illa, quæ hic ſtatuitur enallage. Atque hujus diſcriminis vel hoc eſto argumentum, quod ſi illa exempla, quæ vir doctus attulit, Latinè proponantur

nihil

nihil immutatâ Hebræi sermonis structurâ, nemo sit qui non statim intelligat in iis subesse personæ enallagen; in hoc verò versiculô, si ut habetur in Hebræô ita efferatur *DOMINE serva Regem, exaudiat nos in die qua clamabimus*, nemo sit futurus, qui suspicetur vel *exaudiat* positum esse pro *exaudi*, vel DOMINI nomen supplendum antè verbum *exaudiat*; ac non potiùs putet id verbi ad *Regem* referendum. Cùm igitur ea quam sequimur, Hebræi textûs littera & vetustissimorum scriptorum Syri, Chaldæique intetpretum, ac Hieronymi testimoniô confirmetur, prætereaque sensum sensum fundat commodissimum, minimè dubitandum videtur quin ea vera ac genuina sit; Undè porrò consequitur Græcum, Latinumque interpretes qui ab eâ discessisserunt, *ab Hebraïsmo discessisse*, eoque longiùs quod non tantùm ab istius litteræ interpunctione, sed & ab ipsô quem ea fundit, sensu deflexerunt.

Ex quibus jam te satis intelligere arbitror, primùm quidem quàm non modò sæva & inhumana, sed etiam inepta atque ridicula fuerit illorum hominum calumnia, qui nostros quod in suâ Bibliorum versione Latinum hic minimè sibi sequendum putarunt, accusare apud Regem, veluti divinæ atque humanæ majestatis perduelles, ac penè ad supplicium ob tam grande scilicet scelus deposcere ausi sunt. Sed & illud, nisi fallor, peripicis, immeritò notatam fuisse a doctô virô modestiam meam, sive ex suô, sive ex alienô judiciô, eò quod scripserim

vulgatam editionem hic *ab Hebræa discessisse.*
Muys. p. 5. 15. Postremo denique ex his vides nullam ipsi mirandi caussam fuisse, quod viri nostrâ & patrum memoriá longè doctissimi vestrarum quidem partium Fœlix, Pagninus, Vatablus, Cajetanus, Guidacerius, Isidoxus, Clarius, Arias Montanus, alii; nostrarum vero Calvinus. Junius, Beza, Scaliger, ac (paucis exceptis) reliqui omnes, Hebræam hujus versiculi litteram sic, ut diximus, distinguendam ac reddendam, consentientibus omnibus Hebræorum magistris, existimaverint. Quamquàm vel ipse tot hominum religione ac studiis tam inter se dissitorum mirabilis hac in re consensus satìs monere poterat momentosum aliquid fuisse quod eos istuc impulit. Neque enim verisimile est viros graves, ac doctos temerè, nullaque certâ ac firma ratione in id consensisse. Ep. I. p. 10. Hic vero Clar. Muysius ex eorum numero, quos sententiæ meæ testes in scripto Gallico adduxeram, duos eximit Clarium, & Compensem. Illum enim negat vulgati interpretis sententiam rejecisse; hunc vero nostram vel memorasse. Sed ego Clarium nusquàm (quod meminerim) scripsi vulgati interpretis versionem rejecisse, aut improbasse simpliciter. Tantùm affirmavi eum versum hunc sic ex Hebræo reddidisse, *DOMINE serva, & Rex exaudiat nos, &c.* quod usque adeo verum est, ut Lorinus ipse; inter Jesuitas non postremi nominis, in spissâ illâ, quam in Psalmos edidit, Commentariorum farragine, dum varias hujus versiculi interpretationes refert, ex

Cla-

Clario eadem quæ ego, verba citaverit. Cæterum non nego virum illum (sive aliquâ in Latinam editionem religione, tum quod vetustissimam, tum quod receptissimam esse videret, sive quod errores, modo non momentosos, ferendos potiùs, quàm corrigendos putaret) & hic & alibi sæpe ea retinere, quæ tamen ab Hebraïsmo abludere non nescit. Cùm itaque id ipsum hoc loco observarit, qui qui sit ejus de aliis sensus, nobis certe hactenùs testimonium dicit, quod Hebræi codicis eamdem quam nos repræsentat sententiam, eoque fatetur Latinum, cujus diversa est interpretatio, *ab Hebræo deflexisse.* De Campensi non dissimulo paulo indiligentiùs me in eo versatim gratiamque viro docto & habeo, & ago ex animo, quod me leniter & Christiane eá de re monuerit. Codicem habuimus in quo unà cum Campensis paraphrasi Psalmorum é regione excusa erat eorumdem Latina versio; quam nos, cùm nullum alterius autoris nomen adscriptum esset, Campensis quoque fuisse, solâ illâ tituli specie inducti, putavimus. Quod si ejus non est, inducatur hoc testimonium; sed ita tamen ut pro uno illo teste, eoque satis obscuro tres alii clarissimi reponantur, Justinianus Nebiensis episcopus, Faber Stapulensis, & Baptista Folengius Monachus. Nebiensis quidem in suo Psalterio hunc locum sic ex Hebræo expressit; *Deus salva; Rex responde nobis in die invocationis nostræ.* Faber autem refert Hieronymum distinctionem fecisse post *salvum fac*, ut hic Psaltes pro se & Iudæis oret; Christo vero *exau-*

Psa. Neb. excusiv. Giouæ. 1516.

Fab. in Psal. quintup. ps. XIX.

exaudiendi gloriam tribuat, huncque sensum eo diviniorem esse ait, quem LXX. tradidere. Folengius denique postquàm Latini interpretis litteram edisseruit, *Verùm* (inquit) *longè secùs Hebræi. Ajunt enim, Serva ô DOMINE. Rex respondebit nobis in die qua clamabimus.* Tum subjectâ Chaldæi paraphrasi pergit, *Quam quidem litteram Divus etiam Hieronymus approbat.* Tribus istis adde sodes Augustinum Steuchum Eugubinum, P. R[i]. Bibliothecarium, qui Comment. in Psal. Lugduni edito, a°. 1548. in fol. pag. 198. recitatâ hujus versus interpretatione Latina, *Ordo,* inquit, *lectionis Hebraicæ secùs habet. &c.* Adde Peregrinum Hibi mutinensem, qui in Italicâ Psalmorum versione, Venetiis, anno 1573. excusa, ac ut ipse ait, ex Hebræo expressâ hunc locum ita reddidit, pag. 57. *Signor salva; & il Ré del cielo ci essaudirà in quel giorns che lo chiamaremo;* id est, ut habet Latina versio é regione addita, *DOMINE salva, & rex cœli exaudiat nos in die, quâ invocabimus.* Adde etiam Brucciolum; *Signore salva, Rè rispondera a noi nel di che noi chiamaremo.* Venetiis. a°. 1540. Adde postremo Ioannem Burdelotium, doctissimum ac clarissimum virum, qui in suâ illâ a doctissimo Muysio laudatâ, ac carminibus Hebraïcis etiam commendatâ 4. Psalmorum versione hoc commade Hebræo sic expressit, p. 2[a]. *DOMINE serva; Rex exaudiat nos in die qua invocaverimus.*

Foleng. in Ps.xx. Lat.xix.

Sed & vir doctus nonnulla Hebræorum atque nostrorum pro sua versione testimonia collegit. Ex Hebræis, cùm cæteros

Muys. p. 18.

omnes

omnes quos vidit Ezram, Kimhi, Sippurnonem, Meir Aramam; nobiſcum in diſtinguendo hoc verſu cenſentire fateatur, unum objecit Ioſephum Kijun, qui in opere Theſſalonicæ, a°. D^i^. 1527. edito hunc locum primu quidem eadem quâ cœteſi ratione accipit atque interpretatur. Sed & mox addit regem de Davide accipi poſſe, quaſi velut Propheta: Ibid. p. 30.
יהוה הושיעה המלך דוד ויעננו ביום קראנו אליו בעבורו
Fateor mirum mihi videri quod homo Hebræus ita ſenſerit; mirum quod ſenſum iſtum non fuerit clarius elocutus; poſtrema enim hæc ejus verba, ſinon ambigua, certè perplexa ſunt & obſcura, ut etiam vir doctus in eorum interpretatione nomen DOMINVS ſupplere coactus ſit, *DOMINE ſerva regem Davidem, exaudiatque nos* (ſupple DOMINUS) *quocumque die eum appellabimus in ipſius gratiam.* Utcumque ſit, nemo vetus proverbium neſcit ipſi etiam Ariſtoteli uſurpatum μία χελιδὼν ἔαρ ού ποιεῖ. Ad noſtros verio; ex quibus quoſdam adducit, qui hunc verſum eodem modô diſtinxerunt, quô Latinus, Muſculum, Caſtellionem, Tigurinos, ac de Lutheranis Oſiandrum. Muyſ. p. 9. Alios verò qui cùm aliter reddiderint quàm Latinus, fatentur tamen ejus verſionem retineri poſſe, quô in numerô cenſet Bartholomæum Coppen in Heidelbergenſi olim Academiâ profeſſorem, p. 10. ac de Lutheranis, Salomonem Geſnerum. p. 9. Horum quid attinet verſiones & teſtimonia ſigillatìm excutere? Neque enim vel ii, vel ulli omninô homines eô ſunt apud nos numerô

ac

ac locô, ut ab iis dissentire nefas putemus, nisi quod sentiunt ratione & veritate nisi demonstraverint. Reliquorum, quos de nostris citat, paulùm diversa est ratio. Nam siqui salutem, quam a Dominô precatur populus, eam ad Regem quoque partinere putant, non eô, Græcum & Latinum *ab Hebræô discessisse* negant. Scaliger, qui primùm illud facit, disertissimè pronunciat, claudicare hîc Græcos, quod jam suprà commemoravimus. Eadem Vatabli, quem nostris petmiscet, eadem Christophori Corneri, eadem denique Bartholomęi Vuesthemeri ratio; qui quantumvis nomen *regis* post verbum *serva* subaudiri aut posse, aut debere statuant omnes tamen hunc versum eodem quô nos modô & distingunt & reddunt. Conradus Heresbachius quis sit *nosterne, an adversariorum*, mihi nondum compertum. Sed cùm ille sibi consilium fuisse profiteatur ipsam vulgatam translationem nonnisi necessariis locis mutare, ne a receptis recideret, aut novitate quempiam offenderet, quod eam hic sequitur, non eo fit continuò, ut illam ab Hebræô minimè aberrare putaverit. Nam posse interdum bonos pacis tutandæ, vitandique scandali caussâ, etiam ea ferre quæ minùs recta putant, nemo nescit sapiens. Bellarminus certè inter purpuratos vestros notissimus profitetur Biblia vulgata a se, & reliquis huic operi a Clemente VIII°. nisi fallor præfictis non esse accuratissimè castigata. *Multa enim* (inquit) *de industriâ justis de caussis præterivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Tandem ipsas

Ibid. p. 20.

p. 20.27.

Muys. ep. p. 26.

In epistola data Capuæ 6. Decemb. 1603. ad F. Luc. Brug. quæ ab ipso Luca citatur præf. libelli de locis quę adhuc emendari possent.

ipsas Gallicæ nostræ versionis editiones inter se committit vir doctus. Observat enim rythmicam Psalmorum paraphrasin; quô primùm annô a Bezà edita est (is fuit superioris seculi 59.) Latinum secutam esse; mox mutatam in eam, quâ hodiè a nobis canitur, formam. Quin & Biblia vernacula a nostris hominibus primùm annô ejusdem sæculi 46. mox interùm a°. 1557 excusa prodiisse ait, in quibus hic versiculis eadem planè quâ apud Latinum ratione redditus legitur. De Bezæ mythmis scio verum esse quod hìc affirmatur. De Bibliis nihil habeo quod dicam. Neque enim ista quæ memorantur, exemplaria, aut aliæ ejusdem formæ, umquàm vidi. Sed utcumque sit, palàm est rectè & cum ratione mutata fuisse, quæ primô conatu non fuerant satis ad Hebraïsmum expressa. Fecit hoc antè nos é veteribus Hieronymus, fecit é recentioribus Pagninus, Cajetanus, aliique. Biblia ipsa vulgata an omninò eadem habemus cum iis quæ annis superioris sæculi 46. & 57. excudebantur? Nemo nescit quantum sibi in eorum emendatione indulcerit Sixtus V. nè ipsi quidem Clementi VIII per omnia probatus. Cùm nè istorum quidem (quorum ut vestris videtur, est judicium ἀναμαρτητὸν) extrà censuræ atque emendationis aleam posita sint; quid nostris hominibus (qui nihil tale sibi umquàm arrogarunt) succensendum putatis, quod sua ipsi correxerunt? Quasi verò nobis proficere inmeliùs, nostraque proüt *dies diem docet*, emendare solis mortalium sit nefas. Fateor quidem, quod jam

Mays. p. 27.

p. 27.28.

Jam anteà ſum profeſsùs, iſtum Latini interpretis errorem hujuſmodi eſſe, qui nullô fidei detrimentô ferri poſſit. Sed non eô talem eſſe exiſtimo, qui corrigi non debeat. Habet enim omnis error aliquid incommodi; ut ſi offenſionis, aut aliûs alicujus periculi abſit metus, meliùs ſit emendari eum, quàm relinqui. Hic verò non erat, quod noſtri homines ullam vererentur apud ſuos offenſionem, uni veritati Hebraïcæ addictos. Quamquàm nè veſtrorum quidem hac in parte judicia magnopere metuenda videbantur, apud quos Sanctis Pagnini verſio (quæ hìc noſtra eſt) Leonis X Pontificis Romani Portatu, juſtuque abſoluta Adrianique VI & Clementis VII privilegiô edita erat Lugduni a°. 1528. Quis enim umquàm futurum putaſſet, ut tantorum. Pontificum nutu atque ſententiis approbata verſio a Cleri Gallicani Antiſtibus majeſtatis olìm poſtularetur.

Habes (mi N.) de totô hoc argumentô quid ſentiam. Piget quidem tantùm verborum profudiſſe de re, quæ mihi alioqui haud maximi momenti videtur; Sed tamen qui meus eſt in te amor, hujus non pœnitebit opellæ, eam ſi tibi gratam accidiſſe intellexero. Vale. Dat. Lutetiæ Pariſiorum. a°. D[i]. 1636. Kal. April.

FINIS.

*A-Z, Aa- (18)
Mm⁴ Nn²